3 1761 07838924 4

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/summulatheologia00marc

SUMMULA

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

AUCTORE

CAN. THEOL. ANTONIO MARCHINI

SACRÆ FACULTATIS ET PHILOSOPHIÆ DOCTORE

ET IN SEMINARIO VIGLEVANENSI THEOLOGIÆ PROFESSORE

MORTARIÆ-VIGLEBANI

EX TYPOGR. A. CORTELLEZZI PRÆM DON.

1898.

BX
1751
M37



Quæ iura sunt a Lege Auctor sibi reservat.



V.° Imprimatur:

Viglevani 1 Aprilis 1898.

Theol. ÆMILIUS SCEVOLA Can. Archipr.
Vicarius Generalis.

LECTORI BENEVOLO

Quod mihi iam erat in votis, ad id me quoque permovit aliorum consilium, ut scilicet dogmaticas elucubrationes, quas in Opere iampridem a me edito[1] *pervulgandas curaveram, in compendium apte redigerem. Quo in negotio aggrediendo rem haud inutilem me facturum arbitratus sum. Duo enim mihi constitui, hinc quidem ut præsens opusculum, veluti Theologiæ synopsis, adiumento esset tyronibus ad citius memoriâ recolenda, quae fusius alibi reperissent; inde vero ut perbrevem textum scholasticum suppeditarem iis, qui forte, pro locorum adiunctis, fusum plus debito censerent Opus a me prius editum. En igitur, Lector benevole,* Summula *Theologiae dogmaticae, quam ad duplicem memoratum finem pro viribus confeci. Si quid minus exactum in ipsa inveneris, mihi adscribe: si quid boni, si quid utile, illud tribue bonorum omnium fonti uberrimo, Servatori Iesu, cui interim innumeras gratias rependam. Vale.*

AUCTOR

---

1. Opus constat tribus tomis, cui titulus: *Institutiones Theologiae Dogmaticae probatis Auctoribus excerptae in usum Seminariorum* (Prostat apud Auctorem — Viglevani - in Seminario Episcopali).

PROLEGOMENA

Ad Sacram Theologiam

1. **Prologus** — Pernecessarium est sacrarum disciplinarum tyronibus, priusquam ad augustas de Deo divinisque rebus quaestiones accedant, in ipso quasi limine paullisper immorari, ut intelligant quae sit ratio ac indoles sacrae illius scientiae quae *Theologia* audit, quibus ex principiis in suis disquisitionibus exordiatur, quibus utatur argumentis in propriis obiectis constabiliendis, quantus horum valor, quae sit methodus sequenda. Ad quae omnia paucis exhibenda ordinatur praesens opusculum, quod separatim quoque edendum curavi eo fine, ut qui, curriculum Philosophiae emensi, ad theologica studia adspirent, interiectas ferias autumnales sive domi, sive ruri impendant in illo evolvendo ac probe addiscendo.

2. **Theologiae nomen et res nominis** — *Theologia*, si spectetur — a) *vis vocis,* idem est ac *sermo de Deo,* origine ducta ex duabus vocibus graecis λόγος et Θεός. Si vero — b) *res* per nomen significata, triplici sensu usurpari solet sc. *late, stricte* et *proprie* — α) Sensu *lato* est quivis sermo de Deo, sive solo naturali rationis lumine, sive supernaturali revelatione cognito — β) Sensu *stricto* usurpatur pro ea sola sacrae doctrinae parte, quae de Deo disserit, quatenus divina revelatione nobis innotescit: quo sensu praesertim a veteribus Patribus Basilio, Cyrillo Alex., Maximo et Gregorio Naz. usurpatum est Theologiae nomen, atque hoc ipso sensu Ioannes evangelista et Nazianzenus singulari ratione nomen *Theologi* obtinuere, quod ille prae ceteris Evangelistis divinitatem Verbi luculentius asseruerit, iste divinitatem Christi strenue vindicaverit -- γ) Sensu *proprio* et *communiori* significat sermonem de Deo, de divinis perfectionibus ac universim de rebus omnibus divinitus revelatis.

3. **Definitio** — Iuxta ultimam acceptionem Theologia definiri potest: « *Scientia fidei seu veritatum a Deo revelatarum quatenus revelatae sunt* ». Quam definitionem ut rite intelligas, tria considera sc. *obiectum* Theologiae — *principium* cognitionis in sacra Theologia — distinctam notionem quae ex compositione *obiecti* cum

cognitionis *principio* exurgit. Ac — a) *obiectum* circa quod Theologia versatur, *primario* est Deus ipse, *secundario* omnis veritas divinitus revelata: « Omnia pertractantur in sacra theologia sub ratione Dei, « vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum ut ad « principium et finem; unde sequitur quod Deus vere sit subiectum « (sc. obiectum *attributionis* adaequatum) huius scientiae » [1] — b) *Principium* cognitionis sacrae Theologiae sc. *fons*, unde suas haurit cognitiones, est divina revelatio, non quidem *naturalis* illa, qua Deus loquitur per opera creationis, sed *supernaturalis* illa qua Deus *multifariam multisque modis olim locutus est patribus nostris in Prophetis, novissime autem locutus est nobis in Filio.* Id tamen non impedit, quominus ope quoque naturalis rationis demonstrentur veritates illae, quae simul sunt divinitus revelatae. Porro — c) si obiectum cum principio cognitionis componamus, patet Theologiam merito definiri: « *scientia veritatum divinitus revelatarum quatenus revelatae sunt* ». Quoniam vero complexus veritatum revelatarum dici solet *fides* in sensu *obiectivo*, idcirco Theologia brevius definiri potest *scientia fidei.*

4. **Theologia est scientia** — Non desunt, qui id negent, hac argumentatione innixi: ad rationem scientiae postulatur *evidentia principiorum,* ex quibus ipsa procedit. Atqui Theologia haud procedit ex principiis evidentibus quia exorditur ab articulis fidei, tamquam principiis, qui non gaudent evidentiâ: ergo Theologia non est scientia — At rectius affirmant alii, qui distinguunt — a) inter scientiam *subalternantem* et *subalternatam*; illa est, quae sua principia non mutuatur aliunde, sed habet in se et ex se; ista vero, quae sua principia mutuatur ex superiori scientia. Exemplum habes in musica, quae sua principia accipit ex arithmetica; haec subalternans, illa subalternata. Distinguunt — b) inter evidentiam *actualem* et *radicalem:* illa est, quae competit principiis seu veritatibus, quatenus in se demonstrantur; ista vero, quae competit principiis seu veritatibus, quae ex superiori scientia supponuntur esse tales. Idcirco scientia subalternans gaudet evidentia principiorum *actuali,* subalternata solummodo *radicali*, quatenus credit principiis sibi traditis a superiori scientia. Exinde — c) dicunt Theologiam esse scientiam *subalternatam* superiori scientiae, quae est scientia Dei et Beatorum, quia procedit, tamquam ex principiis propriis, ex articulis fidei, quos non demonstrat sed certos ac notos supponit in superiori scientia Dei et Beatorum. Idcirco inferunt Theologiam gaudere evidentia principiorum non *actuali*, sed *radicali.* Quibus positis ita ratiocinantur: scientia est cognitio certa et evidens per demonstrationem comparata. Atqui Theologia gaudet non modo certitudine, verum etiam evidentia

1. 1. p. q. 1. a. 7.

radicali principiorum: ergo est scientia. Tota haec argumentatio est Angelici Doctoris [1]: « Duplex est scientiarum genus. Quaedam enim « sunt, quae procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectus « sicut arithmetica, geometria et huiusmodi: quaedam vero sunt, « quæ procedunt ex principiis notis lumine superioris scientiæ, sicut « perspectiva procedit ex principiis notificatis per geometriam, et « musica ex principiis per arithmeticam notis. Et hoc modo sacra « doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine su- « perioris scientiae, quæ sc. est scientia Dei et Beatorum. Unde sicut « musica credit principia sibi tradita ab arithmetico, ita doctrina « sacra credit principia sibi revelata a Deo ».

5. **Habitudo philosophiæ ad theologiam** -- Sacra theologia -- a) a philosophia quidem *distinguitur* tum ratione *obiecti,* tum ratione *principii* cognitionis. Ratione quidem *obiecti*, quia, dum philosophia nonnisi circa ea versatur, quae naturali rationis lumine cognosci possunt, econtra Theologia ad eas quoque veritates protenditur, quae humanae rationis captum excedunt quaeque propterea nonnisi divinae revelationis subsidio cognosci possunt. Praeterea ratione *principii* cognitionis, quia in sacra theologia veritates spectantur, quatenus cognoscibiles sunt *supernaturali revelatione,* in philosophia vero, quatenus sunt obiectum *naturalis* cognitionis. At — b) philosophia a sacra theologia minime *separanda est;* sicut enim ratio humana in inquisitione veritatis suis regitur regulis ac iugiter a Deo dependet, cuius quaedam participatio est; ita et philosophia, quae tota naturali rationis lumine innititur, in suis obiectis inquirendis et stabiliendis prae oculis habeat oportet dogmata theologica, ne quid contra ipsa statuat, imo ut adamussim veritatum theologicarum rationales ipsas veritates proponat et explicet; ex quo fiet ut suarum cognitionum patrimonium novis inventis augeat et a pluribus erroribus praecaveatur — Simul autem sua vice sana philosophia viam parat ad studium Theologiae, conceptus et notiones rationales tyronibus subministrando, sine quibus theologicae veritates inintelligibiles evadunt; ac dein revelata dogmata apte illustrat et rite ordinat, ut systema religiosum supernaturale inde efflorescat.

6. **Theologiae partitiones** — Ex quadruplici capite petunt Theologi diversas Theologiae divisiones seu species, sc. ex ratione *originis, materiae, fontium, methodi.* Quae singulae divisiones suas habent subdivisiones. Itaque

1° ratione *originis* Theologia dividitur in *naturalem* et *supernaturalem,* quatenus vel solo naturali rationis lumine ducitur, vel supernaturali dirigitur revelatione. Illa quasi proprio nomine *Theodicea,* haec per antonomasiam *Theologia* appellatur. Porro — a) supernatu-

1. l. p. q. 1. a. 2.

ralis haec theologia alia est *beatorum,* qui lumine gloriae perfusi Deum facie ad faciem intuentur atque in Deo causa omnium exemplari et effectrici creaturas ipsas vident; alia est *viatorum,* qui cognitionem habent divinarum veritatum adhuc subobscuro fidei velamine et caligine obductam. Hæc — b) alia est *infusa,* alia *acquisita,* prouti vel ideae veritatum coelestium a Deo mentibus mortalium immittuntur, quemadmodum Prophetis et Apostolis factum est, vel proprio labore et studio earum veritatum cognitio acquiritur.

2° Ratione *materiæ* dividitur in *speculativam* seu *dogmaticam* et *practicam* seu *moralem:* speculativa veritates credendas proponit, practica continet applicationem veritatum credendarum ad actiones.

Dogmatica pro triplici modo, quo versari potest circa revelationis obiectum, tripliciter dividitur. Potest enim — a) singulas veritates revelatas et credendas seu dogmata fidei e propriis fontibus *eruere* et constabilire; et tunc *positiva* audit. Potest — b) veritates iam probatas *defendere* adversus fidei hostes eorumque refellere errores: et tunc *apologetica* vel *polemica* appellatur. Potest — c) veritates statutas et propugnatas ex rationis principiis necnon aptis similitudinibus et analogiis *illustrare* et *explicare;* et tunc *scholastica* nuncupatur vel a *scholasticis* professoribus, qui in publicis scholis ordinata ac scientifica methodo tradere cœperunt theologicas disciplinas, intermixtis quoque domesticis concertationibus, vel ab illa subtiliori methodo scholastica, qua utebantur. Ad rem s. Thomas: « Disputatio theolo-« gica ad duplicem finem potest ordinari. Quædam enim ordinatur « ad removendam dubitationem *an ita sit;* et in tali disputatione ma-« xime utendum est *auctoritatibus* (hæc est positiva, quæ ex Scri-« pturæ et Traditionis auctoritate statuit dogmata credenda). Quædam « vero disputatio est magistralis in scholis non ad removendum er-« rorem, sed ad instruendum auditores ut inducantur ad intellectum « veritatis, quam intendit: et tunc oportet *rationibus* inniti investi-« gantibus veritatis radicem et facientibus scire, *quomodo sit verum* « quod dicitur (quod proprie est Scholasticæ munus) » [1]. Optimus autem erit theologus, qui sobrie et discrete coniunget positivam, polemicam simul et scholasticam.

Moralis quoque suas habet subdivisiones: ea quippe — a) appellatur *speculativo-practica,* si versatur circa principia moralia primaria seu generalia — b) *casuistica,* si circa principia particularia eorumque applicationem occupatur — c) *ascetica* seu *ascesis,* si media docet quibus morum sanctitudo comparari, augeri et perfici debeat; unde definitur: « scientia seu ars sanctificationis ». Habet haec tres partes: prima est *purgativa,* qua anima ex aberratione peccati in viam sanctitatis reducitur: secunda est *illuminativa,* qua media exponuntur

1. Quodl. 4. a. 18.

progrediendi in via sanctificationis, impedimenta tollendi tum interna tum externa, quæ spirituali profectui adversantur, et virtutes variæ docentur, quae ad perfectam charitatem inducunt: tertia est *unitiva*, qua anima per vias ordinarias informatur ad purissimam charitatem [1]. Appellatur — d) *mystica*, si de sublimiori commercio animae cum Deo in oratione necnon de animarum directione in viis extraordinariis tractet. Appellatur — e) *pastoralis*, ad quam refertur *ritualis*, si circa ritus, cœremonias aliasque res versatur, quæ ad sacrum ministerium et animarum curam pertinent.

3° Ratione *fontium*, ex quibus Theologia suas ducit veritates, dividitur in *scripturalem, patristicam, symbolicam, liturgicam* et *synodicam*, quatenus doctrinam fidei educit vel ex Scripturae interpretatione, vel ex Patrum disquisitione et studio, vel ex Symbolis ab Ecclesia conditis aut approbatis, vel ex sacrarum liturgiarum studio, vel denique ex sacris Ecclesiæ conciliis.

4° Ratione *methodi* quam in exponendis veritatibus seu speculativis seu practicis sequitur, Theologia est *concionalis, homiletica, paræenetica, catechetica* et *popularis*, prouti formam induit vel *concionis* h. e. elaboratæ orationis, vel *homiliæ* h. e. expositionis alicuius loci Scripturæ *verbo ad verbum*, vel *exhortationis* ad virtutum exercitium et vitiorum fugam, vel vulgaris *instructionis*.

7. **Theologia generalis et specialis** — Antequam Theologus accedat ad singula revelata dogmata consideranda, necesse est ut quæstiones quasdam magis *generales*, prævias ac revera fundamentales expendat et solvat, de quibus nisi certo constet, nec fides nec scientifica inquisitio in singula fidei dogmata consistere poterunt. Hæ autem generales seu fundamentales quaestiones ad tres revocari possunt sc. — a) utrum revera *existat* divina revelatio. Cui quaestioni respondet *apologia christianae revelationis* seu demonstratio possibilitatis, cognoscibilitatis et existentiae divinae seu christianae revelationis. Deinde — b) oritur quaestio, quodnam medium Christus instituerit ad suam doctrinam cœlitus allatam conservandam et ad posteras generationes transfundendam. Cui quaestioni respondet disputatio *de Ecclesia*, quae vices gerens Christi, eius missionem docendi et sanctificandi homines perpetuam facit usque ad consummationem saeculi. At — c) adhuc quaeritur quomodo in ipsa Ecclesia transfundatur de generatione ad generationem divinae revelationis depositum, seu ex quibus veluti fontibus Ecclesia ipsa eruat veritates, quas credendas proponit fidelibus. Cui quaestioni respondet disputatio *de Scriptura et Traditione*, fontibus christianae revelationis. Haec pars sacrae Theologiae dicitur *generalis* seu *fundamentalis*, complectens tractatus

1. Cfr. Scaramelli *Direct. ascet.*

tres sc. *de Revelatione — de Ecclesia — de Fontibus revelationis.* His resolutis quaestionibus, procedit Theologus ad singula dogmata revelata, sub infallibili Ecclesiae magisterio, ex propriis fontibus eruenda, sub omni ratione consideranda, apte ordinanda et ex rationis principiis illustranda. Haec Theologiae pars nuncupatur theologia *specialis,* in sex tractatus partita sc. *de Deo Uno et Trino — de Deo Creatore — de Verbo Incarnato — de Gratia Christi — de Virtutibus infusis — de Sacramentis.*

8. **Loci theologici** — Horum nomine veniunt argumentorum sedes ac veluti domicilia, ex quibus Theologi suas argumentationes ducunt sive ad veritates comprobandas, sive ad errores refellendos. Dividuntur in *generales* et *particulares:* generales *duo* sunt sc. *auctoritas* et *ratio:* sic enim humana mens comparata est, ut ad assensum non moveatur nisi vel ex evidentia immediata aut mediata obiecti, vel ex auctoritate dicentis. Illud autem adverti debet cum Melchiore Cano, tractatus *de locis theologicis* parente, quod « dum in reliquis « disciplinis primum locum ratio teneat, postremum auctoritas; econtra « Theologia una est, in qua non tam rationem disputando, quam « auctoritatis momenta quaerendo sequimur » — Particulares *octo* recenseri possunt, quorum priores quinque ad auctoritatis speciem, posteriores tres ad speciem rationis pertinent. Sunt autem sequentes: Scriptura — Traditio — Ecclesia catholica — ss. Patres — Theologi et Canonistae — sana philosophia — Iurisprudentia — Historia sive ecclesiastica, sive profana. De singulis nonnihil.

1° *Scriptura* est verbum Dei ex divina inspiratione scriptis consignatum. Duplex est auctoritas Scripturae, *humana* et *divina:* illa competit Scripturae, quatenus auctores librorum Scripturae sunt homines fide digni, debita scientia et auctoritate pollentes: ista vero convenit Scripturae, quatenus haec est divinitus inspirata seu Deum habet auctorem. Theologus *divina* praesertim auctoritate Scripturae utitur in constabiliendis dogmatibus fidei — Ut autem scias, quinam sit argumentorum valor, quae ex Scriptura ducuntur, sequentia adverte — a) duplex est Scripturae sensus, *litteralis* seu *historicus* et *spiritualis* seu *mysticus;* ille est, quem verba fundunt ex immediata intentione Sp. Sancti; iste vero, quem non verba sed res per verba significata exprimunt. Sic ex. gr. vox *Ierusalem* sensu *litterali* significat ipsam materialem urbem sive muros et domos, sive populum; sensu *spirituali* vel Ecclesiam, vel animam, vel coelestem patriam, quatenus urbs Ierusalem typus est vel figura sive Ecclesiae, sive animae, sive gloriae futurae — b) Ad assequendum genuinum Scripturæ sensum imprimis et ante omnia adhibendus est canon *dogmaticus* et infallibilis a Tridentino statutus, quod est Ecclesiae iudicium et unanimis Patrum consensus — c) Semel ac constiterit de genuino Scripturae sensu sive litterali, sive mystico, ex eo desumi potest ir-

refragabile argumentum pro dogmate comprobando: uterque enim sensus vere est a Sp. Sancto intentus.

2° *Traditio* prouti a Scriptura distinguitur et est alter fons divinae revelationis, intelligitur verbum divinitus revelatum, non scriptum ex divina inspiratione, sed vivae vocis oraculo quasi per manus a Christo et ab Apostolis ad nos usque transmissum. Propterea argumenta ex divina Traditione petita eiusdem valoris et auctoritatis sunt ac ea, quae ex Scriptura ducuntur.

3° *Ecclesia* est coetus baptizatorum, eiusdem fidei christianae professione, et eorundem sacramentorum communione adunatus, sub legitimis pastoribus, praesertim vero Romano Pontifice, Christi in terris vicario. Ipsa igitur tripliciter spectari potest sc. — a) uti est *credens* seu coetus fidelium, formaliter uti sunt *credentes;* in qua quidem consideratione omnes ad Ecclesiam pertinentes comprehenduntur, sive sint simplices fideles, sive pastores — b) uti est *docens* in supremo suo capite sc. Romano Pontifice — c) uti est *docens* in corpore pastorum seu episcoporum cum capite, praesertim *in Conciliis* congregata. Porro — α) cum Ecclesia *credens* ex Apostolo sit *columna et firmamentum veritatis*, idcirco fidelium sensus et consensus in rebus fidei et morum praebet tutissimum argumentum pro fidei dogmate statuendo. Huiusmodi autem consensus maxime colligitur ex Ecclesiæ praxi et usu, ex sacris liturgiis, ex Martyrum actis, ex epigraphiis et reliquis veteribus monumentis, ex haeresum damnationibus, ex Ecclesiarum quoque acatholicarum consensu. Item — β) cum sit dogma a Concilio Vaticano definitum, oracula Rom. Pontificis *ex cathedra* loquentis, idest quando « omnium Christianorum Pastoris « et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate « doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam de- « finit », esse *ex sese infallibilia* et *irreformabilia*, idcirco argumenta quae Theologus ducit ex aliqua formali vel aequivalenti definitione Pontificis, erunt infallibilis auctoritatis ac ponderis irrefragabilis. At praeter definitiones ex Cathedra, dantur alia documenta pontificia veluti inferioris ordinis, in quibus Pontifex non intendit ultimâ ac definitivâ sententiâ quaestionem dirimere, ut e. g. sunt responsa vel decisiones doctrinales ss. Congregationum Romanarum. Documenta eiusmodi, etsi haberi non debeant tamquam infallibilia et irreformabilia, saltem *per se*, tamen auctoritatem satis gravem faciunt, atque ita, ut verus mentis assensus eisdem praestari debeat. Item — γ) cum decreta fidei et morum a Concilio oecumenico edita infallibilia sint, idcirco probationes, quas Theologus educit ex eiusmodi decretis, erunt infallibilis ponderis. Decreta autem fidei et morum Conciliorum *particularium*, sive *nationalium*, sive *provincialium*, accedente confirmatione R. Pontificis in forma *solemni*, eâ sc. qua Pontifex decreta illa *sua* facit et universae Ecclesiae imponit, infallibilia sunt; ac

propterea argumenta exinde deprompta irrefragabili vi pollent. Non ita vero decreta Conciliorum particularium, quae a R. Pontifice non sint in forma solemni approbata, quamvis gravis ponderis sint, ideoque ex his non poterit Theologus infallibiles probationes desumere.

4° *Patres*, licet vulgo appellentur quicumque christiani scriptores doctrina et antiquitate conspicui, tamen *proprio sensu* intelliguntur « viri qui doctrina eminent, sanctitate florent, antiquitate vigent, « et expressa vel tacita Ecclesiæ designatione gaudent ». Ex defectu *sanctitatis* habetur *Scriptor* Ecclesiae, ut e. g. Tertullianus, Origenes, Lactantius, Eusebius; ex defectu *antiquitatis* habetur *Doctor* Ecclesiæ, ad quem tamen necessaria est expressa Ecclesiae declaratio, ut e. g. sunt s. Thomas, s. Bonaventura, s. Alphonsus, s. Franciscus Salesius. Porro est doctrina communis inter Theologos, quod « unanimis Patrum consensus in rebus fidei et morum irrefragabile exhibet divinae revelationis argumentum »: ex quo sequitur, probationes desumptas ex communi Patrum doctrina indubiae esse vis ad stabilienda fidei dogmata.

5° *Theologi* successerunt Patribus, quorum series saeculo duodecimo clausa est cum s. Bernardo qui obiit a. 1153. Horum munus est doctrinam a Patribus acceptam nova et accuratiori methodo proponere et docere. Scholarum institutio, orta cum Anselmo archiep. cantuariensi et Petro Lombardo, supremum gloriae culmen attigit sub Alexandro Halensi, s. Bonaventura et praesertim s. Thoma. Iamvero de Scholarum auctoritate in materia fidei et morum duplex regula servanda est: *prima* est: « Consensus unanimis et constans Theologorum in doctrinam aliquam tamquam revelatam et de fide tenendam, certissimum praebet criterium divinae revelationis » — *altera* est: « Consensus unanimis et constans Theologorum in conclusionem aliquam tamquam propositionem ex revelatis deductam vel cum iis connexam, talis est auctoritas, a qua sine nota temeritatis vel etiam erroris dissentire nefas sit ». Argumenta ergo, quae ex unanimi Theologorum consensu desumuntur, peremptoria sunt ad dogmata fidei adstruenda.

6° *Philosophia* humana, quatenus est argumentorum locus Theologo inserviens, sumitur pro complexu *veritatum*, quas sana ratio demonstrat, necnon *sententiarum*, quae optimis quibuscumque philosophis probari debent. Argumenta huiusmodi si ex pura naturali ratione conficiuntur, appellantur *argumenta rationis;* talia ex. gr. sunt ea, quibus ex ordine metaphysico, physico et morali existentia Dei demonstratur; si principiis revelatis admisceantur, appellantur *argumenta rationis theologicae;* quod contingit quum ex duabus praemissis altera revelata, altera naturaliter nota, conclusio aliqua educitur. Argumenta haec rationis iuvant ad edocendos gentiles, ad convincendos rationalistas, ad instruendos fideles, ad ostendendam

harmoniam fidei cum ratione. Hisce praesertim utitur s. Thomas in utraque Summa.

7° *Iurisprudentia* idem est ac scientia Iuris sive *naturalis,* sive *civilis.* Valde utilis est Theologo; ius enim *naturale,* cum sit quaedam participatio aeternae legis Dei, plurimum conferre potest ad revelationem in parte dilucidandam, quemadmodum revelatio in pluribus magnam lucem affert legi naturali. Ius vero *civile,* praesertim *romanum* seu *commune,* mediate conferre potest ad revelationem dilucidandam, quatenus in pluribus iuvat ad ius naturale declarandum.

8° *Historia* demum, quae ex Cicerone [1] est *lux veritatis et magistra vitae,* plurimum subsidii praestat sacrae theologiae, praesertim vero historia *ecclesiastica.* Ex hac enim addiscit Theologus - a) quae fuerit Ecclesiae sive docentis sive discentis fides diversis Ecclesiae aetatibus - b) quae vera indoles controversiarum inter haereticos et catholicos — c) qui consequenter verus sensus dogmatis ab Ecclesia contra errantes asserti — d) quaenam Ecclesiae praxis et usus e. g. in materia et forma Sacramentorum in dispositionibus requisitis in subiecto sacramenti — e) quaenam rerum ecclesiasticarum origo ac diversae vicissitudines. Quae omnia eo conferunt, ut dogmata fidei valde illustrentur et confirmentur.

9. **Propositio theologica — conclusio — censura theologica** — *Propositio theologica* est affirmatio vel negatio quaelibet in materia theologica, idest in rebus fidei et morum. Aliae sunt *orthodoxae* ex. gr. Romanus Pontifex ex cathedra loquens est infallibilis — aliae *heterodoxae* ex. gr. Christus non est verus Deus — *Conclusio theologica* generatim est quaevis deductio ex principiis fidei seu revelationis derivata — *Censura theologica* est « iudicium seu sententia, qua nota aliqua prava et maligna cuidam doctrinæ inuritur tamquam fidei aliquo modo noxiae ». Duplex distinguitur, una *doctrinalis* seu a doctoribus privatis inflicta — altera *iudicialis* seu ab Ecclesia inflicta vel iudicio infallibili Pontificis aut episcoporum cum Capite docentium, vel iudicio fallibili sed auctoritativo alicuius sive episcopi sive Concilii particularis.

10. **Propositiones theologicæ orthodoxæ** — Plures recensentur sc. — a) propositio *de fide catholica* seu *de fide definita,* et illa est quae exhibet doctrinam divinitus revelatam et ab Ecclesia definitam, ut e. g.: *Christus est verus Deus.* Veritas haec revelata et definita proprio sensu appellatur *dogma* vel *articulus fidei.* At adverte: — *α*) duplex distinguitur magisterium, quo Ecclesia veritatem aliquam proponere potest: *extraordinarium* seu *solemne,* quod explicatur per *definitiones ex cathedra* RR. Pontificum — per *decreta* Conciliorum oecumenicorum — per *symbola* et professiones fidei — per

1. De orat. l. 2. c. 9. n. 36.

decreta Conciliorum particularium a R. Pontifice in forma *solemni* approbata universaeque Ecclesiae proposita: *ordinarium* seu *minus solemne* quod continetur in quotidiana, iugi et consentienti praedicatione Pastorum Ecclesiae, quodque magna saltem ex parte concretum et practicum redditur ipso cultu et praxi Ecclesiae. « Porro, « ait Conc. Vatic. [1], fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, « quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia « sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio tam- « quam divinitus revelata credenda proponuntur ». Praeterea — β) cum Ecclesia definiverit, Scripturam sacram continere verbum Dei, idcirco si quae veritas adeo clare in ipsa continetur ut a nemine negari possit, affirmandum videtur, talem veritatem dici posse et debere *de fide catholica,* quin ulteriori Ecclesiae definitione opus sit. Ita censet cum pluribus De-Lugo [2]. Advertit vero Angelicus [3] illum qui huiusmodi veritates negaret, haereticum esse non *directe* sed *indirecte,* quatenus sc. praesumitur credere aliquid falsi contineri in Scripturis ideoque Ecclesiam errasse in definienda divinitate S. Scripturae. Accedit — b) propositio *de fide divina* simpliciter, illa sc. quae doctrinam quidem continet divinitus revelatam, at nondum ab Ecclesia definitam. Hæc dicitur quoque propositio *proxima fidei (catholicæ)* vel etiam *de fide definibili, ad fidem pertinens, fide certa,* quamquam alii aliter hos terminos intelligant. Venit — c) propositio *de fide ecclesiastica* seu *mediate divina,* illa sc. quae continet quidem doctrinam ab Ecclesia definitam, non tamen revelatam sed cum revelatis intime connexam: talis est e. g. veritas de necessitate civilis principatus R. Pontificis ad ipsius independentiam tutandam. Propositio eiusmodi dicitur de fide *ecclesiastica,* quia creditur non propter auctoritatem Dei, cum desit revelatio, sed propter auctoritatem Ecclesiae definientis: et quia veritas est divinitus revelata, magisterium infallibile Ecclesiae ad eas quoque veritates extendi, quae cum revelatis connectuntur, idcirco propositiones eiusmodi dicuntur quoque *de fide mediate divina.* Sequitur — d) propositio *communis* vel *theologice certa,* illa sc. quae licet obscurius in revelatione contineatur, ita tamen communiter a Theologis docetur, ut sine temeritatis nota reiici non possit. Denique — e) propositio *probabilis* vel *probabilior* sc. illa, quae non indubiis argumentis innititur, ac proinde hinc inde defenditur et negatur, ut e. g. propositiones de praedestinatione *ante* vel *post* praevisa merita — de gratia efficaci *ab intrinseco* vel *ab extrinseco.*

11. **Propositiones theologicæ heterodoxæ** — Diversae sunt pro diversa censura theologica, quam Ecclesia infligit. Sunt autem iuxta praedescriptam seriem propositionum orthodoxarum — a) propo-

1. Const. *Dei Filius* c. 3. — 2. Disp. 20. s. 2. n. 58. — 3. in 1. Cor. 11. lect. 4.

sitio *haeretica*, quae directe adversatur propositioni, quae est *de fide catholica* — b) propositio *hæresi proxima*, quæ adversatur propositioni *de fide simpliciter divina* seu *fidei proximae* — c) propositio *erronea* quae generatim aliquem errorem enunciat praecisione facta a propositione orthodoxa, cui opponitur; vel speciatim adversatur propositioni *de fide ecclesiastica* — d) propositio *temeraria*, quae opponitur propositioni *theologice certae* — e) propositio *haeresim sapiens* vel *de haeresi suspecta*, quae duplicem admittit sensum, *catholicum* et *haereticum*, ita tamen ut sensus *haereticus* praevaleat, ratione habita sive verborum quibus exprimitur, sive personarum a quibus profertur, sive adiunctorum contextus ex quo propositio desumitur. Sic. e. g. propositio haec: *fides iustificat:* orthodoxa est in ore Catholici, heterodoxa in ore lutherani — f) propositio *schismatica*, quae inducit divisionem in Ecclesia, separando subditos a legitimis pastoribus, praesertim membra a supremo Capite R. Pontifice. Veniunt denique — g) propositiones veluti inferioris ordinis, quae dicuntur *seditiosae, blasphemae, male sonantes, piarum aurium offensivae.* Advertendum est, quandoque Ecclesiam singulis propositionibus, quas damnat, singulas ac proprias apponere censuras; quandoque vero, pluribus recensitis propositionibus, eas damnare summatim et in *globo*, subiectis pluribus censuris, quin una potius quam altera singulis propositionibus infligatur. In primo casu censura dicitur *categorica* et est infallibiliter certum singulas propositiones suam illam mereri censuram: in altero casu dicitur *cumulativa* et vi huius censurae nulla est ex damnatis propositionibus, quae aliquâ ex recensitis censuris non feriatur.

12. **Certitudo conclusionis theologicæ** — Sequentes regulae servandae sunt: — a) Conclusio deducta ex duabus præmissis revelatis, ex omnium consensu censenda est revelata: ex gr. « Deus est « immortalis, omnipotens, immensus etc.....: atqui Christus est verus « Deus: ergo Christus, qua Deus, est omnipotens, immortalis, im- « mensus, etc... » — b) Conclusio deducta ex una praemissa non revelata et altera naturaliter nota, censeri debet revelata, si praemissa non revelata assumitur solummodo ad explicandam praemissam revelatam, h. e. si syllogismus est *explicativus*, ut aiunt. Ex. gr.: « Christus est homo: atqui homo est animal rationale: ergo Christus est animal rationale ». Denique — c) si praemissa non revelata assumitur non simpliciter ad explicandum, sed etiam ad inferendum, ita ut conclusio nitatur etiam bonitati illationis, h. e. si syllogismus est *illativus*, ut aiunt, conclusio inde deducta non est censenda revelata: ex. gr.: « R. Pontifex independens sit oportet in exercitio apostolici « ministerii: atqui ad hanc independentiam tutandam omnibusque « populis christianis certam reddendam necessarius est civilis princi- « patus; ergo R. Pontifici civilis principatus necessarius est ».

13. **Praestanda a sacrae Theologiae explanatore** — Ut

singularum quaestionum tractatio ordinata et completa evadat, *tria* necessaria esse videntur sc. — a) *accurata expositio status quaestionis,* ad quod tria pertinent: sc. explicare terminos scitu necessarios — errores exponere circa præsentem materiam — adducere Ecclesiæ doctrinam illuc spectantem. Accedit — b) *clara et concinnata enunciatio propositionis* defendendae necnon eiusdem propositionis *demonstratio.* Huc pertinet *qualificare* doctrinam defendendam h. e. determinare certitudinis gradum, quem obtinet in categoria propositionum orthodoxarum — ordinate adducere argumenta, illud advertendo quod argumenta non sunt multiplicanda, sed ponderanda — in hisce exponendis servare formam syllogisticam. Denique — c) *solutio potiorum difficultatum.*

14. **Dispositiones in Theologiae discipulo** — Aliae sunt naturales, aliae supernaturales seu spirituales. *Naturales* sunt: — a) intellectus sanae philosophiae studio excultus — b) memoriae adiumentum: — c) sedulus ac diligens in studendo labor. *Spirituales* vero — α) *fides* iuxta illud 70 Interpretum: « *Nisi credideritis, non intelligetis* »: et s. Anselmi: « *Credo ut intelligam* ». Et merito: nisi enim menti insideat docilitas ad prompte excipienda quae sunt divinitus revelata, quomodo vera tenebit Theologus illa fidei dogmata, quæ superant captum rationis? Hinc Christus [1]: « *Confiteor tibi Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis* ». Deinde — β) *pietas*, ad quam tria spectant sc. *puritas* intentionis et cordis iuxta illud Christi [2]: « *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt* » — « *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* » — *humilitas* mentis et cordis, ita ut prae oculis iugiter habeatur illud Apostoli [3]: « *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* » — fervens *oratio:* nam « *Deus scientiarum Dominus est* [4] »: propterea « *si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter... Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* ».

Hisce praesidiis munitus accede, dilectissime iuvenis, ad fontem sapientiae, accede ad nobilissimam scientiarum reginam, *et ipsa deducet te per vias rectas, et ostendet tibi regnum Dei, et dabit tibi scientiam sanctorum, et honestabit te in laboribus et complebit labores tuos.*

1. Matth. XI. 25. — 2. Matth. V. 8. - Luc. XI. 36. — 3. Rom. XII. 3. — 4. II. Reg. II. 3.

TRACTATUS I.

De vera eaque revelata religione

CAPUT I.

De Religione in universum.

1. **Religionis definitio** (n. 1-2) — *Religionis* nomen communius cum Lactantio [1] a *religando* ducunt Auctores, quia religionis est homines ligare Deo per cognitionem et amorem, cui iam *naturâ* devincti sunt: quo in sensu Augustinus: « Religet nos religio uni omnipotenti Deo » [2]. Sive igitur spectetur ratio etymologica vocis, sive communis acceptio, religio recte definitur: « *moralis coniunctio hominis cum Deo* » [3].

2. **Religio obiectiva et subiectiva** (n. 3) — Prima religionis partitio est in *obiectivam* et *subiectivam*. Religio *obiectiva* est « *complexus officiorum, quibus homo Deo obsequium et honorem exhibere tenetur* » — *Subiectiva* est « *virtus moralis, qua homo Deo praestat obsequium et honorem ipsi debitum* » [4]. Ex qua religionis *subiectivæ* definitione habes — a) *materiale* obiectum religionis *immediatum*, seu obiectum *quod*, esse cultum Deo præstandum, *mediatum* seu *cui* esse ipsum Deum — *formale* vero esse *honestatem* in eo sitam, quod Deus honoretur ob suam excellentiam. Unde inferes religionem non esse virtutem *theologicam* sed *moralem* [5]. Habes — b) actus religionis alios esse *interiores* sc. internis tantum facultatibus elici, alios *exteriores* sc. per sensus exterius prodire: hinc divisio cultus in *internum* et *externum* [6]. Habes — c) actus religionis alios esse *elicitos*, alios *imperatos*. Actus *eliciti* illi dicuntur, qui a religione procedunt, tamquam actus *proprii* et *immediati*, ut ex. gr. oratio, adoratio, votum, sacrificium: actus *imperati* sunt actus proprii aliarum virtutum, quibus homo ordinatur ad Deum et qui propterea a religione imperantur [7].

---

1. *Divin. Inst.* l. 4. c. 28. - cfr. Cicero *De natura Deorum*, l. 2. c. 28. — 2. *De vera Relig.* c. ult. - cfr. *De civ. Dei* l. 10. c. 4. — 3. cfr s. Th. 2. 2. q 81. a. 1. — 4. cfr. s. Th. a. 2. — 5. ib. a. 5. — 6. cfr. s. Th. a. 7. — 7. ib. a. 1. ad 1.

Habes denique — d) religionem dici posse virtutem et *particularem* et *generalem*. Est virtus *particularis* quatenus habet suum *formale* obiectum a ceteris virtutibus distinctum [1]: est *generalis* quatenus ceteras virtutes movet, ita ut eius exercitium et meritum in cuiusvis virtutis actu contineatur.

3. **Religio naturalis et supernaturalis** (n. 4) — Altera religionis partitio est in *naturalem* et *supernaturalem*, idque duplicitur, tum ratione *obiecti*, tum ratione *fontis*. Ratione quidem *obiecti* est *naturalis*, si veritates, quas continet, sunt naturali lumine cognoscibiles, *supernaturalis*, si veritates rationis captum excedunt — ratione autem *fontis* est naturalis vel supernaturalis, quatenus veritatum cognitio vel solius rationis lumine, vel supernaturali Dei revelatione comparatur. Unica vera religio in praesenti providentiae ordine est religio *revelata*, quae pro diversis humani generis statibus dividitur in *primævam* seu *patriarchalem* — *iudaicam* seu *mosaicam* — *christianam*.

4. **Religio theoretica et practica** (n. 5) — Tertia religionis partitio est in *theoreticam* seu *dogmaticam* et *practicam* seu *moralem*. Summa veritatum determinantium relationes inter Deum et hominem appellatur religio *theoretica*, summa autem officiorum, quae ex praefatis relationibus deducuntur quaeque homini præscribuntur ad rite colendum Deum, religio *practica* nominatur. At manifestum est eas esse duas partes unius eiusdemque integrae religionis.

5. **Systemata religioni adversantia — Indifferentismus** (n. 6) — Systemata, quæ religioni adversantur, ad duo reducuntur sc. ad *indifferentismum* et ad *liberalismum* — Indifferentismus — a) alius est *absolutus*, alius *relativus*. Primus negat ethicam religionis necessitatem vel pro homine individuo, vel saltem pro hominum societate, quatenus statuitur religionem nullum in societatem salutarem influxum exercere — Indifferentismus autem *relativus* tenet, varias religiones esse aeque bonas et utiles ad salutem. Ex quo systemate efflorescunt propp. 15. 16. 17. in Syllabo damnatae: « Liberum cuique « homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine « quis ductus veram putaverit » — « Homines in cuiusvis religionis « cultu æternam salutem assequi possunt » — « Saltem bene sperandum « est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia « nequaquam versantur » Deinde — b) indifferentismus *relativus* diducitur in *universalem* et *particularem*. Primus praedicat omnes religiones in mundo existentes aeque bonas esse ad aeternam salutem — alter statuit saltem omnes christianas sectas ad aeternam salutem posse conducere: hinc prop. 18. Syll. « Protestantismus non « aliud est, quam diversa verae eiusdem christianae religionis forma « in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est ». Ab

1. ib. a. 4.

indifferentismo *relativo* — c) vix differt *tolerantia religiosa*, sive *dogmatica*, sive *politica*. Prima est: « *professio bonitatis omnium religionum* « *omniumque sectarum ad salutem consequendam* »: altera est: « *illa* « *legum dispositio, qua quivis cultus in civili societate permittitur,* « *vel etiam aequalis protectio cuiusvis cultus externae professioni pro-* « *mittitur* ». Unde seqq. propp. in Syll. 77: « Ætate hac nostra non « amplius expedit religionem catholicam haberi tamquam unicam « Status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis »: et 78: « Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus « lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum « proprii cuiusque cultus exercitium habere ».

6. **Liberalismus** (n. 7-9) — Hoc systema — a) a perversa libertatis notione principium habet et *formaliter* situs est *in libertatis abusu*. Etenim *libertas*, ex liberalium sententia, est facultas agendi quod cuique placet et libet, ac propterea est origo et fons totius sive personalis, sive socialis prosperitatis. Quo semel constituto, sequitur quemque sibi esse legem nullamque esse, cui parendum sit, divinam potestatem: consequenter liberalismum esse humanae voluntatis rebellionem in Deum, sicut rationalismus est rebellio humani intellectus in primam veritatem. Et quoniam voluntatis est ceteris potentiis imperare easque regere, eius rebellio ceterarum facultatum rebellionem necessario secum fert, ipsaque omnium nomine dicit: *non serviam*. Tamen — b) liberalismus alius est *absolutus* seu *satanicus*, alius *mitior* quem *temperatum* dicere possumus. *Absolutus* est, in quo ratio systematis plenissime reperitur, quique definiri potest: « *Sy-* « *stema, quo ex perverso libertatis conceptu defenditur, sibi quemque* « *in actione vitae esse legem, nullamque divinam potestatem homini* « *antistare* » -- *Temperati* autem liberalismi *duplex forma* distinguitur: *prima* forma est *practicus incredulismus* qui statuit, obediendum quidem esse legi naturali et aeternae, non autem legibus divino-positivis — *altera* forma statuit, privatorum quidem vitam adamussim legum positivo-divinarum esse regendam, non autem societatem. Hæc altera forma triplici gradu sese explicat: — α) *primus* statuit omnimodam separationem Status ab Ecclesia iuxta propp. 55. Syll.: « Ecclesia a Statu Statusque ab Ecclesia seiungendus est »: necnon prop. 1. damn. in Encycl. *Quanta cura* Pii IX. (8 dec. 1864): « Optima « societatis publicae ratio civilisque progressus omnino requirit, ut « humana societas constituatur et gubernetur nullo habito ad reli- « gionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto « veram inter et falsam religionem discrimine »: — β) *secundus* gradus statuit, Ecclesiam minime gaudere iuribus *societatis perfectae*, iuxta prop. 19. Syll. « Ecclesia non est vera perfectaque societas « plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi « a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire

« quae sint Ecclesiae iura ac limites, iuxta quos eadem iura exer-« cere queat »: — γ) *tertius* gradus est eorum sententia, qui volunt ut Ecclesia progressui ac temporum adiunctis sese accommodet, ut ex pr. 80. Syll. « R. P. potest ac debet cum progressu, cum libera-« lismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere ». Demum — c) prae oculis haberi debent diversae formulae, quibus utuntur liberales quaeque sunt *libertas cultus — libertas conscientiae — libertas loquendi, scribendi et docendi* — Has formulas damnaverat iam Pius IX. in Syll. prop. 79. « Enimvero falsum est civilem « cuiusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus « attributam qualisbet opiniones cogitationesque palam publiceque « manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius « corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam »: et prop. 48.: « Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae ratio, quae « sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta » [1].

Porro, dilatis nunc quaestionibus ad Ecclesiam spectantibus, seqq. conclusionibus unice immoramur in refellendis expositis systematibus qua parte religionem *in universum* impetunt.

7. **Conclusio I.** « *Religio — 1° est ethice necessaria homini individuo — 2° necnon societati: et quidem — 3° religio revelata, si haec forte existat* » (n. 11-15).

Prob. 1. pars — Religio est moralis coniunctio hominis cum Deo, quae perficitur actibus intellectus et voluntatis, quibus homo Deo adhaeret (n. 1). Atqui recta ratio demonstrat, hominem debere Deo adhaerere intellectu et voluntate: ergo — *Prob. min.* — a) ex idea *creatoris*. Deus enim, praecise quia creator est, respectu hominis est supremus *dominus — rex — benefactor — pater*. Atqui recta ratio dictat domino debitum esse obsequium, regi honorem, benefactori grati animi sensus, patri amorem ac reverentiam. Ergo naturalis ratio dictat hominem debere devinciri Deo actibus obsequii, honoris, gratitudinis, amoris ac reverentiae seu vinculo religionis. Item — b) ex ratione *ultimi finis* hominis. Nam recta ratio hominem iubet ad ultimum suum finem actibus suis iugiter tendere: ergo ipsum iubet per intellectum veritatem perpetuo sectari, per voluntatem bonum honestum prosequi, atque felicitatem expectare ex veri bonique possessione necnon fruitiones repellere, quae in ipso fundamentum non habent. Atqui Veritas et Bonitas, a qua omne verum omneque bonum procedit, profecto est Deus — ipse est supremus felicitatis fons. Ergo recta ratio hominem iubet Deo adhaerere, primae veritati omniumque bonorum fonti.

Prob. 2. pars — Corollarii instar sequitur haec pars ex antea dictis. Nam fundamentum obligationis religionem profitendi pro homine

1. Cfr. Encycl. *Libertas* Leonis XIII. 20 iun. 1888.

individuo est essentialis ipsius dependentia a Deo, tamquam a primo principio et ultimo fine. Atqui non minus hominum societas, quam privati homines a Deo dependent: ergo — Accedit quod civilis societas salva consistere nequit absque officiis iustitiae, fidelitatis, mutuae dilectionis, quibus vinciuntur homines in societate. Atqui, si religionem a societate demas, haec officia corruant necesse est, tum quia sublata religione, ruit quæcumque moralis obligatio, tum quia religione sublata deest cuiuscumque legis et obligationis sufficiens sanctio. Hinc pr. 56. Syll. « Morum leges divina haud egent sanctione, « minimeque opus est, ut humanæ leges ad naturæ Ius conformentur, « aut obligandi vim a Deo accipiant ». Ad rem igitur s. Augustinus: « Aliter homo servit Deo, quia homo est, aliter quia rex est. Quia « homo est, ei servit vivendo fideliter: quia vero etiam rex est, servit « leges iusta praecipientes et contraria prohibentes convenienti rigore « sanciendo » [1].

Prob. 3. pars — Haec pars est corollarium ex præcedentibus eamque sic egregie probat Leo XIII. (cit. Encyc.): « Si est Dei legislatoris « obediendum voluntati, quia totus homo in potestate est Dei et ad « Deum tendit, consequitur posse neminem auctoritati eius legiferae « fines modumve praescribere, quin hoc ipso faciat contra obe- « dientiam debitam. Imo vero si tantum sibi mens arrogarit humana, « ut quae et quanta sint et Deo iura et sibi officia, velit ipsa decer- « nere, verecundiam legum divinarum plus retinebit specie, quam re, « et arbitrium eius valebit prae auctoritate et providentia Dei. Ne- « cesse est igitur vivendi normam constanter religioseque, ut a « lege aeterna, ita ab omnibus singulisque petere legibus, quas « infinite sapiens, infinite potens Deus qua sibi ratione visum est, « tradidit, quasque nosse tuto possumus perspicuis ac nullo modo ad- « dubitandis notis ».

8. **Corollaria** (n. 16) — Ex datis argumentis falsum est dicere — a) cum *Kantianis* religionem solummodo necessariam esse tamquam medium requisitum ad moralitem cognoscendam: vel — b) cum *Eudæmonistis* religionem ex eo tantum necessariam esse, quia est medium ad felicitatem: vel — c) cum *Macchiavelli* religionem non esse necessariam nisi ut medium ad externam securitatem in civili societate obtinendam.

9. **Conclusio II.** « *Vera religio* — 1° *nonnisi una est* — 2° *quam propterea civilis societas unice promovere debet* — 3° *ita ut nonnisi per accidens tolerantia politica licita sit* » (n. 17-21).

Prob. 1. pars — In religionis conceptu tria continentur sc. Deus colendus — homo qui religionem profiteri tenetur — motivum religionis profitendae. Atqui — a) verus Deus nonnisi *unus* est, qui simul

1. Ep. 185, al. 50, ad Bonif.

delectari nequit veritate et mendacio, virtute et vitio: — b) humana natura eadem est in omnibus individuis speciei humanæ: — c) fundamentum seu motivum profitendæ religionis ex parte hominis idem est in omnibus hominibus sc. hominis a Deo dependentia eiusque ad Deum ordinatio ut ultimum finem: ergo.

Dum autem, hisce spectatis, religio naturalis nonnisi *una* esse dicitur, talem *unicitatem* intelligimus quoad *substantiam* religionis, quæ in eo sita est, ut veritates omnes religiosæ et morales ordinis naturalis tum theoreticæ tum practicæ teneantur, ex. gr. quod Deus existat, quod sit unus, quod sit colendus convenienti cultu, nullo sc. errore nulloque vitio infecto, quod anima sit immortalis, quod sit vita futura, in qua boni praemiantur et mali affliguntur etc... Cultus autem seu *modus,* quo practice religio exhibetur, varius esse potest apud diversos populos pro diversis societatum institutis et moribus.

Prob. 2. pars — Cum — a) societas teneatur, qua societas est, religionem profiteri, haecque nonnisi una sit, sequitur societatem debere hanc unice agnoscere ac profiteri. At praeterea — b) unitas in vera religione ad civilis societatis bonum apprime conducit. Societas enim est *concors hominum multitudo*: ergo eo melius erit constituta et ad finem consequendum disposita, quo maior erit civium inter se et cum auctoritate concordia. Atqui concordiam promovet unitas religionis, discordiam fovet pluralitas cultuum, ut ostendit ipsa hominis natura veritatis cupida, necnon experientia: ergo.

Prob. 3. pars — « Duplici ex causa, ait Tarquini [1], tolerantia poli-
« tica est illicita: tum quia nefas est cooperari superstitioni heterodo-
« xorum: tum quia nefas est catholicos periculo seductionis expo-
« nere. Inde consequitur, ad eam honestandam eas conditiones ne-
« cessarias esse, quae ad honestandam cooperationem alterius pec-
« cato, tum ad licite sese exponendum occasioni sive periculo peccandi
« communiter a TT. traduntur ». Accedit, regimen humanum imitari debere divinum, quod videmus mala permittere ne maiora mala sequantur [2]. « At, prosequitur Tarquini, nihil in hac re inconsulto
« S. Pontifice est decernendum, tum quia agitur de casu gravissimo
« circa statum Ecclesiae, de quo nonnisi S. Pontifex iudicare potest,
« tum quia haec tolerantia civilis per se legibus ecclesiasticis (quae
« in lege naturali et divina fundantur) prohibita est ».

10. **Solvuntur difficultates** (n. 22-26). *Obiectio I. — Religio est libera dependentia hominis a Deo: ergo.*

Resp. Libertas — a) non importat independentiam a lege, ut supponunt adversarii, sed secundum essentialem suum conceptum est *vis electiva mediorum* [3]. Quia vero voluntas finita inter bonum

1. *Iuris. eccl.* l. 1. n. 62. ad 1. in nota. — 2. cfr. s. Th. 2. 2. q. 10. a. 11. — 3. *S. Th.* 1. q. 83. a. 3. et 1. 2. q. 7.

et malum eligere potest, idcirco aptis adiumentis est munienda, quæ sunt *lex* et *gratia* — lex quidem tamquam norma iuxta quam voluntas agere debet, tamquam *lux* demonstrans bonum prosequendum et malum vitandum — gratia vero uti infirmitatem humanam confortans ad bonum agendum et ad malum aversandum. Hinc *libertas humana* sic apte definiri potest: « *ipsa hominis voluntas, quatenus sub lege dirigente vim habet eligendi praevia mentis cognitione* ». Hinc — b) duplex libertas sc. *physica* et *moralis*. Libertas *physica* est « illa *prærogativa voluntatis, qua, positis omnibus ad agendum requisitis, voluntas potest agere vel non agere, vel ita unum agere ut aliud etiam agere possit* » — libertas *moralis* est eadem voluntas, quatenus in suis actibus dirigitur a lege, quae circumscribere potest libertatem physicam, haecque ea est quam supra definivimus. Contingere ergo potest, ut quod est *physice* liberum, *moraliter* non sit in hominis potestate propter legem prohibentem, ideoque sit illicitum. Ex quibus — c) patet solutio difficultatis. Religio sita est in *libera* hominis dependentia a Deo, seu in morali hominis cum Deo coniunctione. At homo dicitur esse liber profitendi vel non profitendi religionem libertate *physica*, ex quo fit ut si religionem profitetur, in hoc mereatur; at minime *morali* libertate, quia, uti vidimus, lex ipsa naturalis hominem iubet religionem profiteri.

11. *Obiectio II. — Si societas civilis orthodoxa potest et debet promovere unitatem verae religionis, idem ius idemque officium competet societati heterodoxae quoad suam religionem, quam putat esse veram.*

Resp. — Nego parit. et supp. In hac enim obiectione supponitur *errori* eadem iura competere ac *veritati*, eo saltem nomine, quod talem se non existimat; quod idem est ac dicere, *amentibus* eo saltem nomine, quod tales non se existimant, eadem iura competere, quae *mente sanis*. Interim haec tria advertantur: — a) *vera religio* (quae in praesenti ordine est religio *christiana*), non nititur opinione propria sed divinis testimoniis edocetur, in se una esse veritatem, in ceteris errorem: — b) *heterodoxi*, quousque in bona fide manent, eodem iure pollent ac amentes, quibus nihil imputatur ex iis, quae in amentia agunt: — c) quod denique pertinet *ad rem ipsam*, vera religio iis resplendet radiis veritatis et divinitatis, ut quidquid sit de interna bona fide heterodoxorum, ea saltem in foro externo nemini probari possit [1].

12. *Obiectio III. — Iura et officia societatis ex ipsius fine desumuntur. Atqui societas civilis pro fine habet felicitatem temporalem: ergo ad ipsam nihil pertinet de religione.*

Resp. — Dist. mai. ex fine adæquato sc. directo et indirecto, *conc.* inadæquato, *nego*. Dist. min. directo, *conc.* adæquato, *nego*. Finis enim

1. Cf. Tarquini *Op. cit.* ib. ad 3.

civilis societatis *proprius* et *directus* est felicitas temporalis, religiosae vero est spiritualis felicitas. At quia felicitas temporalis non est a spirituali separata, imo ipsi subordinatur, ac praeterea eadem sunt utriusque societatis membra, idcirco civilis societas non est separanda a religiosa societate, sed ipsi est subordinanda. Quare societas civilis nihil potest in iis, quæ ad religionem pertinent, tamquam *in propria materia;* tamen propter suam subordinationem ad societatem religiosam curare debet sub debita dependentia ea, quae ad bonum religionis pertinent: et sub hoc respectu ea, quae sunt religionis, *indirecte* evadunt materia civilis potestatis.

13. **Corollaria** (27-28) — Ex dictis sequitur — a) distinguendum esse inter *errores et errantes*. Error nullum habet ius existendi, ideoque nunquam tolerantiam meretur: errantes e contra et diligendi sunt et sub debitis cautionibus tolerandi iuxta illud Augustini: « Diligite homines, interficite errores » [1]. Sequitur — b) tolerantiam politicam, quando quibusdam in casibus licita esse potest, non posse consistere in aequali protectione, quae cuilibet religiosae professioni concedatur; sed esse tantum simplicem non prohibitionem externi cultus, simul tamen coniunctam cum industria et sollicitudine falsos cultus paulatim extinguendi, donec sola vera religio in societate obtineat.

CAPUT II.

De divina revelatione.

14. **Prologus** (n. 28) — Nunc ad religionem *revelatam* seu *christianam*. Antequam vero eam expendamus, perscrutari nos oportet divinae revelationis naturam et proprietates, quae ad tres reducuntur sc. ad eius *possibilitatem*, *necessitatem* ac *cognoscibilitatem*.

ARTICULUS I.

De divinae revelationis possibilitate.

15. **Revelationis notio et partitio** (n. 29) — *Revelationis* nomine heic intelligitur manifestatio veritatis. Ipsa — a) ratione *revelantis* alia est *humana*, alia *divina*. Haec — b) ratione *medii obiectivi* manifestationis est *naturalis* vel *supernaturalis*, prouti Deus hominem edocet vel per naturale humanae rationis lumen ab hoc spectabili uni-

1. *Serm.* 49. n. 8.

verso ad invisibilia Creatoris assurgentis, vel per medium extra naturae vires positum. Revelatio supernaturalis — c) ratione *revelatarii* est *immediata* vel *mediata*. Revelatio immediata — d) ratione *modi*, quo fit aut fieri potest, dividitur in *intellectualem, imaginariam* et *sensitivam* prouti Deus vel movet hominis intellectum per signa spiritualia sc. infundendo ideas — vel movet phantasiam sc. imprimendo phantasmata per quæ intellectus veritatem percipere possit: — vel movet sensus per signa materialia seu producendo signa materialia per quae intellectus, mediantibus sensibus externis ac phantasiâ, percipere possit veritates, quas per talia signa Deus manifestare intendat [1]. Denique — e) cum ex Conc. Vat. [2] duplex sit genus veritatum, idest *rationalium* quae per lumen rationis cognoscibiles sunt, et *superrationalium* quae captum rationis excedunt, quaeque propterea absque revelationis subsidio cognosci nequeunt, hinc ratione *obiecti* revelatio *formalis* est manifestatio veritatum rationalium, revelatio *materialis* est manifestatio veritatum superrationalium. De utraque nobis agendum est et definitur: « *Locutio divina, qua Deus suae testificationis auctoritate interposita homines erudit ad salutis viam capessendam* ».

16. **Mysterium** (n. 30-33) — Praestat nunc genuinum conceptum exponere veritatis *superrationalis* seu *mysterii*, quo nomine generatim intelligitur « *veritas arcana, quae vel nullatenus vel nonnisi magno cum labore cognosci potest* ». Mysteria — a) alia sunt *naturalia*, quatenus vel veritas ita latet, ut tamen *modus* manifestationis vires naturae non excedat, quo sensu secreta cordium mysteria dici possunt — vel etiam veritas aliqua *rationalis* cognoscitur quidem quoad *existentiam*, at non perfecte quoad *essentiam*, ut ex. gr. unio animae cum corpore. Alia — b) sunt *supernaturalia*, quae sunt *secundi ordinis*, si veritas *superrationalis* cognita per revelationem quoad *existentiam*, postea perfecte intelligitur quoad *essentiam* (veritas *praeterrationalis*), ut e. g. infallibilitas R. Pontificis: — sunt *primi ordinis*, si etiam revelatione facta, veritas adhuc latet quoad *essentiam* (veritas *superrationalis*), ut ex. gr. Trinitas divina. Denique — c) ratione creati intellectus sunt *absoluta* vel *relativa*, quatenus vel pro *quovis* intellectu, vel pro *aliquo* tantum sunt mysteria. Mysterium simpliciter dictum intelligitur *supernaturale primi ordinis*, quod sic definiri potest: « *Veritas intellectum creatum sic excedens, ut ante revelationem lateat quoad existentiam, post revelationem adhuc lateat quoad essentiam* » [3]. Ex quo mysterii conceptu, communi apud Theologos et doctrinae Conc. Vatic. innixo [4], patet errasse Rosminium, iuxta quem mysterium est veritas, quae, supposita revelatione, potest demon-

1. cfr. s. Th. 2. 2. q. 173. a. 2. — 2. Const. *Dei Filius* c. 2. — 3. Const. *Dei Filius* c. 4. — 4. cfr. Conc. Later. IV. c. *Damnamus*.

strari argumentis mere speculativis, negativis quidem et indirectis, huiusmodi tamen, ut veritas illa ad philosophicas doctrinas revocetur, atque fiat propositio scientifica, sicut ceterae [1].

17. **Rationalistæ et naturalistæ** (n. 34) — Porro contra possibilitatem revelationis stant *rationalistæ* et *naturalistæ*. Hi enim statutis duobus principiis, quae enunciantur in propp. 3. et 4. Syll., nempe: « Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus « est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et natura- « libus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum suf- « ficit » — « Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis « vi derivant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem « omnium cuiuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat »: exinde inferunt — a) nulla dari mysteria: — b) revelationem *supernaturalem* esse impossibilem utpote quae humanae rationis dignitati ac Deo ipsi adversaretur: — c) revelationem tantum *naturalem* esse admittendam. Illud autem interest inter rationalistas et naturalistas, quod illi agnoscant, isti negent curam providentialem Dei homines in religionis negotio dirigentis. Porro ad catholicam doctrinam vindicandam sequentes conclusiones statuimus.

18. **Conclusio I.** « *Possibilis est divina supernaturalis revelatio tum — 1° immediata — 2° tum mediata* » (n. 36-38). Haec conclusio est *de fide catholica:* « Si quis dixerit fieri non posse aut non « expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei « exhibendo edoceatur, A. S. » [2].

Prob. 1. pars — Si qua esset immediatae revelationis repugnantia, ea petenda esset vel ex parte *Dei* — vel ex parte *hominis* — vel ex parte *rerum revelatarum*. Atqui non *primum:* cum enim Deus sit *omniscius* et *omnipotens* ac naturalis hominum *dominus*, *magister* et *pater*, profecto veritates revelandas apprime cognoscit optimeque poterit tamquam dominus suam homini voluntatem manifestare, tamquam pater suae bonitatis consilia filio communicare, tamquam magister utiles veritates discipulum edocere — Non *secundum:* si enim homo ab hominibus edoceri potest, cur non item a scientiarum domino et patre luminum? — Non *tertium:* veritatis enim proprium est ut manifestetur atque intellectum se ipsâ imbibat et repleat.

Dices forte: nonne ratione exornavit nos Deus ad inquirendam cognoscendamque veritatem? — *Resp.* revelationem non excludere munera rationis. Nam « in sacra doctrina possumus philosophiâ « tripliciter uti: *primo* ad demonstrandum ea quae sunt praeambula « fidei — *secundo* ad notificandum per similitudines ea quae sunt « fidei — *tertio* ad resistendum iis quae contra fidem dicuntur, sive « ostendendo esse falsa, sive non esse necessaria » [3].

1. cfr. prop. 25. damn. decr. *Post Obitum* 14 dec. 1887. — 2. Const. *Dei Filius* c. 2. can. 2. — 3. S. Th. *in Boëth. (De Trin.* q. 2. a. 3.).

Prob. 2. pars — Ut possibilis censeatur revelatio *mediata* duo requiruntur et sufficiunt: — a) ut revelatas veritates Deus servet integras et incorruptas in cursu subsequentium temporum: — b) ut certis argumentis eas quovis tempore hominibus credibiles reddat. Atqui id utrumque inficiari Deo possibile esse idem est ac eius omnipotentiam in dubium vocare: ergo.

19. **Conclusio II.** « *In ordine cognoscibilium* — 1° *existunt mysteria* — 2° *quorum revelatio possibilis* — 3° *atque utilis est* » (n. 39-40-44) — Haec conclusio est *de fide:* « Si quis dixerit in revelatione « divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa « fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus « principiis intelligi et demonstrari, A. S. » — « Si quis dixerit « hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, « divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnem tandem veri « et boni possessionem iugi profectu pertingere posse ac debere, « A. S. » [1].

Prob. 1. pars — Mysteriorum existentiam exigit essentiale discrimen, quod interest inter intellectum finitum et infinitum. Duorum « enim, quorum unus rem aliquam subtilius intuetur, ille cuius in- « tellectus est elevatior, multa intelligit, quae alius omnino capere « non potest ..... Intellectus autem angeli plus excedit intellectum « humanum, quam intellectus optimi philosophi intellectum rudissimi « hominis ..... Multoque amplius intellectus divinus excedit ange- « licum, quam angelicus humanum. Unde non omnia, quae in seipso « Deus intelligit, angelus naturali cognitione capere potest; neque « ad omnia quae angelus naturali sua virtute intelligit, humana « ratio sufficit capienda » [2]. Ad cuius argumenti majorem intelligentiam adverte — a) duplex distingui debere obiectum intellectus humani, unum *proprium (proportionatum* vel *specificativum),* ad quod nempe poterit intellectus suis viribus pertingere: alterum *adaequatum* seu *terminativum*, ad quod supernaturaliter adiutus potest intellectus pertingere. Porro — b) obiectum *proprium* in statu unionis est *quidditas rei materialis* et quidquid per connotationem ad illam et ad illius modum cognoscibile est: *adaequatum* est *ens in tota sua amplitudine spectatum.* Unde sequitur — c) *mysteria* esse quidem praeter obiectum *proprium* intellectus humani ideoque *supra* rationem; minime vero praeter obiectum *adaequatum* ac propterea non esse *contra* rationem.

Prob. 2. pars — Eo praetextu impugnatur possibilitas revelationis mysteriorum quod vel mysteria, utpote veritates *superintelligibiles,* ab homine nullatenus percipi possint — vel quod ex adversa-

1. Conc. Vat. C. *Dei Filius* c. 4. can. 1. et c. 2. can. 3. — 2. S. Th. c. g. l. 1. c. 3.

riorum sententia, humana ratio sit unica credendorum regula et *autonoma,* reiiciens quidquid ipsa naturali sua vi percipere et demonstrare nequit. Atqui — a) non *primum:* sicut enim multiplex est gradus *cognoscibilitatis* in obiecto cognitionis, imprimis quidem cognoscibilitas rei *quoad existentiam* et quoad *essentiam*, subinde vero cognoscibilitas essentiæ secundum totam suam cognoscibilitatem vel ex parte; sic multiplex est gradus actualis cognitionis, quae potest esse magis vel minus perfecta sive pro maiori vel minori manifestatione obiecti, sive etiam pro maiori vel minori virtute intellectiva. Quare dum mysteria homini revelantur, mens humana illa apprehendit imprimis *quoad existentiam*, deinde aliquatenus etiam *quoad essentiam*. Mysteria ergo sunt veritates *superintelligibiles* quatenus *ante* revelationem latent quoad existentiam, *post* revelationem adhuc latent quoad essentiam. Item — b) nec *alterum:* nam humana ratio est quidem *autonoma* eo sensu quod ad assensum non moveatur, nisi aut evidentiâ veritatis *intrinsecâ* vel *extrinsecâ*, aut saltem *certitudine testimonii;* minime vero quod *solâ* evidentiâ, saltem extrinsecâ, moveatur ad assensum. Id autem non adversatur mysteriorum revelationi, quia mysteria excludunt quidem evidentiam *intrinsecam*, at minime evidentiam *extrinsecam* seu probationum vel saltem certitudinem *divini testimonii*. Hinc Conc. Vat.: « Si quis dixerit ratio-« nem humanam ita esse independentem, ut ei fides a Deo imperari « non possit, A. S. » [1].

Prob. 3. pars — Ex multiplici capite perutilis est mysteriorum revelatio. Homo enim — a) exinde suae rationis limitationem cognoscit, quo nil salubrius — b) suae scientiae patrimonium auget ac perficit, quo nil utilius — c) familiaritatem init ac fovet cum Deo: amicis enim manifestantur secreta [2]: demum — d) inde quoque addiscit nobilissimum mentis obsequium Deo exhibere. Ad rem s. Thomas [3]: « De rebus nobilissimis quantumcumque imperfecta cognitio maximam « perfectionem animæ confert: et ideo quamvis ea, quae supra ratio-« nem sunt, ratio humana plene capere non possit, tamen multum « sibi perfectionis acquirit, si saltem ea qualitercumque teneat fide ».

ARTICULUS II.

De divinae revelationis necessitate.

20. **Natura quaestionis** (n. 45-46) — Quaestio de revelationis necessitate tripliciter intelligi potest sc. vel in hypothesi elevationis hominis ad finem supernaturalem seu ad Deum tamquam obiectum cognitionis et amoris et consequenter gaudii vires naturales super-

1. Const. *Dei Filius* c. 3. can. 1. — 2. Io. XV. 15. — 3. c. g. c. 5. l. 1.

excedentis [1] — vel in hypothesi lapsus humani generis a primitivo ordine supernaturali — vel spectata ipsa naturali hominis conditione et quoad cognoscendas veritates morales et religiosas ordinis naturalis tantum.

21. **Necessitas physica et moralis** (n. 47) — Necessitas respondet *impotentiae*, quae duplex est, *physica* et *moralis*. Physica impotentia consistit in improportione facultatis ad actum, sive propter defectum intrinsecae virtutis (sensus e. g. nequit intelligere), sive propter defectum extrinsecae conditionis (e. g. oculus sine luce nequit videre) — Impotentia moralis supponit physicam potentiam et sita est in summa difficultate agendi, quam vel omnes vel longe maior hominum pars nunquam reapse superabunt, adeo ut *quoad effectum* aequivaleat impotentiæ physicae. Hinc necessitas alia est *physica*, alia *moralis*, prouti respondet physicae aut morali impotentiae. Quibus declaratis statuimus seqq. conclusiones.

22. **Conclusio I.** (n. 48-51) — « *In praesenti ordine tum — 1° spectata praecise hominis elevatione — 2° tum praecise spectato lapsu, divina revelatio fuit absolute necessaria* ».

Prob. 1. pars — Homo elevatus ad finem supernaturalem, ut in ipsum reapse tendere possit, nosse debet — a) factum suae elevationis — b) eiusdem finis indolem intrinsecam — c) media conditionesque ad illum assequendum. Atqui haec omnia absque revelatione cognosci nequeunt, quippe quae ex sola Dei voluntate proveniunt atque exigentiam naturae superant: ergo [2].

Prob. 2. pars — Quilibet intimâ conscientiâ persentit hinc quidem se ad legem moralitatis obligari ad eamque ita inclinari, ut nonnisi in ea quietem invenire possit — inde vero se contrariis stimulis ad legem violandam incitari et quodammodo trahi; ex quo illud: « *Video meliora proboque, deteriora sequor* ». Atqui causa huius moralis deordinationis non est *natura* vel saltem *sola* hominis natura, sed est originaria sc. peccatum originale, cuius in omnes homines propagatio cum suis sequelis est veritas *supra* et *praeter rationem*, quae propterea nonnisi ex revelatione addisci potest: ergo. Hinc s. Augustinus de Tullio ait: « Rem vidit, causam nescivit: latebat enim cur esset grave « iugum supra filios Adami, quia sacris litteris non eru- « ditus ignorabat peccatum originale » [3].

23. **Conclusio II.** (n. 52-53) — « *Spectata ipsa naturali hominis conditione, revelatio divina, prouti est legis naturalis clarior expositio, erat homini moraliter necessaria* » — Revera — a) independenter a divina revelatione nonnisi *pauci* ad veritatum religionis cognitionem pervenire possent; multi enim ad speculandum sunt inepti — multi

1. cfr. s. Th. 1. q. 23. a. 1. — 2. cfr Conc. Vatic. Const. *Dei Filius* c. 2. — 3. *Cont. Iul.* l. 4. c. 12. l. 1. c. 4.

curâ rei familiaris maxime impediuntur — multi pigritiâ laborant. Praeterea illi pauci vix *post multum tempus* talem cognitionem acquirerent, tum propter diversas cognitiones quae praerequiruntur — tum propter instabilitatem iuventae, quae passionibus agitata apta non est ad tam alta pacate speculanda. Denique *cum erroribus plerumque admixtis,* ob ingenitam debilitatem rationis et lusum phantasiae. Præterea — b) quid valeat humana ratio, ex eius constanti historia patere debet. Atqui historiâ constat per multa annorum millia gentes revelatione destitutas in absurdissimos errores prolapsas esse, veram Numinis ideam perdidisse, ethicam depravasse, nefandis criminibus fuisse inquinatas, dum tamen philosophia ac litterarum studia florerent: ergo [1].

24. **Solvuntur difficultates** (n. 54-55). *Obiectio I. — Ex hac doctrina sequeretur, revelationem etiam in statu puræ naturæ fuisse necessariam, quod nemo dicet.*

Resp. — Status *purae naturae* excludit quidem omne donum *supernaturale* seu naturae *indebitum,* simul tamen exigit ea omnia quae continentur *in idea hominis* spectati in ordine *metaphysico, physico, ethico* et *finali.* Atqui inter haec continetur sufficiens cognitio legis naturalis necnon potentia eandem implendi: ergo si per suas vires homo haec habere non possit, debet divinitus iuvari — Verum in praesenti ordine revelatio est *indebita* ideoque *supernaturalis* tum *intrinsece* quatenus plures continet veritates *supra* et *præter* rationem, tum *extrinsece* quatenus ad finem supernaturalem ordinatur.

25. *Obiectio II. — Ad veritates religiosas cognoscendas sufficit iugis progressus humanitarius, qualis in artibus et scientiis cernitur.* Ita Ecclectici Galliae et Pantheistae.

Resp. Haec theoria — a) in suo fundamento est erronea; ponit enim veritatem esse *relativam* et *mutabilem,* omnesque religiones quae extiterunt, esse formas successive perfectiores cuiusdam primitivae religionis; quo nil absurdius et magis impium [2]. Praeterea — b) hic progressus continuus historiae adversatur, tum *quoad scientias* et *artes* quae e. g. apud graecos et romanos a primo splendore exciderunt; tum etiam quoad *religionem,* quia historiâ constat *monotheismo* successisse *polytheismum* et *idololatriam.* Denique — c) in hac theoria ponitur solâ sapientum ope homines esse veritates religiosas edocendos. Atqui antiqua philosophia non *scivit* populos ducere ad religionem naturalem cognoscendam, cum philosophi ipsi in plures errores lapsi essent ipsique faterentur, se in religionis veritatibus balbutire nilque certi invenire posse — Non *potuit* sive ex defectu *unitatis* magisterii inter philosophos ipsos, sive ex defectu *auctoritatis,* sive quia posita necessitate scientificae insti-

1. cfr. s. Th. c. g. l. 1. c. 4. — 2. c. g. l. 1. 59.

tutionis, redeunt illa tria inconvenientia supra (n. 23) descripta: sive etiam quia constat philosophorum vitam fuisse a magisterio *dissonam*. Non *valuit:* quis enim unquam audivit antiquos philosophos manum admovisse ad populos edocendos religiosas veritates? quinimmo, in dogma erecto principio *accomodationis*, populorum superstitionibus sese aptabant [1].

ARTICULUS III.

De divinae revelationis cognoscibilitate.

26. **Criteria revelationis** (n. 56) — Media quibus factam a Deo revelationem cognoscere et a falsis secernere possumus, *criteria* vel *notae* revelationis vel *motiva* credibilitatis audiunt [2]. Haec — a) alia sunt *negativa* et alia *positiva:* prima sunt, quorum praesentia probat doctrinam propositam *posse* esse revelatam, et quorum defectus statim demonstrat propositam doctrinam *non esse* revelatam: alia ea sunt, quorum praesentia irrefragabile exhibet argumentum divinae originis illius doctrinae, quae proponitur. Positiva — b) alia sunt *interna* et alia *externa:* priora ea sunt, quae ex ipsa natura propositae doctrinae petuntur, ex. gr. sublimitas, sanctitas, harmonia doctrinae; posteriora sunt quaedam facta sensibilia, quae doctrinam propositam comitantur, quaeque, cum sint opera divina, doctrinam ipsam, quam veluti stipant, divinitus revelatam esse demonstrant. Eiusmodi sunt *miracula* et *vaticinia*.

27. **Miraculi notio** (n. 57-59) — *Miraculum* ex s. Thoma [3] est: « *Opus quod divinitus fit praeter ordinem communiter servatum* ». Ex qua definitione patet — a) miraculum ita esse debere *opus Dei* totiusque naturae *creatae* et *creabilis* vires ita excedere ut nulla creatura *virtute propria* et ut *causa principalis* illud operari queat. Dixi: *uti causa principalis:* non enim repugnat creaturam, angelum vel hominem, in patratione miraculi causalitatem aliquam exercere, vel *instrumentalem*, sicut e. g. Apostoli miracula patrabant: vel *ministerialem*, sicut in resurrectione Angeli colligent pulveres: vel *impetratoriam*, quatenus ad preces creaturae Deus miracula facit. Patet — b) miraculum esse debere opus *extraordinarium*, seu *praeter ordinem communiter servatum*. Hic autem *per ordinem* non intelligitur ordo *particularis* sc. ille qui proprius est cuiusque creaturae, cui potest effectus aliquis esse oppositus per actionem alterius creaturae, ut e. g. proiectio lapidis sursum; nec intelligitur, uti evidens est, ordo *universalissimus* qui est rerum omnium creatarum ad

1. Cf. Mazzella *De Relig.* D. 1. a. 7. — 2. cfr. Encycl. Pii IX. *Qui pluribus* 9 nov. 1846. — 3. c. g. l. 3. c. 101.

primam causam, quatenus omnia contingunt secundum divinam *scientiam* omnia dirigentem, *voluntatem* omnia imperantem vel permittentem, *bonitatem* ad quam omnia diriguntur; sed intelligitur ordo *universalis* sc. leges quibus res omnes a Deo reguntur. Miracula ratione *primae conditionis* dividuntur in miracula *quoad substantiam,* si simpliciter excedunt vires naturae (ex. gr. quod duo corpora sint simul) — *quoad modum*, si tales effectus a natura quoque fieri possunt, quamvis non *tali modo* (e. g. sanatio instantanea) — *quoad subiectum*, si talis effectus a natura quoque fieri possit, sed non in tali subiecto (ex. gr. resuscitatio mortui) — Ratione *alterius conditionis* miracula alia sunt *supra naturam,* si ad tales effectus vires naturae vel *nullo modo* sunt aptae (e. g. retrocessio solis), vel aptae non sunt *quoad tale subiectum* (e. g. resuscitatio mortui) — alia *præter naturam*, ut sunt miracula *quoad modum,* ut antea — alia sunt *contra naturam*, si in natura est contraria dispositio ad talem effectum (e. g. quod tres pueri non comburerentur in fornace) [1].

28. **Prophetiae notio** (n. 60) — *Prophetia* seu *vaticinium* communiter definitur: « *Praesensio et praedictio certa alicuius eventus, qui in causis naturalibus praesciri nequit, eventu probato* ». Dicitur — a) *praesensio* et *praedictio,* quia « prophetia *primo* et *princi-* « *paliter* consistit in *cognitione* ..... sed *secundario* consistit in *locu-* « *tione* » [2]. Dicitur — b) *certa* certitudine tum *obiectiva,* tum *subiectiva,* tum *quoad modum praedictionis* [3]. Dicitur — c) *eventus futuri qui in naturalibus causis praesciri nequit,* quia obiectum prophetiae est *futurum contingens,* quod sc. pendet a libera Dei vel hominis voluntate [4]. Dicitur — d) *eventu probato*, quia prophetia, ut *per se solam* vim habeat probandi *quoad nos,* esse debet *eventu completa.*

29. **Conclusio I.** « *Imprimis certum est 1° miracula — et 2° vaticinia possibilia esse* » (n. 63-67) — Prima pars est *de fide catholica* ex Conc. Vatic.: « Si quis dixerit miracula nulla fieri posse proin- « deque omnes de iis narrationes, etiam in Scriptura contentas, inter « fabulas vel mythos ablegandas esse, aut miracula certo cognosci « nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem « rite probari, A. S. » [5].

Prob. 1. pars — Miracula sunt possibilia, si nulla est repugnantia ex parte ordinis *praeter, supra* vel *contra* quem fiunt — neque ex parte Dei. Atqui — a) nulla repugnantia ex parte *ordinis*. Hic enim plane contingens est, tum *absolute,* quia res ipsae quibus inhaeret, contingenter existunt: tum *supposita rerum creatione,* quia leges phy-

1. Cf. de his. S. Th. 1. p. qq. 105. 110. 114. et c. g. l. 3. cc. 97. 105. - Mazzella *De Relig.* D. 1. a. 9. — 2. S. Th. 2. 2. q. 171. a. 1. — 3. S. Th. q. c. a. 5. 6. — 4. S. Th. q. 173. a. 2. 4. — 5. Const. *Dei Filius* c. 3. cn 4.

sicae, quibus mundus regitur, non pertinent ad rerum essentias: tum *ipso ordine supposito*, quia potuisset Deus in ipso statuendo exceptionem aliquam simul decernere. Nec — b) ulla repugnantia ex parte Dei. Miracula enim non adversantur divinae *potentiae*, quae, cum sit *infinita* et *independens*, agere potest tum *supra* naturam, illud præstando ad quod virtus finita non pertingit: tum *præter* naturam operando independenter a causis secundis: tum *contra* naturam, sive concursum denegando causis secundis, sive earum vim sua virtute elidendo — Neque adversantur divinae *immutabilitati*, quia « Deus « ab aeterno praevidit et voluit se facturum, quod in tempore « facit » [1] — Neque adversantur Dei *sapientiae*, quia Deus miracula patrat, non quasi ordinem a se statutum emendans sed ad finem longe diversum consequendum, præsertim, ut Dei ipsius excellentior manifestatio fiat.

Prob. 2. pars — Futura contingentia — a) habent imprimis rationem *veri*. Duplex enim esse distinguendum est in rebus contingentibus sc. *physicum*, quod res habent quando *actu* existunt, et *logicum* quod res habent in mente alicuius v. g. Dei, quodque nihil est aliud, quam *obiectiva veritas* illius physicæ existentiæ, quam res habebunt vel habuerunt pro sua temporis differentia. Hanc obiectivam veritatem non esse *figmentum rationis*, sed reapse esse admittendam sic breviter declaratur. Propositio de praesenti, enuncians factum iam existens, vera est: ergo iam vera erat ab aeterno propositio enuncians factum pro futuro. Si verum est e. g. Petrum hodie peccare, ab aeterno verum erat Petrum hodie esse peccaturum. Porro — b) cum divinus intellectus ex se determinatus sit ad cognoscendum *omne verum*, profecto cognoscet futura contingentia secundum suam rationem *veri* sc. secundum suum esse *logicum* eaque hominibus revelare poterit. Hinc patet — c) *quomodo* divina praescientia nequaquam perimat humanum arbitrium. Nam libertas consistit in immunitate a principio antecedenter determinante voluntatem ad unum. Atqui divina praescientia futurorum nullum ponit huiusmodi principium in voluntate, quia omnis scientia non causat sed *supponit* obiectum cognoscendum: ergo verissime quidem dicendum est ea, quae Deus prævidit, *infallibiliter* esse eventura, at non *necessario* necessitate *antecedenti* liberam humanae voluntatis determinationem, sed eam *consequenti*.

30. **Conclusio II.** « *Miracula et vaticinia sunt certissima criteria revelationis quoad se* » (n. 68-69) — Conclusio *quoad miracula* ex Conc. Vatic. est *de fide catholica:* « Si quis dixerit revelationem « divinam externis signis credibilem fieri non posse ideoque solâ

1. S. Th. *de pot.* q. 6 a. 1. Cf. c. g. l. 3. c. 99. et Sum. 1. p. q. 25. a. 5.

S. Bibliotheca

« internâ cuiusque experientiâ aut inspiratione privata homines ad « fidem moveri debere A. S. » [1]. *Prob.* — a) *quoad miracula:* « Si « sigillum aliquod esset ita essentialiter regi affixum, ut non posset « nisi a rege ipso, scripturae conscio, apponi, iam tunc rex per « sigillum loqueretur, quia sigillum istud significaret sufficienter « scientiam, quam rex habebat et communicare intendebat tunc « quando sigillum apposuit. Talia sunt miracula a Deo patrata; « quae cum non possint nisi a Deo fieri, et quidem a Deo conscio « doctrinae, quae tali miraculo sigillatur, eoipso ostendunt Deum « per huiusmodi miracula et sigilla loqui et manifestare mentem « suam » [2]. *Prob.* — b *quoad vaticinia.* Nam prophetia quoque nonnisi Deum auctorem habet, cum futura contingentia *libera,* seposita divina revelatione, ab intellectu finito cognosci nequeant. Sane si a creato intellectu ipsa cognosci possent, cognoscerentur vel *in suis causis* vel *in se ipsis.* Atqui non *in suis causis;* hae enim cum sint *liberae,* per se indeterminatae sunt ad proprios actus: — non *in seipsis:* ad id enim requiritur vis intellectiva *infinita* seu mens divina, apud quam futura secundum obiectivam suam veritatem sint sicut praesentia: ergo.

31. **Conclusio III.** « *Miracula et vaticinia sunt certissima criteria rerelationis etiam quoad nos* » (n. 70-71) — Conclusio haec *quoad miracula* est de fide ex Conc. Vat.: « Si quis dixerit miracula « nunquam certo cognosci posse, nec iis divinam religionis chri- « stianae originem rite probari A. S. ». *Prob.* — a) *quoad miracula.* Ut miracula vim habeant probandi *quoad nos,* constare nobis debet de eorum veritate *historica, philosophica* et *relativa.* Atqui — α) veritas *historica* constare reapse potest vel *per humanum testimonium,* vel etiam *per nosmetipsos,* si praesentes adfuimus. Item — β) veritas *philosophica* constare potest ex perspecta facti natura. Ut enim miraculum ab effectibus naturalibus discernamus, minime opus est omnes naturae vires *positive* cognoscere, sed sufficit eas cognoscere *negative,* idest quid ipsae agere *non possint.* Qua cognitione optime noscimus e. g. naturales causas contra seipsas agere non posse, hinc miracula cognoscimus, quæ *contra naturam* dicuntur — item naturæ vires ad novas formarum species aut ad formas irreparabiliter amissas reparandas incapaces esse, hinc et miracula noscimus, quae *supra naturam* dicuntur — item causas secundas non agere, nisi proprio respectivo subiecto applicentur, hinc miracula navimus quae *praeter naturam* appellantur. Demum — γ) de veritate miraculorum *relativa* nobis sufficienter constare potest vel ex adiunctis, vel si thaumaturgus diserte aut aequivalenter significet, se signa patrare ad divinam originem comprobandam suae doctrinae.

1. Const. *Dei Filius c.* 3. cn. 3. — 2. Ita de Lugo *De fide d.* 2. *s.* 2. *n.* 25.

Prob. — b) *quoad vaticinia.* Sane ex monumentis historicis probe nosse possumus tum futurorum praedictionem, tum praedictionis implementum; hinc veritatem *historicam* prophetiae — Item analysim instituentes tum *verborum*, tum *obiectorum*, tum *eventuum*, certo assequi possumus an fuerit veri nominis prophetia; inde veritatem *philosophicam* — Item veritas *relativa* certo cognosci potest, si propheta se divinum praeconem asserit ad homines in religione edocendos vel confirmandos, vel si prophetiae praeconem quemdam divinum pollicentur ac postea adamussim in ipso adimplentur.

32. *Obiectio* (n. 72-75) — *Daemones naturali virtute opera mira facere possunt, quae nobis videntur miracula. Ergo de veritate relativa miraculorum constare nequit.*

Resp. — *Conc. antec. et neg. conseq.* Ad rem Suarez [1]: « Non « pertinet ad providentiam Dei non permittere falsa signa, quando « ad probationem et profectum electorum prosunt; pertinet tamen « ad providentiam Dei dare auxilium et modum, quo possint iudicari « et cognosci: quia non est divinae bonitatis et sapientiae, ut « permittat hominem tentari supra id, quod potest ». Auxilium autem huiusmodi seu criteria ad discernenda daemonis praestigia ordinario hæc esse possunt: — a) an fiant in confirmationem doctrinae cum ratione aperte pugnantis: an — b) fiant modo absurdo, ridiculo aut impio: — c) an per prophetiam certo authenticam talia, ut futura daemonum praestigia, antea praedicta fuerint: demum — d) effectus spectandi sunt; hæc enim præstigia nec salutaria sunt, nec duratura esse possunt.

ARTICULUS IV.

De divinitate religionis christianæ.

33. **Prologus** — Iam quaerimus an religio aliqua existat divinitus *revelata* et haec sit religio *christiana*. Heic autem praestat advertere, religionem christianam successisse *mosaicae*, quae duplici habitu referebatur ad *christianam* se. habitu *promissionis*, novum legislatorem, foedus, cultum, sacerdotium et sacrificium promittendo, et quidem haec omnia tamquam legi mosaicae substituenda: — habitu *introductionis* seu *adumbrationis* et *praeparationis* ad legem christianam iuxta ea Apostoli: « *Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti* » — « *Lex paedagogus noster fuit in Christo* » — « *Omnia in figuris contingebant illis* » [2]. Quae cum ita sint, ad pleniorem demonstrationem divinitatis religionis christianae praestaret profecto

1. De myst. vit. Christi d. 31. n. 8. — 2. Rom. X. 4. - Gal. III. 24. - 1. Cor. X. 11.

constabilire imprimis divinitatem religionis iudaicae. Et quoniam praecipua monumenta, ex quibus argumenta ad rem nostram depromuntur, sunt libri illi quos *Scripturam* appellamus, idcirco opus esset imprimis, ut de auctoritate saltem *humana* et *historica* Scripturæ dissereremus. At heic hisce suppositis, immorabimur tantummodo in demonstranda christianae religionis origine divina.

34. **Duplex processus** (n. 78) — Duplici autem ex principio divinitatem christianae religionis evincere possumus sc. — a) *ex divina missione* Christi: semel ac enim constiterit, Christum fuisse legatum divinitus missum, eoipso constabit, divinam quoque esse religionem quam Dei nomine ipse proposuit: — b) ex eiusdem religionis *adiunctis historicis:* si enim haec eiusmodi sint ut *specialem* Dei interventum expostulent, eoipso probabunt originem divinam religionis eiusdem.

SECTIO I.

De divinitate religionis christianæ ex divina Christi missione.

35. **Prologus** (n. 79) — Cum omnis missio *authentica* qua quis pro altero legatione fungitur, *publico testimonio* sit communienda, *triplici* testimonio ad rem nostram utimur sc. testimonio *prophetarum praecedente* — testimonio ipsum Christum *comitante* — testimonio posteritatis *subsequente*.

§ 1. — De divina Christi missione ex testimonio prophetarum comprobata.

36. **Argumentum generale** — quod ex prophetarum vaticiniis heic producimus, ita se habet: « Vaticinia vim habent probandi id in cuius confirmationem eduntur. Atqui Christus pluribus iisque determinatis vaticiniis in veteri Lege praenuntiatus atque promissus est tamquam legatus divinus ad novam religionem edocendam, mosaicam completuram: ergo ». Ad *minorem* demonstrandam sint sequentes conclusiones.

37. **Conclusio I.** « *Iudaei iamdiu ante Christi adventum expectabant Salvatorem quemdam sub Messiae nomine* » (n. 81) — Huius expectationis plurima reperiuntur argumenta in Evangeliis: — a) in cantico Zachariae [1]: « *Et tu puer propheta Altissimi vocaberis, praeibis enim ante faciem Domini parare vias eius* » — b) Magis quaerentibus: *Ubi natus est rex Iudaeorum?* principes Sacerdotum et Scribae populi locum nativitatis assignant [2]: idem — c) exprimit Simeon [3]: « *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti* ..... »: idem — d) legationes Iudaeorum ad Ioannem et Ioannis ad Christum [4]: « *Tu es,*

1. Luc. I., 76. — 2. Matth. II 2. — 3. Luc. II. 5. — 4. Io. I. 19. coll. Matth. XI. 2.

qui venturus es, an alium expectamus? ». Denique — e) Iudaei mirantes super miracula Christi exclamant [1]: « *Hic est vere propheta qui venturus est in mundum* ».

38. **Conclusio II.** « *Huius expectationis fundamentum fuere prophetarum vaticinia* » (n. 82) — Et sane — a) id expresse declarat Petrus [2]: « *Omnes prophetae, qui locuti sunt ..... annuntiaverunt dies istos. Vos estis filii prophetarum et testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros dicens ad Abraham : Et in semine tuo benedicentur omnes familiae terrae* »: et Zacharias: « *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae .... sicut locutus est per os Sanctorum, qui a saeculo sunt, prophetarum eius* ». Hinc frequentes Iudaeorum ad Deum deprecationes: « *Domine mitte quem missurus es* » — « *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ* » — « *Rorate cœli desuper et nubes pluant iustum, aperiatur terra et germinet Salvatorem* » [3]. Porro — b) substratum veluti omnium vaticiniorum de Messia continetur in magnificis verbis, quibus Deus statim post lapsum protoparentum serpentem affatus est [4]: « *Inimicitias ponam inter te et mulierem, semen tuum et semen illius, ipsa conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo eius* ». Quam promissionem renovavit Deus patriarchis Abraham, Isaac et Iacob [5]: « *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae* »: quod semen intelligendum esse Messiam, auctor est Apostolus [6]: « *Prænunciavit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes gentes ..... Christus nos redemit ..... ut in gentibus benedictio Abrahae fieret in Christo Iesu* ». Eandem promissionem renovavit per Moysem, promisso novo legislatore novæque revelationis præcone [7]: « *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies* »: quod oraculum ad Messiam pertinere expressit Christus, quando Iudaeos sic reprehendit [8]: « *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit* ».

39. **Conclusio III.** « *Iisdem prophetarum vaticiniis tempus adventus Messiae determinatum invenimus* » (n. 83-85) — Tria potiora vaticinia hic expendimus.

I. *Vaticinium iacobaeum* — Iacob morti proximus « *vocavit filios suos et ait eis: Congregamini ut annuntiem quae ventura sunt vobis in diebus novissimis* »: postea singulis praedixit quae propriae cuiusque tribui obventura erant, atque ita « *benedixit singulis benedictionibus propriis* ». Ad Iudam cum venisset, ita eum emphatice allocutus est: « *Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est et ipse erit expectatio gentium* [9]. Porro — a) hoc

1. Io. VI. 14. — 2. Act. III. 24. — 3. Ex. IV. 13 - Is. XVI. 1. et XLIV. 8. — 4. Gen. III. 15. — 5. Gen. XII. 3. XVIII. 18. XXII. 18. — 6. Gal. III. 8. coll. Act. III. 25 - Luc. I. 54. 55. 68. — 7. Deut. XVIII. 15. — 8. Io. V. 46. — 9. Gen. XLIX.

vaticinium esse *messianum*, ceteris omissis, invicte probatur *ex ipsis verbis:* neque enim alius intelligi potest *qui mittendus* et *expectatio gentium*, nisi quem Iudaei et gentes expectabant. Adverte tamen — b) ad nonnullorum terminorum intelligentiam, *sceptrum* aliquibus idem esse ac *insigne potestatis, principatum, autonomiam* tribus iudaicae, aliis e contra *tribum* seu *formam tribulem* — voce *Iuda* non designari *universam nationem iudaicam* sed *solam tribum* Iuda, ut patet ex contextu — *ducem de foemore eius* idem esse ac *principem*, subiectum potestatis eiusdem stirpis — verba « *ipse erit expectatio gentium* » hebraice esse: *et ipsi obedientia populorum*. Denique — c) hoc vaticinio *determinari tempus adventus Messiae* patet ex particula *donec:* haec enim significat, *inchoatam* cessationem sceptri et ducis esse signum, Messiam vel *proxime* adventurum, vel *mox* advenisse — *totalem* vero ablationem exhibere Messiam iam advenisse.

II. *Vaticinium danielicum* — Appropinquante ultimo anno captivitatis babylonicae, Danieli prophetae fervidas preces fundenti, ne propter peccata populi exilium protraheretur, apparuit Gabriel angelus, qui sic eum solatus est [1]: « *Septuaginta hebdomadae abbreviatae sunt super populum tuum, super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio et finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas et adducatur iustitia sempiterna et impleatur visio et prophetia et ungatur sanctus sanctorum. Scito ergo et animadverte: ab exitu sermonis* (edicti) *ut iterum aedificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades 7 et hebdomades 62 erunt et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum. Et post hebdomades 62 occidetur Christus et iam non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo et finis belli vastitas et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis* (pro multis) *hebdomada una, et in dimidio hebdomadae deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio* ». Porro — a) vaticinium hoc esse *messianum* constat *ex nominibus,* quibus praenuntiatus insignitur, siquidem et alibi in Scriptura Messias dicitur *Dux, Christus, Sanctus Sanctorum* — *ex praeclaris effectibus*, qui describuntur quique tribui non possunt, nisi Messiae — *ex facis* ducis praedicti, qui dicitur non agnoscendus a suis, occidendus; quae alibi quoque in V. T. de Messia praenuntiantur, ut in Ps. 21. et 68. et in c. 53. Isai.: — *ex magnitudine poenae* occisoribus irrogandae, qualis ob mortem aliis prophetis illatam nunquam annuntiatur. Praeterea — b) *tempus* determinatur adventus Messiae. Nam *septuaginta hebdomadae*, quae *abbreviatae* idest *decretae* dicuntur, non sunt *dierum*, utpote quae rebus gerendis ab Angelo praenunciatis non suffecissent, prouti

1. Dan. IX. 24.

historia quoque comprobat — neque *iubilaeorum* aut *mensium*, utpote quae Iudaeis erant ignotae: ergo sunt *annorum* ideoque ann. 490. Quod tempus in tres partes dividitur — *prima* constat ex 7 hebdom. (49 annis), quibus elapsis *aedificabitur platea et muri*, idest ad finem perducetur urbis et murorum aedificium — *secunda* continet 62 hebdom. (434 a.), quarum in exitu *ungendus est Christus* idest Messias apparebit unctus a Domino — *tertia* est ultima hebdomada, in cuius dimidio *occidetur Christus et deficiet hostia et sacrificium* idest cessabunt sacrificia mosaica, non statim *facto*, sed *iure et lege:* « Quidquid enim in templo postea factum est, non fuit sacrificium Dei, « sed cultus diaboli » ait s. Hieronymus. Terminus autem *a quo* computandae sunt hebdomadae, est promulgatio regii edicti de reaedificanda Ierusalem [1].

III. *Vaticinium Aggaei et Malachiae* — Aggaeus, ut Iudaeorum seniores solaretur reduces ex captivitate babylonica, moerentes eoquod templum secundum gloriâ multum distaret a templo salomonico, sic Dei nomine vaticinatur [2]: « *Adhuc unum modicum est et ego commovebo coelum et terram et mare et aridam. Et movebo omnes gentes et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, meum est aurum .... Magna est gloria domus istius novissimae plusquam primae, et in loco isto dabo pacem* ». Et Malach. [3]: « *Ecce ego mitto angelum meum, qui praeparabit viam ante faciem meam et statim adveniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis* ». Porro — a) haec duo vaticinia *ad Messiam* spectant. Maior enim futura praedicitur gloria secundi templi, quam prioris, quia ad ipsum venturus erat *Desideratus cunctis gentibus* — *Dominator* et *Angelus novi foederis*, quem Iudaei expectabant — venturus erat ad templum *suum* et *pacem allaturus*, ita ut ad eius adventum commovenda essent *omnia* ac brevi quidem venturus. Atqui expositi characteres, fatentibus Iudaeis, nonnisi Messiae competere possunt: ergo. Praeterea — b) *tempus adventus* Messiae *negative* heic designatur, quia praedicitur venturus adhuc extante templo secundo idest zorobabelico.

40. **Conclusio IV.** « *Iisdem prophetarum eloquiis persona Messiae magna adiunctorum varietate delineatur* » (n. 86) — Sane — a) praedicitur Messias oriturus *ex progenie Patriarcharum* (n. 38) et ex

1. Quatuor autem extant edicta a regibus Persarum emanata in Iudaeorum favorem: *primum* edidit Cyrus — *secundum* Darius filius Histapsis — *tertium* Artaxerxes Longimanus anno septimo regni sui — *quartum* idem rex anno 20 regni sui, seu anno 474 ante aeram vulgarem et 299 ab U. c. (1. Tsd. cc. 2. 6. 7. et 2. Tsd. c. 2.). Hinc dissentiunt interpretes in assignando hebdomadum initio. — 2. Agg. II. 7. — 3. Mal. III. 1.

domo et familia David: « *Et egredietur virga de radice Iesse et flos* (Christus) *de radice eius ascendet* » [1]. Praedicitur — b) *locus* et *tempus* nativitatis: « *Et tu Bethleem, terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel* » [2]. Praedicitur — c) eius *praecursor* (n. 38) et stupenda Messiae prodigia: « *Tunc aperientur oculi coecorum et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus et aperta erit lingua mutorum* » [3]. Praedicitur — d) *humilis* conditio Messiae: « *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem, ecce Rex tuus veniet tibi iustus et salvator, ipse pauper et ascendet super asinam et super pullum filium asinae* »: necnon eius *passio* et *mors* [4]. Praedicitur — e) gentium conversio: « *Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae* » [5] necnon urbis et templi destructio et reprobatio populi (n. 38). Praedicuntur — f) praecipua *officia* Messiae, idest propheticum (n. 38) — legislatoris [6]: « *Legem eius insulae expectabunt* » — mediatoris [7]: « *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum* » — doctoris [8]: « *Docebit nos vias suas et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exhibit lex et verbum Domini de Ierusalem* » — sacerdotis et regis [9]: « *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* » — « *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, praedicans praeceptum eius* ».

41. **Conclusio V.** « *Praedescripta vaticinia in Iesu Christo adamussim impleta sunt* » (n. 87-93) — Ac — a) *quoad vaticinium iacobaeum*. Et revera Christo nascente respublica iudaica ad interitum vergebat, divisa iam regione inter varios tetrarchas ipsoque nutante summo sacerdotio [10] — tota vero eversa est per Titum, cum satis iam promulgatum erat per orbem Christi evangelium, et undique innumeri obsequium mentis et cordis Christo exhibebant. Atqui nemo alius praeter Christum assignari potest, in quo hoc vaticinium impletum esse dici possit: ergo. Item — b) *quoad vaticinium danielicum*. Iam enim septuaginta hebdomadae elapsae sunt — iam defecit hostia et sacrificium mosaicum — iam, quae ultimo loco praedicitur, urbis et templi desolatio contigit. Atqui nullus assignari potest, qui circa harum hebdomadarum finem vixerit et ante urbis templique eversionem, in quem et huius et aliorum vaticiniorum adiuncta concurrant, praeter Christum: ergo — Revera Christus solemnissime

1. Is. XI. 1. coll. Matth. 1. coll. Matth. XXII. 42. et Io. VII. 42. — 2. Mich. V. 2. coll. Matth. II. 6. — 3. Is. XXXV. 5. coll. Matth. XI. 2. et Io. I. 20. VII. 31. — 4. Zach. IX. 9. — Is. LIII. — 5. Ps. 2. coll. Ps. 71. et Is. cc. 2. 62. 66. — 6. Is. XLII. 4. — 7. Ierem. XXXI. 31. — 8. Is II. 2. — 9. Ps. 2. et 109. — 10. Luc. III. 1. 2.

fuit a populo reiectus et morti traditus, post ipsum vero nulla amplius visio, nulla prophetia apud Iudaeos, eius religio est deletiva peccati et sanctitatis fœcunda. Hinc Christus [1]: « *Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat* ». Item — c) *quoad vaticinium Aggaei* et *Malachiae*. Messias enim venturus erat adhuc stante templo secundo. Atqui hoc a seculis 18 dirutum est: ergo ante secula 18 Messias advenit. Atqui hic alius non est a Christo Iesu. Nam eius adventum praecessit magna gentium commotio, vi cuius omnes non citra diuturna bella et cruenta praelia sub unius Augusti imperium redactae sunt — vix natus, quaesitus est a Magis venientibus ex Oriente — vix per discipulos gentibus annuntiatus, ab innumeris ubique terrarum exceptus fuit, ideoque ipso eventu probatur, ipsum fuisse desideratum cunctis gentibus — ipse venit stante adhuc templo secundo — ipse innumeras gentes absque armis in unam consociavit Ecclesiam atque idcirco pacem contulit. Item — d) *quoad adiuncta n. 40 memorata*. Sane Christus est *ex semine* patriarcharum atque illud revera *semen*, in quo *omnes gentes terrae benedicendae erant:* ille enim unus fuit, qui cunctis omnino gentibus bonum attulit, quo nullum maius esse potest, adeo ut de nemine, nisi de Christo, vere unquam potuerit haec sententia pronunciari: *Benedicentur in ipso omnes tribus terrae*. Quinimmo, si quis sermone complecti vellet quaecumque Christus hominum generi praestitit, opportunioribus, quam haec sint, verbis uti non posset. Ceterum nemo alius assignari potest, ex quo tot commoda, spiritualia imprimis, redundaverint in nationes et singulares personas, quot ex Christo eiusque religione ubique locorum effusa sunt — Christum fuisse *de domo et familia David* evincunt *tabulae genealogicae* Matthaei et Lucae, necnon iter s. Iosephi *in civitatem David, quae vocatur Bethleem, eoquod esset de domo et familia David*, occasione descriptionis a Cyrino præside Syriæ factæ [2]: hinc Christus acclamatur a populo *filius David* [3] — Ipse natus est in *Bethleem Iuda* — habuit insignem *praecursorem* in Ioanne Baptista [4] — refulsit *miraculis* — eius *passio* et *mors* accurate respondent Ps. XXI. et Is. LIII., quasi prophetae testes oculati huius lugubris spectaculi fuerint — a mortuis resurrexit atque gentes innumeras ad se convertit, disperso populo iudaico. Atqui nemini alteri, praeter Christum, haec adiunctorum varietas convenit: ergo. Denique — e) quoad *officia Messiae* supra n. 40 descripta. Ipse enim fuit *propheta* [5]: « *Propheta magnus surrexit in nobis* » — *legislator* [6]: « *Qui habet mandata mea et servat ea ille est, qui diligit me* » — *mediator* novi

1. Matth. XXIV. 15. — 2. Luc. II. 4. — 3. Matt. IX. 27. XXI. 9. 15. — 4. Io. I. 19. — 5. Luc. I. XI. — 6. Io. XIV. 21. coll. Matth. XXVIII. 20.

testamenti [1]: « *Hic est calix novum Testamentum in meo sanguine* » — *doctor* promulgans doctrinam et legem coelesti sapientia refertam eamque opere confirmans et per legatos suos ad omnes extendens — *sacerdos*, ut illum passim appellat Apostolus — *rex*: « *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra* » [2].

§ 2. — De divina Christi missione ex eiusdem Christi de se ipso testimonio.

42. **Conclusio unica.** « *Christus testimonio oris sui — miraculorum — vaticiniorum — resurrectionis — vitae — doctrinae divinitatem suae missionis comprobavit* ».

43. **Testimonium oris** (n. 94) — Christus testatus est: — a) se esse legatum Dei per prophetas promissum: « *Dicit ei mulier: scio, quia Messias venit ..... Dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum* » [3]: — b) se esse aequalem cum Deo: « *Ego et Pater unum sumus* » [4]: — c) se Patrem comprehendere: « *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius* » [5]: — d) se esse *viam*, *veritatem* et *vitam* [6]: — e) pro quo testimonio confirmando sanguinem suum profudit: « *De bono opere te non lapidamus, sed quia homo cum sis, facis teipsum Deum* » [7]. Atqui huic testimonio nequit subesse falsum: ergo — *Prob. min.* Si falsum esset, illud Christus vel protulit *sciens* vel *nesciens* quid diceret. Atqui non *primum*: obstat enim eius vita omnino pura et sancta atque ita omnibus cognita, ut adversarios suos provocare potuerit: « *Quis ex vobis arguet me de peccato?* » [8] — neque *alterum*: obstat enim eius mirabilis sapientia, quam numquam homo locutus est, qua confudit pharisaeos, adeo ut non auderent ei respondere verbum [9]: ergo *Christus* vere est *Filius Dei vivi* » [10].

44. **Testimonium miraculorum** (n. 96-99) — Ad rem docet Conc. Vat. contra Strauss, Renan et quemdam Professorem Heidelbergensem, cui nomen Paulus, negantes veritatem *historicam* vel *philosophicam* miraculorum Christi: « Si quis dixerit miracula nulla « fieri posse proindeque omnes de iis narrationes, etiam in s. Scriptura « contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula « certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam Relig. Christ. origi- « nem rite probari A. S. » [11]. Revera in Evangeliis multa ac splendida miracula narrantur a Christo patrata [12]. Atqui — a) eorum veritas *historica* constat, ceteris omissis, ex celeberrimo testimonio *Iosephi Flavii*

1. Luc. XXII. 20. — 2. Matth. XXVIII. 20. — 3. Io. IV. 25. — 4. Io. X. 30. — 5. Matth. XI. 27. — 6. Io. XIV. 6. — 7. Io. X. 33. XIX. 7. coll. Matt. XXVI. 65. — 8. Io. VIII. 46. — 9. Io. VII. 46. coll. Matth. XXII. 46. — 10. Matth. XVI. 16. — 11. Const. *Dei Filius*, c. 3. — 12. 3. q. 43. a. 4.

de Christo [1]: « Fuit autem hoc tempore Iesus vir sapiens, si tamen « virum illum oportet dicere. Erat ille *mirabilium operum effector*, « magister hominum, qui vera libentes amplectuntur. Et plurimos « quidem ex Iudaeis, plurimos ex gentibus ad se pertraxit. Hic erat « Christus. Cumque eum a primoribus gentis suae accusatum Pilatus « ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt qui primum « coeperant; nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit, cum di- « vini vates hæc aliaque quam plurima admiranda de eo prædixissent ». Item — b) eorum veritas *philosophica* constat ex eo quod plurima sint *supra* naturam, ut ex. gr. mortuorum resuscitatio — plurima evidenter *contra* naturam, ut ex. gr. deambulare super aquas — ea vero, quae *praeter* naturam a Christo facta sunt, adeo frequentia, adeo ad thaumaturgi vocem, adeo instantanee et sine ulla medicamentorum applicatione acciderunt, ut stultus sit oporteat, qui de eorum supernaturalitate dubitare audeat. Item — c) eorum veritas *relativa* claret ex Christi verbis [2]: « *Renuntiate Ioanni, quae audistis et vidistis: coeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur* » — « *Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me. Si mihi non vultis credere, operibus credite* » — « *Si opera non fecissem, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent* ».

45. **Testimonium vaticiniorum** (n. 100) — Christus sane accurate praedixit — a) quoad seipsum — *passionem* — *mortem* et *resurrectionem* suam [3]: — b) quoad Apostolos — *Iudae traditionem* — *discipulorum fugam* — *Petri negationem* — *discipulorum persecutiones* [4]: — c) quoad suam Ecclesiam — *evangelii propagationem* — *perennem impugnationem* et *invictam constantiam* [5]: — d) quoad populum iudaicum ipsiusque fata — eius *dispersionem* — urbis et templi *eversionem* cum singulis suis *adiunctis* [6]. Atqui haec omnia in naturalibus causis praevideri minime potuerunt, et ea accurate fuisse alia impleta, alia iugiter impleri, testantur evangelia, acta apostolica, posteriora historica monumenta necnon iugis experientia: ergo.

46. **Testimonium resurrectionis** (n. 101) — Sicuti testimoniis evangelicis certum est, Christum praedixisse suam a mortuis resurrectionem, ita non minori certitudine constat, hanc praedictionem fuisse eventu impletam. Atqui resurrectio — a) non est opus quod in causis naturalibus praevideri possit — b) est opus *miraculosum* — c) quod Christus ordinavit ad suae divinae missionis ostensionem. Ergo gloriosa Christi resurrectio vim habet probandi *duplicem* sc. ut *vaticinium* et ut *miraculum*.

---

1. De antiq. I. 18. c. 3. n. 3. — 2. Matth. XI. 4. - Io. X. 25. - Io. XV. 24. — 3. Luc. XVIII. 32. — 4. Matt. X. 16. - XX. 19. - XXIV. 9. — 5. Matt. XXVI. 13. — 6. Matth. XXIII. XXIV. Marc. XIII. - Luc. XI. XII.

Prob. maior: ac — a) Christus non semel praedixit suam a mortuis resurrectionem: ex. gr.: « *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud ..... Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat et crediderunt Scripturae et sermoni, quem dixit eis* » [1]. Praeterea — b) haec praedictio eventu impleta est. Christus enim revera morte occubuit, prouti testantur Evangelistae, milites qui venerunt ut frangerent crura, Centurio qui de eius morte certum reddidit Pilatum, ictus lanceae in latus Domini et eius depositio in sepulchro — vere redivivus apparuit, cuius rei testes sunt Apostoli qui viderunt, audierunt, tetigerunt Magistrum redivivum et 40 diebus cum ipso loquente de regno Dei conversati sunt; qui testimonium suum miraculis et sanguine obsignarunt: testes sunt excubiae positae ad sepulchrum et discipuli plus quam 500, coram quibus ascendit in coelum; testes sunt denique Iudaei et Ethnici propter rei evidentiam conversi, Iudaei et Ethnici qui Apostolos de mendacio redarguere non sunt ausi et factum potius, variis figmentis invectis, elidere conati sunt.

Prob. 1. pars min. — Resurrectio est opus, quod cum sit praeter ordinem communiter servatum, idcirco nonnisi a Deo fieri potest, uti mox ostendemus. Atqui opera huiusmodi a libera Dei voluntate pendent, quae propterea citra eius revelationem cognosci nequeunt: ergo.

Prob. 2. pars min. — Resurrectio — a) est opus *praeter ordinem:* nam « ea quae sunt unius speciei, ait Angelicus [2], unum habent « determinatum modum originis .... Sed naturalis modus, quo homo « oritur, est generatio eius ex simili in specie, quod non est in « resurrectione. Ergo non est naturalis ». Item — b) est opus *divinum* seu quod nonnisi a Deo uti *causa principali* fieri potest. Semel enim soluto humano composito, eatenus *reunio* animae cum corpore *naturaliter* fieret, quatenus vel esset virtus aliqua *naturalis activa,* quae par esset ad illam causandam — vel corpus seu melius corporis elementa exigerent informari animâ — vel anima exigeret informare corpus. Atqui non *primum;* uti enim modo audivimus ab Angelico, etsi natura possit causare vitam, nonnisi tamen *uno determinato modo* id praestare potest sc. *generatione* — Non *alterum:* « talis enim « dispositio non potest a natura induci nisi determinato modo per « viam generationis ex semine » [3] — *Non tertium:* anima enim, ad « rem Suarez [4], ex conditione naturae suae vindicat uniri corpori « corruptibili, ex quo naturaliter sequitur debere tandem ab illo « separari: post separationem vero naturale quoque illi est ita manere, « idest ex se (cum sit spiritualis) habet vires ad manendum in statu

1. Io. II. 19. coll. Matth. XII. 38. XVI. 21. XVII. 21. XX. 19. - Marc. IX. 30. X. 34. - Luc. XVIII. 33. — 2. Suppl. q. 75. a. 3. — 3. s. Th. ibid. — 4. De anima l. 6. c. 9. n. 5.

« satis perfecto ubi explet quandam inclinationem naturalem perfe-
« ctissimam ».

Prob. 3. pars min. ex verbis Christi [1]: « *Tunc responderunt ei quidam de Scribis et Pharisaeis dicentes: Magister, volumus a te signum videre. Qui respondens ait illis: generatio mala et adultera signum quaerit et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus* ». Hinc solemniter Apostolus [2]: « *Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris* ».

47. **Testimonium vitæ** (n. 102) — Si Christi vitam consideres, haec tria invenies: — a) Christus in sua *ad Deum relatione* fuit gloriae Patris sui studiosissimus, reverentia et amore erga ipsum plenus, adeo ut diceret, suum cibum esse facere voluntatem eius qui misit ipsum [3] — b) In sua *ad homines relatione* ipse pro illis amore æstuavit plane *universali* erga pauperes, erga debiles, erga peccatores, erga inimicos, erga discipulum traditorem — amore *efficaci* in animi corporisque beneficia prodeunte — c) In *se ipso* fuit *omnis virtutis* exemplar, atque ita ab omni defectu alienus, ut adversarios suos provocare potuerit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* » [4]. Atqui cum tali vita sanctitatisque idea conciliari nequit ulla fraus: ergo.

48. **Testimonium doctrinæ** (n. 103) — Christi doctrina duplicem partem habet, *theoreticam* et *practicam* seu *moralem*. Atqui in utraque, singulariter et sine exemplo in humanis, praecelsam Deoque dignissimam sese prodit: ergo divinam originem innuit. Revera — a) in *theoreticis* quidem non tantum ea, quae pertinent ad Deum, hominem et mundum, sine minimo errore docet, sed etiam dogmata tradit omni humana sapientia superiora: — b) in *moralibus* similiter apparet digna Deo, digna homine, digna societate: omnia legis naturalis officia complectitur erga Deum, erga proximum, erga nosmetipsos: nullo vel levissimo errore maculata cernitur, necessariis non caret, superfluis non redundat: motiva praebet efficacissima ad praecepta implenda: sic arcet vitia, ut ipsorum originem detegat et adiumenta ad ea convellenda exhibeat: sic virtutes docet, ut ad eas colendas fortitudinem ingerat: humilitate sua tam profunde descendit, tamque alte ascendit charitate, ut tantam virtutis sublimitatem humana ratio ante Christi doctrinam vix, aut ne vix quidem fuerit suspicata. Quare sic arguimus: humana ratio per studia diuturna atque consociata non potuit religiosam et moralem disciplinam nisi imperfectam producere. Ergo illa morum ac religionis doctrina, quae purissima ac perfectissima est, nec studiorum ope comparata, sed subito, tamquam de coelo

1. Matth. XII. 38. — 2. 1. Cor. XV. 14. — 3. Io. IX. 34. — 4. Io. VIII. 46.

veniens, praedicata, supernaturalis ac divina censenda est. Hinc recte s. Thomas [1]: « Nullus philosophorum ante adventum Christi cum « toto conatu suo potuit tantum scire de Deo et de necessariis ad « vitam aeternam, quantum post adventum Christi scit una vetula per « fidem: et ideo dicitur: *Repleta est terra scientia Domini* (Is. XI. 9) ».

§ 3. — De divina Christi missione ex testimonio posteritatis.

49. Omisso testimonio Apostolorum de quo eadem fere essent dicenda, quae de Christi miraculis diximus, sit sequens

Conclusio unica. « *Eloquens testimonium de Christo praebent hinc quidem tristis Synagogae conditio — inde vero laetissima gentium ad Christum conversio* ».

50. **Testimonium Synagogæ** (n. 105) — Ac — a) lex mosaica abroganda erat, et nova, auctore Messia, substituenda: « *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum..... quod irritum fecerunt* » [2]. Atqui reapse abrogatum est non solum *de facto*, sed *radicitus* quoque *sacerdotium leviticum* propter confusionem tribuum — abrogata est vel *ipsa possibilitas* sacrificia offerendi propter defectum *templi* et *sacerdotii* — eadem ex ratione observantia *legis mosaicae* magna ex parte impossibilis facta est, ac propterea nec Deus adhuc servat promissiones fœderi veteri adnexas [3]. Christo autem auctore invaluit nova *hierarchia*, novum *sacerdotium*, novum *sacrificium*, novus *cultus*, quo tamen Deus non novus, sed Israëlis colitur apud omnes gentes [4]: ergo. Item — b) tristissima plane est a duodeviginti seculis Synagogae et populi iudaici conditio, iuxta vaticinium Oseae [5]: « *Dies multos sedebunt filii Israël sine rege et sine principe et sine sacrificio et sine altari* » [6]. Atqui hæc miserrima conditio simul prædicta est tamquam pœna reiecti et interfecti Messiæ [7]: ergo huius gravissimi criminis a duodeviginti sacculis Iudæi rei sunt. Atqui praeter Iesum Christum nullus alius assignari potest, quem universus iudaicus populus *solemniter* reprobaverit atque occiderit, quique simul veros Messiae characteres praesetulerit: ergo.

51. **Testimonium gentium** (n. 106) — Omnium quidem gentium ad Messiam conversionem prophetae saepe vaticinati sunt: « *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium et elevabitur super colles et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini et at domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas et ambulabimus in semitis eius: quia*

1. Exp. symb. a. 1. — 2. Ier. XXXI. 31. — 3. Deuter. XXVIII. XXX. — 4. Mal. I. 11. — 5. Os. III. 4. — 6. Apol. c. 21. — 7. Dan. IX. 26.

de Sion exhibit lex et verbum Domini de Ierusalem » [1]. Atqui haec adimpleta fuisse in Christo et per Christum, nosmetipsi testes sumus: ergo suo omnino iure Christus dicere potuit: « *Confidite, ego vici mundum* » [2]: et de eo unus seniorum: « *Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David* » [3].

SECTIO II.

De divinitate christianæ religionis ex eiusdem historicis adiunctis demonstrata.

52. **Prologus** (n. 107) — Ad alterum argumentorum genus accedentes, quatuor heic expendemus sc. *rapidam* religionis christianae *propagationem* — *admirabilem conservationem* — sublimen vitae *sanctitatem* in suis asseclis — ingentem *martyrum* coronam; quae merito vocari possunt miracula in ordine *moradi*. Ad rem Conc. Vatic.: « Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, « eximiam sactitatem et inexhaustam in omnibus bonis fœcunditatem, « ob catholicam unitatem et invictam stabilitatem, magnum quoddam « et perpetuum est motivum credibilitatis, et divinae suae legationis « testimonium irrefragabile » [4]. Quare sint seqq. conclusiones.

53. **Conclusio I.** « *Quemadmodum* — 1° *rapidissima christianae religionis propagatio, ita* — 2° *admirabilis eius conservatio fateri nos cogit:* a Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris » (n. 108-110).

Prob. 1. pars — Religio christiana fuit rapidissime propagata: iam enim scribebat Apostolus [5]: « *Fides vestra annunciatur in universo mundo* » — « *Quod* (evangelium) *pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat et crescit* »: et Plinius iunior ad Traianum scribit [6]: « Visa est mihi res digna consultatione propter periclitantium « numerum: multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus « etiam, vocantur in periculum et vocabuntur: non civitates tantum, « sed vicos etiam atque agros christianae superstitionis contagio « pervagata est: prope iam desolata templa deorum et solemnia « intermissa ». Atqui plures sunt characteres, qui factum huiusmodi ostendunt *divinum* iique sunt sequentes: — a) impedimenta *interna*, cuiusmodi erant *incomprehensibilitas* doctrinae — praeceptorum *sanctitas* — virtutum *sublimitas:* — b) impedimenta *externa*, qualia erant *morum corruptio* universalis — *superstitionis error* cum lacte materno haustus — philosophorum *praeiudicia* et irrisiones — *calumniae* in novam religionem — *persecutionum* per tria secula immanis furor: — c)

1. Is. II. 2. — 2. Io. XVI. 33. — 3. Apoc. V. 5. coll. Gen. XLIX. 8. — 4. Const. *Dei Filius*, c. 3. — 5. Rom. I. 8. - Coloss. I. 6. — 6. L. 10. cp. 97.

media *naturaliter infirma*, quibus christiana religio fuit propagata sc. pauci discipuli, illitterati, pauperes, ignobiles: — d) *exitus operis* supra modum felix, non momentaneus, sed permanens, non superficie tenus, sed pervadens individuum, familiam, societatem, atque ita hominem renovans, ut placeret quod antea ipse detestabatur, displiceret a quo antea non abhorrebat. Cuius characteris crescit probandi vis, si consideretur hinc difficultas, quam vel in unius corrupti hominis emendatione experimur, inde vero sterilitas tum philosophicae institutionis, tum missionum protestantium. Ergo, nisi principium causalitatis negare velimus, inferendum est Deum ipsum pro christiana religione pugnasse, ut eam propagaret atque in terris constabiliret.

Prob. 2. pars — Factum indubium est, christianam religionem a duodeviginti et amplius seculis late per orbem diffusam existere, veluti signum in nationes levatum [1], atque vegetiorem in dies factam fuisse et fieri. Atqui diuturna haec conservatio *sine speciali Dei interventu* explicari nequit: ergo — *Prob. min.* Considerentur — a) Ecclesiae *hostes* omnis generis omnisque coloris: — b) coniurationis *amplitudo* pro *loco, tempore* et *obiecto:* — c) adversariorum *arma*, quæ *humanitus* inspecta fuere efficacissima sc. potentia, scientia, opes, fraudes, calumniae, mendacia, corruptio, seductio, vis aperta, insidiae atque machinationes secretæ: — d) *Ecclesiæ arma,* sola plerumque patientia, cum Principum protectione aliisque naturalibus mediis destitueretur: demum — e) *pugnae exitus,* qui ubique et semper fuit impletio promissionis Salvatoris: « *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam* ». Nisi ergo effectum admittere velimus absque causa, dexteram agnoscamus Omnipotentis suam cœlitus protegentis Ecclesiam.

54. **Conclusio II.** « *In idem mirifice conspirant tum* — 1° *humani generis translatio ex vitiorum colluvie ad sublimem vitae sanctitatem, ope christianae religionis effecta, tum* — 2° *ingens christianorum martyrum corona* » (n. 111-113).

Prob. 1. pars — Comparatione instituta inter statum societatis christianae saeculo IV. et conditionem humanae societatis moraliter eiusdem, ut se habuit in praeteritis generationibus, constat — a tempore Christi et Apostolorum *ingentem* viguisse *morum corruptionem,* cuius rei testis est Apostolus [2]: « *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et haec quidem fuistis* ». Constat — b) per christianae religionis praedicationem *evidentem innovationem* subsecutam esse: prosequitur enim Apostolus: « *Sed ablati estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine D. N.*

1. Is. XI. 12. — 2. Cor. VI. 9. - cf. Tertull. (Apol. cc. 9. 15. 46. 47.) - Cypr. (ep. 1. n. 6. sqq.) - Min. Felix (Octav. c. 28. sqq.).

Iesu Christi et in Spiritu Dei nostri »: et Tertullianus sic loquitur ad romani imperii præsides [1]: « De vestris semper æstuat carcer, « de vestris semper metalla suspirant, de vestris semper bestiæ sa- « ginantur, de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt. « Nemo illic christianus, nisi hoc tantum (crimine, quod sit chri- « stianus): aut si et aliud (crimen habet), iam non christianus (iam « defecit a fide christiana) ». Idem [2] ait « christianos non aliunde « esse noscibiles, quam ex vitiorum emendatione ». Constat praeterea — c) singulares virtutes *gradu* vere *heroico* floruisse, ut ex. gr. *castitas* vere *angelica*, adeo ut Tertullianus dicere potuerit [3] « virgines christianas magis timuisse lenones, quam leones » — *patientia* admirabilis mediis in sævissimis tormentis — *amor inimicorum* — *perseverantia* omnino invicta. Ad rem igitur Origenes [4]: « Divinitatis testes sunt tot ecclesiæ hominum, qui, a vitiorum col- « luvie aversi, Conditori se totos addicunt et in omnibus illi placere « student ».

Prob. 2. pars — Ingentem christianorum moltitudinem sanguinem pro Fide fudisse, testantur antiquitatis monumenta. Atqui hoc sanguinis effusi testimonium est *vox authentica* veritatis: ergo — *Prob. min.* Martyrium christianum — a) si *materialiter* spectetur, habet characteres plane *divinos*, qui sunt: *ingens numerus* martyrum omnis ætatis, sexus, conditionis, nationis — *suppliciorum immanitas* omnis generis — *incredibilis* martyrum *constantia* — *sapientia* et *prudentia* martyrum in sui responsis: vere enim impleta sunt verba Christi [5]: « *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri* » — *miracula* stupenda, quae quandoque martyrium comitata sunt — persecutionum *diuturnitas* per tria ferme saecula — *fructus* ad religionis christianae incrementum, cum « martyrum sanguis esset christianorum semen » ut ait Tertullianus [6]. Nec ulla causa *naturalis* assignari potest, qua factum tam stupendum possit explicari: non certe *spes lucri*, non *inanis gloriæ cupido*, non *patriæ amor*, non *mentis furor*, non *inanis expectatio bonorum futurorum*. Si præterea — b) martyres spectentur *formaliter* ut *martyres* idest testes, ipsi sunt catena quædam *testium*, quæ incipit ab Apostolis et continuatur per plura secula, et quidem tales testes, qui tum spretis omnibus terrenis bonis, tum sponte susceptis malis vitæ omnibus, consonum semper testimonium reddiderunt et sanguine obsignarunt pro veritate fidei christianæ. Aqui pro nulla alia re *similes* habentur testes: ergo.

1. ibid. — 2. Apol. c. 44. n. 148. — 3. Apol. c. 50. n. 176. — 4. Adv. Cels. l. 1. n. 47. — 5. Apol. c. 5. — 6. Luc. XXI. 15. Matth. 16.

TRACTATUS II.

De Christi Ecclesia

QUÆSTIO PRODROMA

Quodnam sit medium divinitus electum ad custodiendam docendam explicandamque hominibus christianam revelationem.

55. **Regula fidei catholica** (n. 116-117) — Sicuti ex Christi voluntate revelatio, per ipsum facta, esse debet universalis *loco* et *tempore,* ita opus est ut eodem Christo auctoré quoddam existat *medium* quo eadem revelatio ad nos usque conservata sit integra et sincera. Et quoniam oriri possunt controversiæ de eius vero sensu, opus est etiam ut tribunal existat, a quo aedem dirimantur iudicio authentico et infallibili. Quaeritur ergo quinam sit hic *testis, magister, interpres* et *iudex* seu, aliis verbis, quænam sit illa « norma universalis et certa infallibiliter exhibens verbum Dei eiusque genuinum sensum » quæ *regula fidei* dici solet. Porro in doctrina catholica [1] duplex secernitur, *remota* et *proxima:* illa est ipsum *verbum Dei revelatum* tum *scriptum,* tum *ore traditum* — seu *Scriptura* et *Traditio,* quæ dicuntur etiam *fontes revelationis* — altera est *vivum magisterium* pastorum Ecclesiæ a Christo constitutum atque infallibilitatis charismate donatum.

56. **Regula fidei protestantica** (n. 118-119) — Ast protestantes *solam Scripturam* habent et ut *fontem,* ex quo omnia fidei dogmata haurienda sunt, et ut *regulam adæquatam* quae ad omnes de fide quæstiones solvendas sufficiat. Ubi vero obscuritas sensus in Scriptura occurrit, duplicem regulam assignant ad verum sensum inveniendum: una est *rationalis* et sita est in privato hominis examine — altera est *theosophica* et consistit in immediata Sp. Sancti inspiratione, idest in interna communicatione uniuscuiusque cum Sp. Sancto a quo quisque verum Scripturarum sensum edocetur [2].

Porro dilatis nunc quaestionibus de fontibus revelationis seu de

---

1. Conc. Vat. Const. *Dei Filius* c. 2. — 2. Ita Lutherus *(De Inst. Minist. Eccl.)*.

regula fidei *remota*, hic statuimus sequentes conclusiones quoad regulam fidei *proximam* contra protestantes.

57. **Conclusio I.** « *Supremus testis, magister, interpres et iudex circa fidei depositum est vivæ vocis magisterium* » (n. 122-123). *Prob.* — a) ex Christi et Apostolorum *exemplo*. Christus enim, conciliata sibi multiplici argumento auctoritate, doctrinam non *scripto* sed *viva voce* promulgavit: « *Circuibat totam Galilaeam praedicans evangelium regni* » [1]. Nec moriens doctrinae perpetuitati prospexit *per scripta*, sed instituto vivae vocis magisterio perenni, cui suam et Sp. Sancti promisit assistentiam: « *Euntes docete omnes gentes ..... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* » [2] — Item apostoli *praedicationis* ministerio Evangelium promulgarunt, aliosque instituebant ut eadem ratione alios instituerent: « *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis* » [3] — « *Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erant et alios docere* » [4]. Atqui nunquam demonstrabunt protestantes hanc oeconomiam cum Apostolis cessare debuisse fuisseque substituendum mortuum Scripturae magisterium: ergo. Item — b) ex Christi *institutione*. Ipse enim Apostolis mandavit, ut praedicationis munere fungerentur: « *Euntes docete omnes gentes* » [5] — *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae* » [6] — « *Eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudæa et Samaria et usque ad ultimum terræ* » [7]. Atqui simul voluit munus praedicandi esse perpetuum: « *Ecce ego vobiscum* (docentibus) *sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* » [8]: et ne Apostoli eorumque successores muneri docendi deessent, charismate infallibilitatis eos instruxit, promissâ suâ et Spiritus Veritatis assistentiâ: « *Et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, qui maneat vobiscum in aeternum* » [9]: ergo. Item — c) ex fidei *universalitate*. Nam christiana revelatio et fides *ad omnes homines pertinent* eisque necessaria sunt ad salutem: « *Prædicate evangelium omni creaturae: qui crediderit, salvus erit, qui non crediderit, condemnabitur* » [10]. Atqui, absque orali magisterio, vel nullatenus potest, vel minus bene potest huic fidei proprietati consuli: ergo — *Prob. min.* Reiecto vivae vocis magisterio, medium ad fidei *universitatem* obtinendam non est *privata revelatio*, quae evidenter est figmentum rationis — nec *scientifica demonstratio* aut *Scripturae lectio*, quippe quae rudibus, idest maximae hominum parti, non sunt accomodatae — nec *auctoritas sapientum* uti patet ex dictis n. 25. — E contra vivum magisterium, infallibilitatis

1. Matth. IV. 23. — 2. Matth. XXVIII. 18. — 3. Marc. XVI. 20. — 4. 2 Tim. II. 2. — 5. Matth. XXVIII. 19. — 6. Marc. XVI. 15. — 7. Act. I. 8 — 8 Matth. ib. — 9. Io XIV. 16. — 10. Marc. ult.

charismate instructum, est medium *aptum*, quia infallibile — est *omnibus accomodatum*, quia maior hominum pars potius viâ *auctoritatis* quam *rationis* in veritate inquirenda procedit. Denique — d) ex fidei *unitate*, quam Christus voluit iuxta ea Apostoli: « *Solliciti servare unitatem.... unus Dominus, una fides, unum baptisma* » [1]. Spectata enim hominum indole, inter christianos deesse nequeunt controversiae circa amplitudinem sensumque revelationis. Atqui in eiusmodi controversiis Scriptura non loquitur multoque minus iudicat, quando de ipso Scripturarum sensu litigatur et utraque inimica pars eam sibi vindicat atque pro se explicat. Nisi ergo dicere velimus, a Christo praetermissum esse, quod in omni republica bene ordinata institutum est, concludi debet, magisterium vivum, tamquam supremum controversiarum iudicem, Christi religioni non deesse ad efficiendam fidei unitatem. Hinc Apostolus [2]: « *Ipse* (Christus) *dedit pastores et doctores .... donec occurramus omnes in unitatem fidei* ».

58. **Scholion** (n. 124) — In pastorum magisterio duplex elementum distinguere oportet, idest *divinum* quod est infallibilitatis charisma, et *humanum* quod est ipsum corpus pastorum in munere docendi eiusque consensio in eadem doctrina tradenda et conservanda per media humana, idest studium, inquisitiones, consultationes, preces ad Deum etc.... Hinc duplex auctoritas, *historica* quae secundum elementum *humanum*, et *dogmatica* quæ secundum *divinum* spectatur. Porro, quamvis ratio suprema perennis conservationis doctrinae revelatae sit promissum infallibilitatis charisma, tamen magisterium pastorum, etiam *historice* tantum consideratum, adeo apte muneri suo iugiter respondit, ut novum suppeditet argumentum, ipsum esse medium aptissimum conservandae propagandaeque revelationis.

59. **Conclusio II.** « *Scriptura non est unicum nec praecipuum medium, e quo fideles immediate haurire debent veritates fidei* » (n. 125-127) — *Prob.* — a) *ex origine Scripturae*. Nam, si haec consideretur, patet sacros libros exaratos fuisse, cum fideles iam ab Apostolorum aliorumque ore penderent — conscriptos esse data occasione — ad ecclesias vel personas singulares — ex causa particulari. Atqui nec Apostoli voluerunt, cum scriberent, ordinem divinitus institutum atque exitu omnino felici iam constitutum subvertere, nec aliquis dicet libros ita comparatos esse ex Apostolorum intentione unicum aut praecipuum medium conservandae et derivandae in omnes et singulos christianae doctrinae: ergo. Item — b) *ex Scripturae indole*. Ipsa enim in pluribus iisque maximi momenti adeo est obscura, ut interpretatione indigeat [3] nec ullibi datâ operâ recenset, quae sunt

1. Eph. IV. 3. - 1. Cor. XI 19. - 2. Tim. IV. 3. — 2. Eph. IV. 11. — 3. 2. Pet. 3.

necessario credenda; res maximi momenti quandoque breviter et obiter attingit (e. g. quae ad mysterium Trinitatis spectant), alia vero minoris momenti fuse explicat (e. g. praestantia virginitatis). Atqui incredibile est, librum ita comparatum esse unicum aut praecipuum revelationis fontem: ergo — *Confirm.* — c) *ex protestantismi historia.* Reiecta enim magisterii auctoritate, adeo in dies creverunt (et crescunt) inter protestantes dissidia et sectarum multiplicatio ut confessus fuerit ipse Lutherus [1]: « Si diutus steterit mundus, iterum « erit necessarium, ut propter diversas Scripturae interpretationes « quae nunc sunt, ad conservandam fidei unitatem Conciliorum « decreta recipiamus et ad ea confugiamus ». Quare merito notat De-Maistre [2], quod si protestantismus adhuc perdurat, ex eo repetendum est, quod totus reducitur ad *negationem* catholicae Ecclesiæ.

60. **Solvuntur difficultates** (n. 128-132). *Obiectio I. — Catholicum principium de auctoritate magisterii — 1° subiicit verbum Dei hominum iudicio — 2° deprimit humanum intellectum — 3° impedit libertatem et progressum — 4° sacrorum bibliorum studia retardat.*

Resp. — Ad 1um Sicut non deprimitur lex eoquod iudex eius sensum determinat, valorem verborum legis explicando — nec deprimitur veritas, quia magister eam docet et explicat: ita non deprimitur verbum Dei, eoquod ab ecclesiastico magisterio, quod ceteroquin est magisterium *divinum,* explicatur et proponitur.

Ad 2um Intellectus hominis, cuius perfectio est veritas, non modo non deprimitur, sed quam maxime nobilitatur, dum assensum praestat definitionibus illius magisterii, quod Deus constituit custodem atque interpretem infallibilem veritatis. Quid nobilius, quam hominem intellectu et voluntate subiici Deo, supremo vero et bono? Quid magis ignobile, quam intellectum suis aberrationibus relinqui, sicut consequitur ex systemate protestantium?

Ad 3um Vera libertas in eo sita est, quod quilibet absque impedimento iis mediis uti possit, quae ad veram perfectionem ducunt. Vera autem hominis perfectio consistit in cognitione veri et assecutione boni iuxta normam rationis. Atqui adhaesio infallibili veritatis magisterio homines ducit ad veritatis acquisitionem et extirpationem vitiorum: ergo est aptissimum libertatis adiumentum necnon veri progressus veraeque civilitatis alimentum.

Ad 4um Quemadmodum flumina si intra alveum contineantur, valde prosunt ac publicis privatisque commodis opportune inserviunt: contra vero, si extra alveum erumpant, alluviones undequaque important et vastitatem: ita plane, si interpretes sacri verum Scripturae spiritum consectentur, qui ex sensu Ecclesiae sanctorumque Patrum

1. l. cont. Zvinglium. — 2. Du Pape l. 2. c. 5.

exurgit, fidei ac religionis causam promovebunt: si secus fecerint, maximo eidem erunt nocumento. Hinc Trid. [1] « ne cœlestis ille sa-« crorum librorum thesaurus, quem Sp. Sanctus summa liberalitate « hominibus tradidit, neglectus iaceat » statuit et decrevit, « ut « constituerentur ubique locorum, qui idonei essent ad sacrae Scri-« pturae expositionem et interpretationem populo faciendam, et ca-« thedrae de Scriptura Sacra in gymnasiis erigerentur ».

61. *Obiectio II.* — *Magisterii existentiam catholici probant ex Scripturis, Scripturae autem divinitatem et sensum dicunt independenter ab illo innotescere non posse: en circulus vitiosus!* (n. 132).

Resp. neg. cons. Dum enim — a) existentiam magisterii ex Scriptura probamus, praescindimus a *divina* Scripturae auctoritate et solam *humanam* consideramus. Atqui humana Scripturae auctoritas aliunde etiam constat, quam ex authentico magisterio: ergo. Praeterea — b) demonstratio nostra est contra protestantes. Atqui ipsi nobiscum agnoscunt Scripturarum auctoritatem: ergo ex communi fonte argumenta depromimus. Probata vero existentia et autenticitate oralis magisterii ex historica Scripturae auctoritate, exinde tamquam principio demonstrationis educitur divina Scripturae auctoritas et canon ut suo loco praestabimus. Verum ut omnis circuli vitiosi species excludatur, consideretur — c) factum de huius magisterii existentia. Conspicientes enim Ecclesiam simulque eius characteres considerantes invenimus eius existentiam non humanae industriae, sed divino interventui esse tribuendam. Haec vero Ecclesia sibi semper vindicavit et vindicat auctoritatem docendi sibique homines subiiciendi in doctrina fidei. Atqui Deus nequit speciali suo interventu errorem confirmare. Ergo hoc magisterium existit ex iure divino ideoque eius definitionibus adhaesio omnino necessaria est [2].

Post quae nunc quaestio ad hoc reducitur, *ubi sit* authenticum illud magisterium. Porro illud in sola Ecclesia a Christo instituta reperitur; hinc ad eam cognoscendam gradum facimus.

PARS I.

De Ecclesiæ origine, natura, proprietatibus ac dotibus.

62. **Divisio tractatus** (n. 133) — Ecclesia est societas quæ ex *Iure divino* uno supremo capite sc. *Romano Pontifice*, necnon pastoribus eidem subiectis sc. *episcopis* regitur. Hinc praesens tractatio in tres partes dispescitur sc. de Ecclesia *generatim* — de ipsius visibili *Capite* — de reliquis Ecclesiae pastoribus, praesertim in Conciliis con-

1. Sess. V. *De Ref.* c. 1. — 2. Cf. Calvi *Sul Razionalismo* V. 2. n. 168.

gregatis. Hanc vero priorem partem in quatuor capita diducimus sc. de Ecclesiae *origine* et *institutione* — de eius *natura* — de eius *proprietatibus* — de eius *dotibus*.

CAPUT I.

De Ecclesiae origine et institutione.

ARTICULUS I.

Ecclesiæ conceptus præformatur.

63. **Ecclesiæ acceptio generica et specifica** (n. 134-136) — Si *nomen* spectetur, *ecclesia* usu tum sacro tum profano idem est *in abstracto* ac *evocatio, in concreto* vero ipse *vocatorum cœtus* [1]. Si autem *res* nominis spectetur, ecclesia acceptione *generica* significat quemvis vocatorum cœtum sive sacrum, sive profanum, sive politicum, sive religiosum [2] — in acceptione *specificâ* est cœtus formâ et fine religiosus, quae significatio in usu loquendi biblico et ecclesiastico longe frequentior est magisque propria — Cum autem vera religio in praesenti ordine sit revelata ac supernaturalis, idcirco ecclesiae nomine *specifice* significatur *societas religiosa supernaturalis*. Haec vero, spectata *extensione*, significatione *amplissima* est supernaturalis societas eorum omnium, qui sive angeli, sive homines ab Adam ad finem mundi sub Christo capite *fide* in via, *visione* in termino Deo adhaerent — *minus amplâ* est supernaturalis societas *hominum*, qui ab Adam ad consummationem saeculi sub Christo capite Deo adhaerent *per fidem* in via — *strictâ* est cœtus supernaturalis divinitus vocatorum Deo adhaerentium *per fidem christianam* sub visibili imperio, magisterio ac ministerio a Christo instituto. Porro de hac Ecclesia hic sermo est.

64. **Ecclesia regnum potestatis - veritatis - sanctificationis** (n. 137) — Idea adaequata, sub qua sese praesentat Ecclesia a Christo fundata, ea est ut ipsa vere sit *regnum potestatis — veritatis — sanctificationis:* regnum quidem *potestatis* in proprio regimine, *veritatis* in proprio magisterio, *sanctificationis* in proprio sacerdotio. Quae triplex potestas *regendi, docendi* et *sanctificandi* est *originaliter* in Christo institutore, *per participationem* in eius ministris ab eodem

1. A verbo græco ἐκκαλέω *vocare* inde ἐκκλησις *evocatio* et ἐκκλησια *vocatorum cœtus*. — 2. Act. XIX. 22. 39. 40. - Ps. 25. - Eccl. XXI. 20. XXIII. 34: XXXIII. 19: XXXVIII. 37.

Christo constitutis ad regendam, docendam, sanctificandam Ecclesiam in suis membris. Haec forma, qua Ecclesia ab aliis societatibus distincta et diversa existit quaque constituitur ordinis non terreni, sed supernaturalis, magis magisque patebit in quæstionibus infra agendis.

65. **Definitio bellarminiana** (n. 138) — Ex hac Ecclesiae idea patet quam adæquata sit definitio Ecclesiæ quam primus tradidit Bellarminus [1]: « *Ecclesia est cœtus hominum viatorum, unius et eiusdem fidei christianæ professione et eorundem sacramentorum communione adunatus sub regimine legitimorum pastorum ac praecipue R. Pontificis.* » Quae definitio praeterquamquod praedescriptam Ecclesiae indolem ex integro refert, exhibet quoque, uti subdit Bellarminus « qui ad Ecclesiam pertineant, qui non pertineant. Tres enim sunt partes « huius definitionis: professio verae fidei, sacramentorum communio « et subiectio ad R. Pontificem. Ratione *primae* partis excluduntur « omnes infedeles, sive illi qui nunquam fuere in Ecclesia, ut Iudæi, « Turcae, Pagani, tum qui fuerunt et recesserunt, ut haeretici et « apostatae. Ratione *secundae* partis excluduntur catechumeni et « excommunicati, quoniam illi non sunt admissi ad sacramentorum « communionem, isti sunt dimissi. Ratione *tertiae* partis excluduntur « schismatici, qui habent fidem et sacramenta, sed non subduntur « legitimo pastori. Includuntur autem peccatores ».

66. **Ecclesia pascens et discens - universalis et particularis** (n. 139) — Ex eadem Ecclesiae idea profluunt quoque præcipuæ duæ Ecclesiæ partitiones. Scilicet — a) partitio Ecclesiæ in *pascentem* quo nomine significantur qui regunt, docent et sanctificant — et *discentem* quo nomine ii significantur qui ab Ecclesiae pastoribus pendent. Hanc distinctionem confirmat Scriptura, quae de Ecclesia *pascente* ait [2]: « *Quod si te non audierit, dic Ecclesiae* (h. e. praepositis et praesulibus): *si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* »: et de Ecclesia *discente* ait [3]: *Sp. S. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* ». Item — b) quoniam Ecclesia dupliciter considerari potest sc. *adaequate* prouti est unum universale regnum sub uno supremo rectore, doctore et sacerdote, et *inadaequate* pro singulis eius partibus seu coetibus, qui a propriis pastoribus Capiti subiectis reguntur, docentur et sanctificantur, exinde profecta est alia partitio, in Scripturis pariter fundata, sc. Ecclesiae *universalis* et *particularis*.

67. **Ecclesiae anima et corpus** (n. 140-141) — Ecclesia spectari potest quatenus est societas *spiritualis* et *supernaturalis*, quod est veluti eius *differentia specifica*, et quatenus est *visibilis societas*, quod eius *genus proximum* constituit. Huic duplici considerationi

1. De Eccl. l. 3. c. 1. — 2. Matth. XVIII. 17. — 3. Act. XX. 28.

respondet duplex vita Ecclesiae sc. vita *socialis* communis cuilibet societati, et vita *spiritualis* unius Ecclesiae propria. Porro — a) ratione habita huius *spiritualis* vitae, distinguunt imprimis Theologi inter *corpus* et *animam* Ecclesiae, ita ut *anima* dicatur illud omne quod est invisibile principium vitae supernaturalis in homine, *corpus* vero quod ab illa visibiliter veluti informatur et vivificatur. Hinc ad Ecclesiae *animam* pertinent *gratia sanctificans* — *virtutes supernaturales infusae* — *gratia actualis* — *septem dona* Sp. Sancti — *Corpus* autem est ipse *baptizatorum coetus* seu sunt pastores et fideles, quatenus per eiusdem fidei professionem, per eorumdem sacramentorum communionem atque ad legitimos præsules subiectionem, unam visibilem societatem constituunt — Alii e contra — b) considerantes Ecclesiam tamquam *visibilem societatem*, alio sensu distinguunt inter *animam* et *corpus* Ecclesiae, dicentes *corpus* Ecclesiae esse ipsam fidelium multitudinem, *animam* vero auctoritatem, qua fideles ordinantur et in unitate continentur.

68. **Corollaria** (n. 142). Ex dictis patet — a) duplex principium formale distinguendum esse in Ecclesia, alterum principium formale *societatis*, alterum principium formale *vitæ supernaturalis* in membris. Praeterea — b) non omnes, qui *actu* pertinent ad Ecclesiam, eodem gradu pertinent ad eius animam, quatenus hæc intelligitur principium formale vitae supernaturalis. Sic iusti *perfecte* sunt de Ecclesiæ anima h. e. secundum omnia dona sanctificantia — peccatores *imperfecte* idest secundum fidem et spem — haeretici occulti *imperfectissime* idest secundum gratiam actualem, quam Deus nemini negat. Patet quoque — c) aliquos esse posse de anima Ecclesiae, et non de corpore, ut ex. gr. catechumeni qui iam habere possunt gratiam, fidem et charitatem.

ARTICULUS II.

De causa Ecclesiæ institutrice.

69. **Quæstio generalis** (n. 144) — Certum est Christum esse *aliquo modo* Ecclesiae *causam*. Nam — a) est causa *finalis* Ecclesiae quatenus gloria Christi, quae in hominum sanctificatione aeternaque salute consistit, est finis *proprius* Ecclesiae. Item — b) aliquo vero sensu dici potest causa *formalis intrinseca* Ecclesiae. Si enim Ecclesiam consideres sub *generico* conceptu visibilis societatis, *forma* qua uniuntur fideles, est *auctoritas*: si autem illam spectes sub *specifico* conceptu societatis spiritualis et supernaturalis, *forma* qua animantur fideles, sunt dona supernaturalia sanctificantia (n. 67). Atqui Christus est qui per suos ministros Ecclesiam regit, ipse est fons vitae spiritualis: ergo non immerito ipse dici potest *causa formalis*

intrinseca Ecclesiae. Item — c) est causa *exemplaris* Ecclesiae suae. Nam sicut Christus *in sua constitutione* est *Deus-homo*, sic Ecclesia *in sua constitutione* sc. in suis membris — in suis pastoribus ac doctoribus — in suis sacramentis — in suis institutis — duplici elemento constat, elemento per se humano, externo ac visibili atque elemento interno, divino et invisibili. Sicut Christus *in suis muneribus* est hominum pastor seu rex, magister et sanctificator, sic Ecclesia *in suis functionibus* explicat sibi derivatum a Christo magisterium veritatis, imperium salutis, sacerdotium sanctificationis. Sicut Christus, prius conceptus et natus ex intemerata Virgine obumbrante Sp. Sancto, postea cursu consummato surrexit ad novam et immortalem vitam, ita Ecclesia hic in terris quotidie concipitur et nascitur in suis membris ex utero virginali fontis baptismatis et Spiritu Sancto, et cursu huius temporis expleto resurget ad incorruptibilem vitam in animabus et corporibus filiorum suorum. Denique — d) Christus est causa *moralis* Ecclesiae quatenus est causa *meritoria* eiusdem: nam *lex*, *doctrina* et *gratia* quae procedunt a triplici potestate, quam diximus, regiminis, magisterii et sacerdotii, sunt fructus sanguinis Christi.

70. **Quæstio specialis** (n. 145-146) — Præsens autem quæstio est utrum Christus sit causa efficiens *physica* Ecclesiae, quod proprie exprimitur quando quæritur an Christus sit *auctor* Ecclesiæ quatenus haec in propria forma constituitur *regiminis, magisterii* et *ministerii*. Hoc sensu negant Ecclesiam fuisse a Christo institutam — a) *rationalistae mythici*, quibus Christus non est nisi purus homo quique docent Ecclesiam nuncupari *christianam* non ratione *fundationis*, sed ratione *doctrinae*, cui deinceps Christi asseclae operam dantes, numero aucti, in formam societatis paulatim coaluere [1]. Eandem doctrinam profitentur — b) *sociniani*, waldenses secuti, docentes Ecclesiam eatenus censendam esse a Christo fundatam, quatenus Christus doctrinam suam proposuit tenendam et sua redemptione omnibus fidem et iustificationem meruit [2]. Adstipulati sunt — c) *protestantes*, addentes Ecclesiam eatenus institutam esse a Christo, quatenus hominibus divinitus datus est codex seu Scriptura Sacra, a qua totam doctrinam fide divina credendam et legem ad salutem servandam sub divina illustratione haurirent [3].

71. **Conclusio unica.** « *Ecclesia in propria forma regiminis, magisterii et ministerii a Christo Domino instituta fuit* » (n. 147).

Prob. — a) argumento *praescriptionis* — Testimonium enim, quod societas aliqua reddit de seipsa, si *antiquum* sit, *universale* ac *nun-*

1. Strauss *La vie de Jésus* t. 1. p. 85 — 2. Bibliotheca FF. Polon. t. 1. — 3. Bohemerus *Iur. eccl. ant.* d. 8. c. 2. - Grotius *De imp. potest. sum.* c. 1.

quam interruptum, est argumentum veritatis. Atqui christiana antiquitas non minus formam socialem Ecclesiae sub certo regimine, magisterio ac ministerio, quam religionem ipsam, doctrinam et cultum, quae in tali forma sociali veluti concreta redduntur, Christo ut auctori constanter et universaliter adscripsit: ergo. *Prob.* — b) ex *testimoniis evangelicis*. Etenim forma socialis, quam habet omnique tempore habuit christiana religio, in eo sita est, quod ipsa sit regnum imperii per potestatem *regendi* — regnum *veritatis* per potestatem *docendi* — regnum *sanctificationis* per potestatem *sacerdotii*. Atqui Christus ita reapse Ecclesiam suam constituit: ergo — *Prob. min. subs.* Christus ait [1]: « *Sicut misit me Pater et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* ». Ex quibus verbis hoc prodit argumentum: Christus communicavit Apostolis eam missionem quam ipse a Patre acceperat. Atqui munera, ad quae obeunda Christus missus fuerat a Patre, *tria* sunt sc. *imperium* — *magisterium* — *sacerdotium*: ergo Christus « his verbis, sic egregie « concludit s. Cyrillus Alex. [2], ordinavit Apostolos orbis *duces* et « *doctores* et divinorum mysteriorum suorum *dispensatores* ». — *Prob. min. subs.* ex disertis testimoniis evangelicis. Christus enim sibi adscribit potestatem *imperii* [3]: « *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* » — item potestatem *magisterii* [4]: *Magister vester unus est Christus* » — « *Oportet me evangelizare regnum Dei, quia ad hoc missus sum* » — item potestatem *sanctificationis* [5]: « *Et pro eis ego sanctifico meipsum ut sint et ipsi sanctificati in veritate* » — *Prob. consequens* ex specialibus testimoniis, quibus Christus distinctim simul et explicite contulit Apostolis *regiminis* potestatem [6]: « *Amen dico vobis: quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis: et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in cœlis* » — potestatem *magisterii* [7]: « *Euntes ergo docete omnes gentes* » — *sanctificandi* auctoritatem [8]: « *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti* » — « *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt* ». Dum vero Christus veram potestatem contulit Apostolis regendi, docendi et sanctificandi, simul quoque homines subiecit eorum regimini, magisterio et ministerio. Atqui ex Apostolis regentibus, docentibus et sanctificantibus, et ex hominibus qui eorum sint obnoxii auctoritati, coetus naturâ suâ religiosus coalescit, regnum quoddam *imperii*, *veritatis* et *sanctificationis*, quod est Ecclesia: ergo.

72. **Scholion I.** *De ratione qua Ecclesia est cœtus a Synagoga*

1. Io. XX 21. — 2. In. h. l. t. 4. pag. 1093. 1095. — 3. Matth. XXVIII. 18. — 4. Luc. VI. 43. — 5. Io. XVII. 19. — 6. Matth. XVIII. 18. — 7. id. XXVIII. 19. — 8. ibid. et Io. XX. 21.

distinctus (n. 148) — Ecclesia dupliciter spectanda est, idest secundum *genericam essentiam* et secundum praesentem *statum* et *formam*. Sub primo respectu idem est ac hominum cœtus rite colentium verum Deum, existens propter merita Christi et fidem habens in Christum: quo sensu a Synagoga non distinguitur — Sub altero respectu Ecclesia christiana non uno ex capite differt a Synagoga: sc. — a) quoad *fidei obiectum* materiale, quia plura creduntur post Christum, quam antea — b) quoad *vim sanctificandi*, quia sacramenta V. L. gratiam non conferebant, sed solum significabant, cum essent *elementa infirma et egena* [1]; dum sacramenta N. L. conferunt *ex opere operato* gratiam quam significant — c) quoad *sacrificium, sacerdotium* et *regimen* — d) quoad *privilegia* et *praerogativas:* Synagoga enim erat typus et figura ideoque interitura — erat infallibilis *per extrinsecam providentiam* Dei, qua frequenter mittebantur prophetae ad populum confirmandum in fide — erat ad particularem populum coarctata; Ecclesia vero est antitypus, indefectibilis, universalis, infallibilis propriâ ordinariâ infallibilitatis praerogativâ.

73. **Scholion II.** *Ecclesia est societas legalis* (n. 149). Et — a) est legalis ex Iure *positivo-divino,* tum spectata eius *institutione,* tum spectata *constitutione* Synagogae, cuius lex fundamentalis divina erat ut ipsa esset in statu viae, non termini, promissionis, non implementi, figurae expectantis figuratum — b) Est legalis ex Iure *naturali,* non modo quia ipsi non adversatur, sed etiam quia ipsum naturale Ius religionem revelatam, si existat, praecipit — c) Est legalis spectato ipso Iure Romani Imperii: lex enim aut saltem consuetudo tunc erat apud civiles societates, ut nullus excluderetur cultus omnisque admitteretur religio. Quare s. Leo M. [2]: « Haec autem civitas « (Roma) ignorans suæ provectionis auctorem, cum pene omnibus do- « minaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus: et ma- « gnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia *nullam respuebat* « *falsitatem*. Unde quanto erat per diabolum tenacius illigata, tanto « per Christum est mirabilius absoluta ».

1. Gal. IV. 9. — 2. In nat. App. Pet. et Pau.

CAPUT II.

De Ecclesiae natura et constitutione.

ARTICULUS I.

De causa finali Ecclesiae.

74. **Finis supremus et proprius** (n. 150-152) — Cum nota *specifica* societatis sit *finis* [1], ideirco in inquirenda Ecclesiae natura aptissime ab eius fine exordimur. Porro — a) cuiusvis operis Dei *ad extra* duplex finis distingui debet, *supremus* et *proprius*. Finis *supremus* est ipsius Dei gloria: ideirco, cum, post incarnationem Verbi, nobilissimum Dei opus *ad extra* sit Ecclesia, ipsa quoque ad divinam gloriam manifestandam imprimis ordinatur. Hic autem quaeritur finis *specialis* Ecclesiae seu *proprius*. Hic — b) duplex est, alius *ultimus* et *mediatus*, alius vero *proximus* et *immediatus*. Prior est hominum salus seu vita aeterna, quae sita est in visione Dei beatifica: alter vero, per quem ad ultimum tenditur et pervenitur, est animarum sanctificatio, iuxta illud Apostoli [2]: « *Habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam aeternam* ». Hic uterque finis — c) aliter quoque enunciari solet, quum nempe dicitur, Christum instituisse Ecclesiam, ut in ea et per eam perennem faceret suam visibilem in terris missionem, seu idem opus continuaret, quod ipse visibiliter in terris degens inchoavit, opus, inquam, non *redemptionis* [3] sed *applicationis*: quod quidem *applicationis* opus Christus continuat per Ecclesiam et in Ecclesia: *per Ecclesiam* h. e. per exercitium potestatis Apostolis factae docendi, regendi et sanctificandi — *in Ecclesia*, quia per subordinationem Ecclesiae doctoribus, rectoribus atque sanctificatoribus homines eo ipso in Ecclesia sunt.

75. **Conclusio unica.** « *Ecclesiæ finis* — 1° *ultimus est æterna hominum salus* — 2° *proximus est animarum sanctificatio* » (n. 153-156) — Hæc conclusio est *de fide catholica* ex Later. IV. [4]: « Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur ».

Prob. 1. pars — Eadem est missio Christi et Ecclesiae: « *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* »: ad quam missionem obeundam Christus communicavit apostolis suam potestatem in successoribus continuandam: « *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* » [5]: hinc Apostolus: « *Pro Christo legatione*

1. cf. Tarquini *Ius Eccl.* l. 1. n. 6. — 2. Rom. VI. 22. — 3. Hebr. VI. 14. — 4. cfr. Conc. Vat. Const. *Dei Filius* c. 3. — 5. Io. XX. 21. - Matth. XXVIII. 18.

fungimur, tamquam Deo exhortante per nos » [1]. Atqui finis *ultimus* missionis Christi fuit aeterna hominum salus: « *Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* » — « *Venit Filius hominis salvare, quod perierat* » [2]: ergo.

Prob. 2. pars — Si finis ultimus est vita æterna, ergo finis *proximus* ad quem Ecclesia nos dirigere debet, erit conatus ad illum finem ultimum assequendum, per illam Dei possessionem et fruitionem, quae hic in terris possibilis est. Atqui eiusmodi conatus ad haec duo reducitur sc. *negative* ut abstrahamus actu et habitu ab iis, quae ad Deum non conducunt — *positive* vero ut animum ad Deum supernaturali modo intendamus: ergo haec duo in fidelibus promovere debet Ecclesia. Atqui ex hisce duobus enascitur *sanctitas* creaturae rationalis, quae *negative* est immunitas habitu et actu a peccato — *positive* est habituum et actuum conformatio ad morum regulam: ergo — *Confirm.* ex eo quod Christus *proxime* venit ut homines sanctificaret iuxta illud: « *Ego veni ut vitam* (supernaturalem gratiae) *habeant et abundantius habeant* » [3].

76. **Corollarium I.** (n. 157) — *Media sanctificationis et salutis nonnisi in Ecclesia haberi possunt.* Haec sunt *fides* in doctrinam Christi [4] — *observantia* divinorum mandatorum [5] — *sacramenta.* Et revera — a) « *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* » [6]. Atqui verbum Dei hauriendum est ab iis, quibus Christus dixit: « *Euntes docete omnes gentes* » idest a magisterio divinitus instituto et in Ecclesia constituto: ergo. Item — b) munus inducendi homines ad servanda divina mandata Christus commisit Ecclesiae quando ait: « *Euntes docete omnes gentes, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* » [7]. Item — c) sua sacramenta Christus nonnisi Ecclesiae demandavit: nam potestatem simul et ius *baptizandi* — item *consecrandi* — *remittendi* peccata [8] nonnisi Apostolis communicavit: quare Apostolus [9]: « *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* ».

77. **Corollarium II.** *Ecclesia est coetus supernaturalis* (n. 158) idque *tripliciter* sc. — a) *destinatione* et *potentiâ*, quatenus ordinatur ad finem *supernaturalem*, qui *proxime* situs est in interiore animae sanctitate per charismata supernaturalia, *remote* in visione beatifica Dei: — b) *formaliter*, quatenus actu habet bona supernaturalia, tamquam media, quae fini supernaturali sint proportionata, et plura membra sancta in sinu suo complectitur: — c) *active*, quatenus est in hoc coetu principium communicativum bonorum supernaturalium.

---

1. 2. Cor. V. 20. — 2. Io. III. 16. - Matth. XVIII. 11. — 3. Io. X. 10. - Marc. II. 17. — 4. Hebr. XI. 6. — 5. Matth. XIX. 16. — 6. Rom. X. 17. — 7. Matth. XXVIII. 18. — 8. Luc. XX. 19. - Io. XX. 21. — 9. 1. Cor. IV. 1.

Haec praerogativa plurimum illustratur ex eo quod Ecclesia passim in Scripturis appellatur *corpus* et *sponsa* Christi [1]. Nam si corpus Christi est, ergo vivet vitam capitis. Si sponsa Christi est, ergo profecto Christus diliget illam tamquam aliquid sui, omniaque bona sua illi communicabit.

78. **Corollarium III.** *Ecclesia est societas a civili societate specifice distincta* (n. 159). Sane — a) diversus est utriusque *finis*. Ex diversitate finis — b) sequitur diversitas *potestatis* et *functionum*, quae est alterum criterium distinctionis specificae societatum. Et quoniam — c) finis Ecclesiae excellentior est, idcirco sequitur societatem civilem esse ordinis inferioris. Quo in sensu Ecclesia in Scripturis appellatur *regnum Christi*: « *Regnum meum non est de hoc mundo* » [2] — *regnum coelorum* — *regnum Dei* — *civitas Dei* — *domus et templum Dei*.

ARTICULUS II.

De ethica Ecclesiæ necessitate ad salutem.

79. **Necessitas medii et præcepti — in re et in voto** (160) — Necessitas *medii* illa dicitur, vi cuius medium ita connectitur cum fine vel ex natura sua, vel ex voluntate Superioris, ut, medio illo etiam inculpabiliter omisso, finis obtineri nequeat: e contra necessitas *praecepti* illa intelligitur, vi cuius medium connectitur cum fine ex voluntate quidem Superioris, ita tamen, ut, eo inculpabiliter omisso, finis adhuc obtineri possit. Sic ex. gr. gratia sanctificans necessaria est necessitate *medii* ad salutem: sumptio Eucharistiae necessaria est adultis necessitate *praecepti* tantum — Rursus necessitas medii alia est *in re*, alia *in voto*. Prima habetur quando medium reapse adesse debet, nec per aliud potest suppleri, sicut e. g. ad salutem requiritur *in re* status gratiae. Altera habetur quando medium per aliud potest suppleri, adiuncto tamen voto eiusdem medii explicito vel implicito: sic e. g. baptismus suppleri potest per martyrium vel caritatem perfectam ideoque necessarius est ad salutem vel *in re* (si possibilis est) vel saltem *in voto* per martyrium vel per caritatem. Porro ut cum ordine procedamus, seqq. conclusiones statuimus.

80. **Conclusio I.** « *Extra Ecclesiam non datur salus* » (n. 161-163) — Haec conclusio est *de fide catholica* ex Later. IV. cap. *Firmiter:* « Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur ». Revera — a) nemo sanctificatur et salvatur nisi per Christum: « *non enim aliud est nomen datum hominibus in*

1. Eph. I. 23. IV. 12. V. 22. — 2. Io. XVIII. 36.

quo oporteat nos salvos fieri » [1]. Atqui Christus Ecclesiam instituit ut in ea et per eam opus sanctificationis et salutis, quod ipsemet inchoavit, continuaretur (n. 75), eidemque contulit media sanctificationis et salutis (n. 76): ergo. Quam veritatem — a) inculcant Patres eo axiomate, quod enunciat s. Cyprianus [2]: « Habere non potest « Deum patrem, qui non habet Ecclesiam matrem »: vel quando Ecclesiam comparant cum arca Noë, ut s. Gaudentius Brix. [3]: « Periisse autem constat illo diluvio omnes illius temporis homines « praeter eos, qui intra arcam, quae typum gerebat Ecclesiae, « reperiri meruerunt ».

81. **Conclusio II.** « *Pertinere in re ad animam Ecclesiae necessarium est necessitate medii* » (n. 164) — Ad salutem enim duo necessaria sunt necessitate medii in re sc. *fides supernaturalis* et *gratia sanctificans*. Atqui haec ingrediuntur animam Ecclesiae: ergo — *Prob. 1. pars mai.* Sane — a) necessaria est fides necessitate *medii*, aiente Apostolo [4]: « *Sine fide impossibile est placere Deo* »: — b) necessaria est *in re*, nec sufficit *in voto*, ut patet ex verbis Christi [5]: « *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui non crediderit, condemnabitur* »: ubi notandum est cum s. Bernardo [6] « Christum, « cum prius de baptismo et fide locutus esset, postea de sola fide « dixisse: *qui non crediderit, condemnabitur:* quia baptismus neces- « sarius est vel in re, vel in voto, fides autem semper necessaria « est in re ». Quare ex Trid. [7] « fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis ». Haec fides — c) est supernaturalis, ut constat ex prop. 23. damnata ab Innoc. XI. « Fides « late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad iustifica- « tionem sufficit » [8] — *Prob. 2. pars mai.* Nam haereditas vitae aeternae et conglorificatio cum Christo sequitur divinam filiationem, dicente Apostolo [9]: « *Si filii, et haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi* ». Atqui divina filiatio adoptiva est formalis effectus gratiae sanctificantis: ergo — *Confirm.* ex eo quod gratia sanctificans necessaria est ad opera meritoria vitae aeternae, teste Christo [10]: « *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites* ». Atqui in Christo manemus per gratiam sanctificantem: ergo.

82. **Conclusio III.** « *Pertinere in re ad corpus Ecclesiae necessarium est tantum necessitate praecepti* » (n. 165) — Eadem enim est necessitas pertinendi ad Ecclesiam quae competit Baptismo: « per ipsum enim

1. 1. Tim. II. 1. - Act. IV. 12. — 2. De Unit. Eccl. n. 6. — 3. Tract. 8. — 4. Heb. XI. 6. — 5. Marc. ult. — 6. Ep. 77. — 7. Sess. 6. c. 8. — 8. Cf. Conc. Vat. Const. *Dei Filius* c. 3. — 9. Rom. VIII. 17. — 10. Io. XV. 4.

« membra Christi ac *de corpore efficimur Ecclesiæ* » [1]. Atqui — a) baptisma necessarium est ad salutem: « *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Sp. Sancto, non potest introire in regnum Dei* » [2]. At — b) martyrium supplere potest baptismum (dummodo hic culpabili negligentia non contemnatur), uti probant Theologi ex verbis Christi [3]: « *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est* » — « *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* »: unde martyrium dicitur baptismus sanguinis. Item — c) in adultis baptismum posse quoque suppleri per charitatem vel contritionem charitate perfectam, constat ex iis quae de charitatis vel contritionis efficacia tradunt Theologi in tract. de sacram. Pœnitentiae: ergo. Quare Trident. quamvis sanxerit in sess 7. can. 5.: « Si quis dixerit baptismum liberum esse h. e. non necessarium ad « salutem A. S. »; tamen in sess. 6. c. 4. docet « iustificationem « post promulgatum Evangelium sine lavacro regenerationis, *aut eius « voto*, fieri non posse ».

83. **Solvuntur difficultates** (n. 166-167). *Obiectio I. — Sunt nationes integrae, quae absque culpa extra Ecclesiam versantur.*

Resp. — Ad huius difficultatis solutionem in praesentiarum haec advertisse sufficiat — a) Vita aeterna, quae in visione beatifica Dei sita est, omnino *supernaturalis* est atque ideo bonum *indebitum* — b) Eius privatio necessario quidem secum fert poenam *damni*, minime vero poenam *sensus* nec aeternam infelicitatem. Quare — c) decedentes sine baptismo cum solo originali non puniuntur *poenâ sensus*, neque ullam *tristitiam* patiuntur ob exclusionem a visione intuitiva, sed consequuntur beatitudinem quamdam *naturalem* — d) Cum pertinere *in re* ad Ecclesiae corpus necessarium sit solummodo necessitate *praecepti*, ideirco ab hac obligatione excusat tum *impotentia* [4], tum *ignorantia invincibilis* — e) Qui inculpabiliter fide carent, non sunt eoipso in statu habitualis peccati; damnata enim est in Baio prop. 68: « Infidelitas pure negativa in iis, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est » — f) Interim tamen Deus ex sua voluntate salvifica ipsis suppeditat eas actuales gratias, quibus si fideliter respondeant, ad fidem infallibiliter pervenient, iuxta illud axioma theologicum: « *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam* » [5] — g) Ex quibus sequitur, *adultos* sine fide decedentes censendos esse non modo non salvari, sed etiam damnari propter *culpabilem* fidei defectum, seu propter peccata quae potuissent vitare, quaeque impedimenta fuere ad gratiam fidei recipiendam.

---

1. Conc. Flor. *Decr. pro Arm.* — 2. Io. III. 5. — 3. Matth. X. 32. XVI. 25. — 4. Innoc. III. l. 3. decret. tit. 43. c. 2. — 5. Cf. S. Th. *De verit.* q. 14. a. 4. ad 1

84. *Obiectio II. — Doctrina in conclusione 3. vindicata adversatur prop. 17. Syllabi: « Bene sperandum est de aeterna illorum salute qui in vera Christi Ecclesia non versantur ».*

Resp. — Ex propositione illa damnata haec duo tantum sequuntur: sc. - a) non esse admittendam illam sentiendi rationem, quae in systema erigitur, *deliberatam* separationem ab Ecclesia catholica non esse obstaculum ad salutem: — b) eos, qui extra Ecclesiam versantur, *aequali* facilitate ac Ecclesiae membra posse consequi salutem. Non propterea tamen obligamur ad iudicandum, *omnes* qui extra Ecclesiæ *corpus* moriuntur, esse damnatos [1]. *In praxi* ergo *non licet* de quolibet homine in concreto *peremptorie* affirmare, eum esse damnatum, quia extra Ecclesiae corpus mortuus est; nec tamen statim canonizandi sunt ut sancti, qui extra Ecclesiam vitam ad speciem honestam duxere et extra illam moriuntur.

ARTICULUS III.

De Ecclesia perfecta societate.

85. **Societas perfecta et imperfecta** (n. 168-171) -- *Societas* est « *hominum multitudo ea ratione coëuntium, ut collatis viribus media sibi comparent ad certum communemque finem assequendum* » [2]. Porro alia est *perfecta*, alia *imperfecta:* perfecta ea dicitur, quae est tota in se et non alterius, in se est completa ideoque media ad suum finem consequendum in seipsa habet, vel *realiter,* si ab alia societate repetere non debet, vel *virtualiter,* si ab alia societate *proprio iure* repetit — imperfecta vero est illa, quae est pars alterius, in proprio ordine ab alia societate dependens ac propterea neutro modo media ad finem sufficientia in seipsa habet. Haec dicitur quoque *collegium* ut ex. gr. capitulum Canonicorum, universitates, gymnasia etc... [3]. Ex qua idea societatis *perfectae* constat triplicem potestatem eidem competere sc. *legiferam,* quae est potestas proponendi media obligatorio modo — *iudiciariam,* quæ est potestas applicandi media iuxta eum modum quo proposita sunt — *coactivam,* quae est potestas puniendi eadem media applicare renuentes aut alios impedientes.

86. **Regalistae** (n. 172) — Porro *regalistae* [4] docent — a) Ecclesiam non accepisse a suo auctore certam ac definitam constitutionis formam, sed liberâ hominum coitione et sociis pure aequalibus eam constitutam fuisse — b) eam subesse veluti partem vel membrum civili socie-

1. cfr. Alloc. 9 decem. 1854 S. P. Pii IX. — 2. Cf. Tarquini op. cit. l. 1. c. 1. s. 1. a. 1. — 3. S. Th. 1. 2. q. 90. a. 3. ad. 3. — 4. Richerius, Puffendorfius, Boheuerus, Jebroxius.

tati — c) summam Ecclesiae potestatem, quatenus ipsa associatio quaedam est, penes civilis imperii maiestatem residere. Dicunt ergo Ecclesiam esse *collegium*.

87. **Conclusio unica.** « *Ecclesia ex Iure divino est societas perfecta* » (n. 173-175) — Haec conclusio est expressis verbis *definita* ex prop. Syllabi: 19. « Ecclesia non est vera perfectaque societas plane « libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino « fundatore collatis: sed civilis potestatis est definire, quae sint « Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat »: cfr. propp. 20-39. *Prob.* — a) *ex Ecclesiae fine* — Societas enim, quae natura sua *suprema* est, censenda est *perfecta:* absurdum quippe est societatem supremam ab alia societate in oeconomia mediorum pendere. Atqui Ecclesia est societas natura sua suprema, quia eius finis supremus est: ergo. *Prob.* — b) *ex Christi voluntate* — In Scripturis enim invenimus, Christum contulisse Petro ceterisque Apostolis [1] potestatem ligandi et solvendi adeo connexam cum potestate cœlesti, ut Apostolis ligantibus et solventibus in terris, Deus liget et solvat in coelis. Atqui potestas ita comparata a quavis terrena potestate independens est: si enim Ecclesia in suae potestatis exercitio a civili potestate penderet, haec posset *iure* impedire, quod Ecclesia statuit, ideoque Deus non semper confirmaret, quod statuit Ecclesia: ergo. Ad rem s. Greg. Naz. [2]: « Te quoque, Imperator, imperio meo et « throno lex christiana subiicit. Imperium enim et nos quoque Epi- « scopi gerimus: addo etiam praestantius et perfectius ».

88. **Solvuntur difficultates** (n. 176-177). *Obiectio I. — Ecclesia proprio caret territorio : ergo.*

Resp. dist. antec. quoad civile eius dominium *conc.* quoad iurisdictionis exercitium *nego.* Ad rem s. Bernardus [3]: « Orbe excundum est ei, qui forte volet explorare quae non ad tuam pertinent curam »: et ex decr. s. Congr. Offic. (a. 1644), approbante Innocentio X. necnon ex Clemente XI [4] *schismatica* et *haeretica* est propositio, qua asseritur R. Pontificem *in territorio alieno* legem ferre, quando suas constitutiones in Status politicos mittit.

89. *Obiectio II. — Status in Statu repugnat propter frequentes qui inde orirentur conflictus.*

Resp. — Ad componendos conflictus, qui forte exoriri possunt non vi systematis, sed hominum seu civilium magistratuum vitio, praesto sunt a Iure ipso naturali regulae, quae potissimum duae sequentes sunt:

Regula I. — « Ex duabus societatibus imparibus quae nempe diversum finem habent, iisdem membris coalescentibus, quae in conflictum deve-

1. Matth. XVI. 18.; XVIII. 18. — 2. Or. 17. ad Theod. — 3. Ad Eug. III. *De Consid.* l. 3. c. 1. — 4. Const. *Accepimus* 11 ian. 1715.

nerint, ea praevalere debet, quae altioris ordinis finem habet ». Ex duabus enim obbligationibus eidem subiecto inhaerentibus, quae in in conflictum devenerint, ea praevalere debet quae maius bonum tuetur. Atqui duae societates impares, eisdem membris coalescentes, rationem exhibent plurium obligationum eidem subiecto inhærentium: ergo. Hinc prop. 42. Syll. « In conflictu legum utriusque potestatis Ius civile praevalet ».

Regula II. — « *Si quaestio incidat de veritate necessitatis, quam societates confligentes pro re sua asserunt, ius ferendi iudicium ad societatem superiorem pertinet, reservato quoad societatem inferiorem iure ea, quæ sui intersunt, exponendi* ». Nisi enim — a) in re dubia iudicium societati superiori reservatum esset, maius bonum boni minoris gratiâ in discrimen vocari posset: simul tamen — b) iudicium rectum ferri nequit, nisi auditis et libratis hinc inde rationibus. Ergo in re dubia iudicium pertinet ad Ecclesiam, reservato iure etc [1].

ARTICULUS IV.

De relationibus inter Ecclesiam et Statum.

90. **Systemata erronea** (n. 178-180) — Circa habitum Ecclesiae ad civilem societatem duo sunt erronea systemata — *Primum* est systema *separationis,* quo statuitur, regimen politicum indifferens esse oportere in iis, quae ad religionem pertinent, ideoque *legem oportere esse atheam* seu indifferentem — *Alterum* est systema *subordinationis* Ecclesiae ad Statum, sicuti *partis* vel *collegii* ad totum. Hinc prop. 39 Syll.: « Reipublicae Status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus ». Inde deducunt duplicem exitialem theoriam de *regio placet* vel *exequatur* et de *appellatione ab abusu.* Est *regium placet* vel *exequatur* ex Van-Espen [2] « *permissio,* « *quam auctoritas civilis impertire praesumit Bullis Brevibusque Pon-* « *tificiis ceterisque actibus auctoritatis ecclesiasticae, ut vim obtineant in* « *proprio Statu* ». Quod ius civilis auctoritatis, quod ipsi fingunt, dicitur quoque ab ipsis *potestas indirecta negativa in sacra:* potestas quidem *indirecta,* quia civili auctoritati competere dicitur ea ratione ut sese tueatur contra Ecclesiae molimina — potestas *negativa,* quia actus auctoritatis ecclesiasticae, destituti *regio placito,* vi carent non ex actu aliquo *positivo* auctoritatis civilis, sed ex actu *negativo* sc. ex denegato *regio placito* — Est *appellatio ab abusu* ius, quod regalistae cuicumque competere dicunt appellandi a iudice ecclesiastico ad civilem, cum quis se in propriis iuribus laesum existimaverit.

1. Cf. Tarquini *op. cit* n. 33: Encycl. Leonis XIII. *Sapientiae Christianae* 10 ian. 1890. — 2. *De promulg. leg. eccles. et Iuris Can.* p. 2. t. 24. c. 6.

91. **Ecclesiae doctrina** (n. 181) — Ecclesia vero — a) damnavit in Syllabo systema *separationis* propp. 47. 48. 55. relatis n. 6. Item — b) proscripsit systema *subordinationis* (n. 85) cum duplici adiecta gallicana theoria prop. 41. Syll.: « Civili potestati vel ab infideli imperante « exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra: eidem « proinde competit nedum ius, quod vocant *exequatur*, sed etiam ius « *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu* » [1]. Simul vero — c) *positivas* Ecclesiae ad civilem societatem relationes lucidissime tradidit Bonifacius VIII. Const. *Unam Sanctam* (a. 1302), cuius processus hic est: — α) Ecclesia, extra quam nulla est salus, nonnisi una est unumque est eius Caput: — β) in Ecclesia duplex est potestas, quasi duplex gladius, spiritualis videlicet et temporalis: « Uterque est in « potestate Ecclesiae, spiritualis scilicet et materialis. Sed is quidem « pro Ecclesia, ille ab Ecclesia exercendus. Ille Sacerdotis, is manu « regum et militum, sed ad nutum et patientiam Sacerdotis » — γ) potestas temporalis subordinatur ad spiritualem: « Oportet autem « gladium esse sub gladio et temporalem auctoritatem subiici spirituali « potestati »: — δ) subiectio ergo ad R. Pontificem est omnibus necessaria ad salutem: « Porro subesse R. Pontifici omni humanae creaturae « declaramus, dicimus, definimus et pronunciamus, omnino esse de « necessitate salutis ».

92. **Subordinatio directa et indirecta** (n. 182) — Duplex vero distinguatur subordinatio, *directa* et *indirecta*. Directa habetur, cum societas inferior ita superiori societati subditur, ut haec omnes actus societatis inferioris possit irritare: e. g. dioecesis *directe* subditur Ecclesiae universali — Indirecta vero, cum societas superior eatenus tantum iurisdictionem exercere potest in inferiorem, quatenus suae conservationis necessitas suique finis plena consecutio exigit, idque dupliciter: *negative* quatenus societas inferior intra limites proprii obiecti nihil agere possit in damnum societatis superioris — *positive* quatenus societas inferior ea auxilia praestet superiori, quae haec ad suum finem conferre iudicat.

93. **Conclusio I.** « *Sicut* — 1° *systema separationis adversatur indoli ipsi societatis civilis catholicae, ita* — 2° *duplex invecta theoria* de regio placet *deque* appellatione ab abusu *indoli Ecclesiae omnino repugnat* » — Haec conclusio est *de fide catholica* (n. 183-185).

Prob. 1. pars — Societas civilis catholica — a) *materialiter* inspecta simul est *collectio membrorum Ecclesiae:* atqui membra nequeunt esse indifferentia quoad societatem, cui inhaerent, sed eidem *positive* servire

1. Confr. *Conc. Vat.* Const. *Pastor Aet.* c. 3. Huc faciunt quoque plurimae Constit. pontificiae, ut Bulla *Cœnæ* — *Officii nostri* Innoc. VIII. — *Nova semper* Clem. XI. — *Quam graviter* Clem. XIII. — Breve *Probe nostis* et Encycl. *Quanta Cura* Pii IX.

debent in iis, quae illa exigit tamquam necessaria vel utilia fini suo; nisi forte fingere velis duplicem conscientiam in homine, unam qua regatur uti catholicus, alteram uti civis: ergo. Si vero — b) *formaliter* spectetur h. e. quatenus *societas*, ipsa nequit esse indifferens circa veram religionem. Atqui societati catholicae una vera religio est catholica Ecclesia: ergo [1].

Prob. 2. pars — a) quoad *regium placet* — Christus ait Apostolis: « *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis* »: et similia dixit Petro. Ex quibus sic arguimus: potestas Ecclesiae ita connectitur in suo exercitio cum coelesti potestate atque ratihabitione, ut nulli alteri mediae potestati subiiciatur ideoque a quavis terrena potestate sit independens. Atqui asserto civili auctoritati iure *regii placet*, « illamet suprema ligandi atque solvendi potestas arbitrio « saecularis potestatis per summam iniuriam atque intolerabilem « temeritatem subiicitur » [2]: ergo — b) Quoad *appellationem ab abusu*. Sicut enim ecclesiastica potestas a politica potestate distinguitur ab eaque independens est, sic et ecclesiastici magistratus *qua tales*, necnon *causae ecclesiasticae*. Atqui statuto iure *appellationum ab abusu*, iam asseritur saeculari principi iurisdictio in ipsos ecclesiasticos iudices *qua tales*, et in ipsas *causas ecclesiasticas*. Sententia enim quae fertur circa abusum potestatis ecclesiasticae, respicit actum personae agentis, ut est ecclesiastica persona et instructa potestate ecclesiastica: itemque iudex laicus nequit ferre sententiam qua confirmet vel infirmet sententiam iudicis ecclesiastici, nisi simul cognoscat et iudicet de amplitudine et limitibus potestatis ecclesiasticæ et causam iuridice cognoscat: ergo.

91. **Refelluntur obiectiones** (n. 186-188). *Obiectio I. — Ius regii placet nil est aliud, quam ius defensionis contra possibiles Ecclesiae aggressiones: ergo.*

Resp. — a) Si res ita se habet, cur non erit quoque introducendum *placet ecclesiasticum* respectu legum civilium? Verum — b) societati civili catholicorum certum ratumque esse debet, Ecclesiam, quæ est magistra infallibilis veritatis et aequitatis, sponsa Christi et habitaculum Sp. Sancti, nihil unquam molituram contra iura politicae reipublicae: et historia testatur, quod iam notavit s. Ambrosius « cupidiores esse imperatores sacerdotio, quam sacerdotes imperio ».

Obiectio II. — Ius appellandi ab abusu ex eo oritur principio, quod rex sit custos et executor sacrorum canonum — defensor civium.

Resp. — *dist.* custos et executor canonum, quasi iurisdictionem

1. Cf. Auctor de Regim. Princ. l. 1. c. 14.: — Encycl. *Libertas* Leonis XIII. — 2. Clemens XI. Const. *Nova semper*.

habens in Ecclesiam *neg.* serviens Ecclesiae *conc.* — Item defensor civium in ordine civili *conc.* in ordine ecclesiastico *neg.*

95. **Conclusio II.** « *Societas civilis indirecte subordinatur Ecclesiae tum negative, tum etiam positive* » (n. 189-192) — Conclusio est *de fide catholica.*

Prob. — a) *ex Scriptura* quae hac in re clara est: sic legitur [1]: « *Praecipiendo praecepimus vobis, ne doceretis in nomine isto, et ecce replestis Ierusalem doctrina vestra, et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius. Respondens autem Petrus et Apostoli dixerunt: Oportet obedire Deo magis quam hominibus* ». Quare: bonum spirituale h. e. praedicatio nominis Christi, videbatur in conflictu cum bono temporali h. e. cum publica pace ac tranquillitate societatis politicae iudaicae. Atqui Sp. Sanctus per Apostolos edixit, bonum temporale posthabendum esse spirituali: ergo: quo argumento utitur Clemens XI in Const. *Accepimus* 21 ian. 1715 — *Prob.* — b) *ex Patribus:* sic e. g. s. Leo M. [2]: « Debes incunctanter advertere, regiam « potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed *maxime* ad Ec- « clesiae praesidium esse collatam » — s. Gregorius M. [3]: « Ad hoc « potestas super omnes homines Dominorum nostrorum pietati cœlitus « data est, ut qui bona appetunt, facilius adiuventur, ut coelorum « via largius pateat, ut terrestre regnum cœlesti famuletur » — Innocentius III. [4]: « Ad firmamentum cœli h. e. universalis Ec- « clesiae, fecit Deus duo luminaria magna, i. e. duas instituit di- « gnitates, quae sunt pontificalis auctoritas et regalis potestas. Sed « illa, quae praeest diebus, idest spiritualibus, *maior* est: quae vero « carnalibus, *minor* est: ut quanta est inter solem et lunam, tanta « inter Pontifices et reges differentia cognoscatur » — *Prob.* — c) *ex ratione.* Certa enim cuique sunt haec principia: « Ex duabus societatibus imparibus iisdem membris coalescentibus, quae in conflictum devenerint, ea praevalere debet, quae altioris ordinis finem habet » — « Civilis societatis catholicae vera notio ea est, ut sit hominum coetus, qui temporali felicitati quaerendae ita student, ut simul profiteantur, eam subesse debere studio felicitatis aeternae, quam sub Ecclesiae catholicae regimine obtineri tantum posse credunt » [5].

96. **Obiectio** (n. 193-194) — « *Ecclesia est in republica, non respublica in Ecclesia* »: ita s. Optatus Milev. [6]: *ergo.*

Resp. — Ex hoc axiomate inferunt regalistae, quos inter praecipue

1. Act. V. 28. — 2. Ep. 125. al. 77. ad Leon. Aug. — 3. l. 2. ep. 11. ad Maur. Imp. — 4. l. Decr. tit. 33. c. *Solide* - cfr. s. Th. 2. 2. q. 60. a. 6. ad 3. - s. Bonav. *de eccl. hier.* p. 2. et Suarez *de leg.* l. 4. c. 9. — 5. Cf. Tarquini *Op. cit.* n. 53. 55. 61. - Mazz. *De Eccl.* d. 3. a. 10. - Palmieri *De R. P.* th. 21. — 6. l. 3. *De schism. Donat.*

Du Pin (in h. l.), Ecclesiam a republica pendere, non e converso. At perperam: nam — a) reipublicae nomine Optatus intelligit *speciatim* romanum imperium, *generatim* vero societatem omnem civilem quae in iisdem versetur adiunctis easdemque cum Ecclesia habeat relationes ac rom. imperium: — b) Optatus considerat non eam *physicam* Ecclesiae existentiam, qua etiam apud barbaros gaudet vel gaudere potest; sed existentiam *civilem*, quatenus Ecclesia legum civilium patrocinio habet liberum ac tutum iurium suorum exercitium, qua quidem *civili* existentia Ecclesia gaudebat in imperio, non vero in barbaris gentibus. Hinc — c) Optatus implicite negat Ecclesiam esse in ea republica, in qua vigeat ex. gr. doctrina regalistarum. Negat vero — d) rempublicam esse in Ecclesia eo sensu, quo affirmat Ecclesiam esse in republica. Ecclesia quippe est in imperio ratione patrocinii per leges civiles concessi adversus vim hostium Ecclesiae: imperium vero ad propulsandam suorum hostium vim, ad eam usque aetatem, qua Optatus scribebat, non Ecclesiae patrocinio, sed propriis exercitibus uti consueverat [1].

97. **Scholion** — *De habitu Ecclesiae ad civilem societatem haereticorum et infidelium* (n. 195) — a) Quoad civilem societatem *haereticorum* vel *schismaticorum* haec duo statuisse sufficiat: — α) « *hæretici et schismatici ecclesiasticis legibus per se obstringuntur* »: perdurat enim in ipsis fundamentum subiectionis, quod est character baptismatis [2] — β) « *Adesse tamen possunt circumstantiæ, in quibus exercitium ecclesiasticae iurisdictionis in haereticos et schismaticos esset potius in destructionem, quam in aedificationem: quibus propterea concurrentibus Ecclesia censetur eos nolle suis legibus obligare* ». Exemplum habes in Const. *Singulari* Benedicti XIV. (9 febr. 1849), ubi declarat valida esse matrimonia clandestina haereticorum in Hollandia.

b) Quoad *infideles* manifestum est eorum societatem, quatenus *religiosam*, esse prorsum *illegitimam*: hinc inter ipsam et Ecclesiam est perpetuum bellum, quod per Ecclesiae ministros, iubente Domino [3], geritur. Infideles autem eatenus inculpabiliter Ecclesiae ministros persequuntur, quatenus sunt in *bona fide*, a qua ubi exciderint, veritatem inquirere eique cognitae adhaerere tenentur [4].

ARTICULUS V.

De concordatis inter Ecclesiam et Statum.

98. **Definitio et materia** (n. 196-198) — *Concordatum* est: « *Lex particularis ecclesiastica pro aliquo regno, Summi Pontificis auctoritate*

1. Cfr. Tarquini *op. cit.* n. 56. 57. 58. — 2. *De Eccl.* l. 3. c. 4. - Cf. Suarez *De Leg.* l. 4. c. 18. n. 2. — 3 Marc. XVI. 15. — 4. Cf. Tarquini *Op. cit.* n. 63. sqq.

edita ad instantiam principis eius loci, speciali eiusdem principis obligatione confirmata, se eam perpetuo servaturum ». Personae igitur inter quas concordata inuntur, sunt *supremae potestates*, hinc et inde — *Materia* autem, circa quam concordata versantur, non quidem concordata omnia quae inter Ecclesiam et Statum fieri possunt, sed ea de quibus tantum nos agimus, est res quae sive *per se*, sive *per accidens*, cum fine spirituali Ecclesiae connexa est ideoque aliquo modo *spiritualis*. Exemplum habes in Concordato inito a. 1801 inter Pium VII. et Napoleonem Bonaparte primum Gallorum consulem, quo constitutum est ut hinc quidem ecclesiastica hierarchia, antea proscripta, a Gubernio restitui permitteretur, novâ diocceson et parochiarum circumscriptione facta a Gubernio adprobanda: inde vero fieret facultas Gubernio nominandi deinceps episcopos, a Sede Apost. postea canonice instituendos, et adprobandi parochos ab episcopis nominandos. In hoc concordato materia veluti in pactum deducta, ex parte civilis gubernii est permissio de restituenda ecclesiastica hierarchia, ex parte Ecclesiæ facultas nominandi episcopos approbandique parochos [1].

99. **Concordatorum natura et conditiones** (n. 199-200) — Porro Concordata hoc modo instituta *speciem extrinsecam* habere pacti *synallagmatici* h. e. contractus ultro citroque eodem vinculo obligantis, nemo est qui neget. Ad quaeritur utrum res ita reapse se habeat, adeo ut Pontifex non tantum ex lege *honestatis*, verum etiam *vi concordati* obligetur erga alteram partem, non secus ac altera erga ipsum, ita ut *salvâ iustitiâ* Pontifex a data fide recedere non possit, quousque altera pars stet statutis conditionibus. Id quidem contendunt regalistae, quod tamen minime concedimus. Sane: — a) materia horum concordatorum ex parte Ecclesiae vel est res spiritualis, vel spiritualibus adnexa. Atqui materia huiusmodi citra simoniae crimen nequit esse materia contractus bilateralis: ergo. Item — b) ex parte civilis societatis materia est talis, in qua societas civilis subiecta est iurisdictioni R. Pontificis, et R. Pontifex absque ulla concessione iure *inalienabili* iam posset exigere id, ad quod illa per concordatum sese obligat; ideoque concessio pontificia in favorem civilis societatis rationem habet privilegii. Atqui repugnat superiorem concedentem privilegium sua concessione obligari: repugnat quoque supremam auctoritatem sua ipsius lege ligari: ergo. Denique — c) primatus R. Pontificis perpetuus esse debet ex Iure divino cum omnibus iuribus atque praerogativis, quibus ipsum auxit Christus. Aliud quidem potestas primatus, aliud eius exercitium: illa immutabilis est ex Iure divino in singulis Petri successoribus; hoc autem per voluntatem Pontificis coarctari potest. Atqui vere imminuerentur ac demum

1. Cf. Wouters *Hist. Eccl.* epoch. 13. n. 13.

extingui possent iura primatus, si R. Pontifex vi concordatorum obligatus maneret erga principem. Ergo tota obligatio est ex parte principis, qui tenetur id praestare quod promisit, tum ratione subiectionis erga Pontificem, qua iam antea obstringebatur — tum ratione promissionis: ac propterea concordatum quoad ipsum est privilegium *gratuitum* vel ad summum *remuneratorium* a Pontifice concessum.

100. **Corollaria** — Ex his sequitur — a) ad valorem concordati, quod, estsi non synallagmaticus, tamen verus contractus est, *duo* requiri sc. *consensum legitimum*, cui adversantur dolus, error substantialis et metus gravis — *materiam aptam* h. e. non repugnantem naturae primatus. Unde merito s. Pius V. negavit se posse principibus facultatem facere admittendi vel reiiciendi per *regium placet* constitutiones apostolicas, licet mere disciplinares. Sequitur — b) *iudicium de vero concordatorum sensu deque concordatis rescindendis pertinere ad Ecclesiam seu ad R. P.* Huc facit prop. 43. Syllabi: « Laica potestas « auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas so- « lemnes conventiones (vulgo *concordata*) super usum iurium ad ec- « clesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, « sine huius consensu, imo et ea reclamante ». Sequitur — c) concordatorum naturam *in se* et *obiective* eandem esse, sive ineantur cum principe catholico, sive cum principe haeretico aut infideli. At quoniam haeretici et infideles Ecclesiae iura non agnoscunt, idcirco Ecclesia, si forte concordata cum ipsis init, se gerit ac si concordata pacta essent synallagmatica. Quod si detrimento esse inciperent bono spirituali, eadem vel communi consensu rescinduntur, vel Ecclesia a fide data recedit [1].

ARTICULUS VI.

De causa materiali Ecclesiae.

101. **Natura quaestionis** (n. 203) — Certum est ex Apostolo [2] universum genus humanum esse materiam *remotam* Ecclesiae h. e. ad ipsam *destinatione* pertinere. At praesens quaestio est de materia *proxima* Ecclesiae, idest de iis qui *actu* ad ipsam pertinent. Cum vero Ecclesia, humani individui instar, constet ex anima et corpore (n. 67), idcirco quaeri potest quinam ad eius animam, quinam ad eius corpus spectent, quinam simul ad utrumque.

102. **Conclusio I.** « *Illi omnes et soli sunt Ecclesiae membra seu ad eius corpus pertinent, qui Christi fidem per baptismum susceptam exterius profitentur — eisdem Ecclesiae sacramentis utuntur — legitimis pastoribus, praesertim R. Pontifici subiiciuntur* » (n. 204) — Ut enim

1. Cf. Tarq. l. 1. c. 2. - Palmieri *De R. P.* th. 22. — 2. 1. Tim. II. 1.

quis ad societatem aliquam pertinere censeatur, id unum requiritur et sufficit, ut vincula externa propria illius societatis non abrumpat. Atqui vincula externa, quibus adunantur fideles, sunt professio fidei christianæ in baptismo authentice intimatæ et susceptæ — eorundem sacramentorum communio — subiectio legitimis pastoribus, præsertim R. Pontifici: ergo. *Prob. min.* — a) ex communi Ecclesiae definitione n. 65. relata: — b) ex idea pariter Ecclesiae n. 64. exposita. Ecclesia enim est *regnum* Christi in terris, cuius ianua est baptismus: hinc Apostolus [1]: « *In uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus, sive iudaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi* » — regnum *veritatis* per infallibile magisterium — regnum *sanctificationis* per sacerdotium cui concredita est sacramentorum administratio — regnum *potestatis* per regimen proprium. Atqui magisterio *veritatis* in doctoribus respondet in fidelibus *obedientia fidei:* « *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur* » [2] — sacerdotio *sanctificationis* respondet *obedientia communionis* sacramentorum: « *Dedit nobis ministerium reconciliationis ..... Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo: Reconciliamini Deo* » [3] — regimini *iurisdictionis* respondet *obedientia hierarchica* iuxta illud Christi [4]: « *Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus* ». Ergo natura ipsa visibilis Ecclesiæ expostulat enunciatas conditiones [5].

103. **Conclusio II.** « *Ad animam Ecclesiae pertinent quicumque dono aliquo gratiae gratum facientis potiuntur* » (n. 205) — Anima enim Ecclesiae non distinguitur a vita spirituali, interna et supernaturali. Atqui vita supernaturalis — a) *inchoatur* gratiis internis actualibus illustrationis ac inspirationis in ordine ad iustificationem consequendam — b) *perficitur* infusione gratiae sanctificantis, fidei, spei, charitatis, virtutum moralium et donorum Sp. Sancti — c) *conservatur* ac *promovetur* operibus bonis, ac per multiplices gradus crescit usque ad visionem Dei. Ergo ad Ecclesiae animam spectant illi omnes, qui aliquo dono *habituali* gratiæ *gratum facientis* potiuntur, ita ut *primo gradu* spectent iusti — *secundo gradu* ii omnes, qui amissâ gratiâ et charitate, nondum amiserint *fidem* et *spem*. Dixi: dono aliquo *habituali;* si enim actuales gratiae spectentur, *latissimo sensu* (non tamen in usu apud TT.) omnes dici possunt ad animam Ecclesiae pertinere, cum nemo ab his gratiis excludatur.

104. **Corollarium I.** *quoad peccatores* (n. 206-208) — Ex statuta doctrina sequitur imprimis contra *lutheranos* et *pistorienses* (prop. 15), fideles *peccatores* esse *membra* Ecclesiae seu ad eius corpus spectare.

---

1. Cor. XII 13. — 2. Marc. XVI. 18. — 3. 2. Cor. V. 18. — 4. Matth. XVIII. 17. - Luc. X. 16. — 5. Cf. Franzelin *Op. cit.* th. 22.

Idcirco in Scripturis assimilatur Ecclesia *sagenae* missae in mare et ex omni genere piscium congreganti [1] — *convivio nuptiali,* ad quod ingressus est quoque non vestitus veste nuptiali [2] — *ovili,* in quo sunt hoedi et oves [3] — *domui magnae,* in qua sunt vasa in honorem et vasa in contumeliam [4] — *agro,* in quo zizania cum tritico nascuntur. Ad rem s. Hieronymus [5]: « Arca Noë Ecclesiae typus fuit. « Ut in illa omnia animalium genera, ita et in hac universarum « gentium et morum homines sunt. Ut ibi pardi et hoedi, lupi et « agni, ita et hic iusti et peccatores, idest vasa aurea et argentea « cum ligneis et fictilibus commorantur » — Neque dicas Ecclesiam esse *sanctam* et *immaculatam,* a Christo sponso *sanctificatam* [6]. Nam — a) appellatur *sancta* a nobiliori sua parte sc. a iustis, qui semper in ea plurimi erunt: imo — b) fideles *omnes,* etiam peccatores, *sancti* dicuntur, tum quia coetum constituunt a reliqua hominum turba seiunctum Deoque dicatum — tum quia status christianorum est status iustitiae et sanctitatis, quam in baptismo inierunt seque sectaturos polliciti sunt — tum ratione specialis coniunctionis cum Christo invisibili capite. Etsi ergo peccatores non sint *membra* sub ratione *adaequata* membri h. e. partis non modo physiologice connexae cum reliquis corporis partibus, verum etiam vitam corporis plene participantis, tamen *inadæquate* sunt membra sc. *infirma.* Christus vero — c) dicitur sanctificasse Ecclesiam, quatenus *quantum est ex se* omnia præstiterit atque præstet, quæ requiruntur, ut ipsa sancta esse possit.

105. **Corollarium II.** *quoad infideles, haereticos et schismaticos* — *Infideles* dicuntur qui, nondum baptizati, christianam fidem *nullatenus* profitentur — *Haeretici* qui veritatem revelatam et ab Ecclesia ad credendum propositam pertinaciter negant: hinc haeresis definitur « *error in fide pertinax* »: ex s. Augustino [7] sunt *publici,* si haeresim exterius ac publice profitentur — sunt *occulti,* si corde tantum fidem negant — *Schismatici* ex s. Thoma [8] « proprie dicuntur, qui propria sponte et intentione se ab unitate Ecclesiae separant »: quare schisma definitur « *spontaneus ab unitate Ecclesiae recessus* »: dicuntur *puri* qui in re aliqua disciplinari R. Pontifici obedientiam detrectant, salva fide — *mixti* qui schismati errorem in fide adiungunt [9]. Denique infideles, haeretici et schismatici dicuntur *formales,* si versentur in mala fide, *materiales,* si in bona fide sint. Iamvero — a) manifestum est ex dictis infideles, haereticos et schismaticos *materiales* spectare quidem *posse* ad Ecclesiae *animam*, si forte gratiam et charitatem habeant. At — b) nec *materiales,* nec *formales* ad *corpus* Ecclesiae

1. Matth. XIII. 47. — 2. Ib. XXII. 2 — 3. Ib. XXV. 32. — 4. 2. Tim. II. 20. — 5. Cont. Luciferianos. — 6. Eph. V. 25. — 7. De Bapt. l. 7. c. 51. — 8. 2. 2. q. 39. a. 1. — 9. Quae distinctio post definitum primatum iurisdictionis R. P. a Conc. Vat. nescio utrum adhuc adoptari queat.

pertinent ideoque membra Ecclesiae nullatenus sunt. His adiungendi sunt apostatae. Quoad vero — c) haereticos *occultos* censemus cum Bellarmino [1] eos adhuc esse Ecclesiae membra quia vincula exterioris communionis nondum abruperunt.

106. **Corollarium III.** *quoad cathecumenos* (n. 211) — *Cathecumenus* ex s. Isidoro Hispal. [2] est « qui adhuc fidei doctrinam audit, necdum tamen baptismum percepit ». Porro — a) ex dictis cathecumeni possunt perfecte aut imperfecte *ad animam* Ecclesiae pertinere. At — b) non sunt *de corpore* Ecclesiae. Hinc ex s. Augustino [3] catechumeni sunt filii Ecclesiae *concepti*, nondum nati.

107. **Corollarium IV.** *quoad excommunicatos* (n. 212) — *Excommunicatio* est censura seu poena ecclesiastica, per quam christianus communibus Ecclesiae bonis privatur, e. g. sacramentorum usu *activo* et *passivo*. Porro ex dictis — a) excommunicati *ad animam* Ecclesiae spectare possunt et quidem *perfecte* — b) excommunicati *occulti* accensendi sunt haereticis occultis, et propterea de corpore Ecclesiae esse credi debent: — c) excommunicati *publici* non sunt *de corpore* Ecclesiae: sunt enim a sacramentis repulsi ideoque necessario externae communionis vinculo carent.

108. **Corollarium V.** *quoad praedestinatos* (n. 213) — Conc. Constantien. proscripsit prop. 1. Ioan. Huss: « Unica est sancta et universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas ». Et merito: ex dictis enim — a) falsum est *omnes* praedestinatos *vi praedestinationis* esse de Christi Ecclesia. Nemo enim *actu* pertinet ad Ecclesiae corpus, qui non sit baptizatus — nemo *actu* pertinet ad Ecclesiae animam, qui vita spirituali, saltem imperfecta, non fruatur. Atqui non *omnes* praedestinati iam baptismum suscepere, fierique potest, ut praedestinatus impie adhuc vivat, rebellis sit Ecclesiae, uti erat Apostolus: ergo. Falsum quoque — b) *solos* praedestinatos esse de Christi Ecclesia. Haec enim in evangelio comparatur *convivio nuptiali*, ad quod vocati sunt non tantum boni, sed etiam reprobi: — b) *ovili*, in quo sunt oves et hoedi sc. Christo interprete, electi et reprobi [4]: ergo. Adverte — c) praedestinatos, quamvis non omnes pertineant ad Ecclesiam *actu*, *formaliter* et *veritate essentiae*, tamen *omnes* pertinere secundum *Dei praescientiam*, vel, quod idem fere est, *finaliter* et *veritate perseverantiae*. Quo sensu ait Augustinus [5]: « Secundum istam praescientiam et praedestinationem, quam multae « oves foris, quam multi lupi intus: et quam multae oves intus et « quam multi lupi foris ».

1. De Eccl. mil. l. 3. cc. 2. 3. 10. — 2. Orig. l. 7. c. 14. — 3. Tr. 10. in Io. ac. l. 2. de Symb. — 4. Matth. XXV. — 5. Tract. 45. in Io. n. 12.

ARTICULUS VII.
De Ecclesiae auctoritate.

109. **Potestas ordinis et iurisdictionis** (n. 214) — « Duplex « est, ait Angelicus, spiritualis potestas, una quidem *sacramentalis* « (seu *ordinis*), alia *iurisdictionalis*. Sacramentalis est quae per aliquam « consecrationem confertur, et talis potestas secundum suam essentiam « remanet in homine, qui per consecrationem eam est adeptus quamdiu « vivit, sive in schisma, sive in haeresim labatur ..... Potestas *iuris-* « *dictionalis* est quae in simplici iniunctione hominis confertur, et talis « non immobiliter adhaeret, unde in schismaticis et in haereticis non « manet » [1] — Nonnulli recentiores Auctores novam *quoad modum* distinctionem invexerunt potestatis ecclesiasticae, quam *triplicem* distinguunt sc. *regendi, docendi* et *ministrandi*. Haec nova distinctio explicatius exhibet ecclesiasticam potestatem prouti haec respondet propriae Ecclesiae indoli ut sit regnum *potestatis* sub proprio regimine — regnum *veritatis* sub proprio magisterio — regnum *sanctificationis* sub proprio sacerdotio. Quam ergo antiquiores appellant potestatem *ordinis*, recentiores dicunt potestatem *ministerii:* quam isti distinctius vocant potestatem *regiminis* et *magisterii*, illi sub unico *iurisdictionis* nomine comprehendunt.

110. **Maior declaratio** (n. 215) — Ut enucleatius describatur harum potestatum indoles, adnotamus — a) potestatem *iurisdictionis*, quatenus est *regendi* potestas, trifariam dividi sc. in *legiferam*, *iudiciariam* et *coactivam*. Potestas *legifera* est potestas ferendi leges seu proponendi media ad finem *obligatorio modo* — potestas *iudiciaria* duplex importat iudicium, alterum de vero sensu legis, alterum de conformitate vel difformitate operationis ad legem — potestas *coactiva* est potestas infligendi pœnas, quæ triplicis generis esse possunt sc. *spirituales* ut e. g. privatio sacramentorum — *temporales* ut v. g. mulctæ pecuniariae — *corporales* ut e. g. carcer, exilium, verberatio, mors — Potestas *docendi* est pars potestatis *iurisdictionis:* fideles enim assensum praestare tenentur ecclesiastico magisterio non modo ex Iure *naturali* quod dictat veritati certo cognitae assentiendum esse — non modo ex Iure *divino-positivo* quod fidem praecipit Deo loquenti per Ecclesiae magisterium — sed etiam *ex ipsa auctoritate magisterii ecclesiastici*, quod ius habet *inclinandi fideles* in obsequium fidei atque poenis puniendi inobedientes erga sua fidei decreta. Denique — c) quoad potestatem *ordinis* seu *ministerii* animadverti debet discrimen quod interest inter ipsam et potestatem *iurisdictionis* in ordine ad gratiam in nobis gignendam et conservandam, ideoque ad animas sanctificandas. Nam potestas *ordinis* ordinatur ad sacramenta conficienda et

1. S. Th. 2. 2. q. 39. a. 3.

dispensanda quae gratiam conferunt *ex opere operato* — potestas *iurisdictionis* sive *regendi*, sive *docendi*, ordinatur ad fideles efficaciter dirigendos ut divinae gratiae per sacramenta acquirendae, conservandae et augendae adlaborent, tum per pabulum sanae doctrinae quoad intellectum, tum per congruentes leges quoad voluntatem.

111. **Subiectum potestatis ecclesiasticae** (n. 216) — Succedit nunc quaestio *de subiecto* potestatis ecclesiasticae, seu aliis verbis quaeritur utrum Ecclesia sit societas *aequalis*, quo nomine illa intelligitur in qua omnibus membris competunt eadem iura, etsi non omnibus idem iurium exercitium; an vero *inaequalis*, quo nomine designatur illa in qua non omnia membra iisdem iuribus perfruuntur. Scilicet, quoniam *ad factum* quod spectat, totum Ecclesiae corpus in duas classes distinguitur sc. in illos qui praesunt, docent et sanctificant quique *clerici* appellantur; et in illos qui clericorum regimini, magisterio et ministerio subsunt quique *laici* dicuntur; idcirco quaeritur *quo Iure* vigeat distinctio huiusmodi.

112. **Hierarchia ordinis et iurisdictionis** (n. 217) — Nec *subiectum* tantum quaeritur. In ordine enim ipso Clericorum quamdam inaequalitatem videmus, secundum quam ipsi pro maiori vel minori extensione ac intensione potestatis tum ordinis, tum iurisdictionis, quamdam inter se habent relationem prælationis et subiectionis. Haec dicitur *hierarchia* idest *sacer principatus*, et duplex distinguitur sc. *ordinis* et *iurisdictionis*, prouti inaequalitas illa graduum et officiorum attenditur vel secundum *ordinis*, vel secundum *iurisdictionis* potestatem. Definitio utrique communis est: « *Ordo praesidum et sacrorum ministrorum divinitus institutus ad regendos, docendos sanctificandosque fideles* ». In hierarchia quidem *ordinis* gradus *supremus* est in *episcopis* — gradus *medius* in *presbyteris* — gradus *infimus* in *ministris*, quo nomine intelliguntur reliqui clerici inferiores presbyteris, quorum potestas collecta invenitur in illis, quos *diaconos* appellamus — In hierarchia *iurisdictionis* gradus *supremus* est in R. Pontifice — gradus *medius* est in episcopis qui dependenter a R. Pontifice ac in respectivis diœcesibus sunt veri *principes* cum vero imperio, ac veri *doctores fidei* etsi non infallibiles — gradus *infimus* in presbyteris ac diaconis quatenus ab episcopis assumi *possint* in partem suae sollicitudinis tum quoad praedicationem verbi Dei, tum etiam quoad quamdam fidelium directionem in foro externo. Porro præsens quæstio est *quo Iure* vigeat ecclesiastica hierarchia.

113. **Errores** (n. 218) — In unum collectis erroribus, qui in praesenti materia prodierunt [1], haec ex ordine habemus: — a)

1. Marsilius Patavinus in lib. *Defensorium pacis* a. c. 1327 quem damnavit Ioan. XXII. in Const. *Licet* 23 oct. 1327; Richerius Edmundus doctor sorbon. in lib. *De Eccl. et Polit. potest.* a. 1611; — Vicleffus, Hus, Van-Espen, Febronius, Protestantes ac Iansenistae plus minusve.

subiectum *primum* auctoritatis ecclesiasticae est christianus populus, qui cum nequeat per se et immediate sacris muneribus fungi, idcirco in quosdam transfert sacram potestatem exercendam nomine ac vice totius populi; hi propterea appellantur *ministri*, inter quos eminent *episcopi*, et supra episcopos est *R. Pontifex*, quem idcirco *caput ministeriale* appellant. Hinc necessitas suffragii popularis in electione ministrorum [1] — b) Clericis tamen nulla competit potestas sive *legifera*, sive *iudiciaria*, sive *coactiva*, sed eorum potestas tota est in *monendo*, *dirigendo* ac *inspiciendo* — c) Potestatem *docendi* (si protestantes excipias) libenter concedunt Clericis, ita tamen ut ius tribuant auctoritati civili sese immiscendi rebus, quae ad sacras disciplinas pertinent. Item — e) potestatem *ministerii* Clericis non denegant, quæ tamen potestas iuxta ipsos non confertur per veram consecrationem qua conferatur *character*, sed in quadam extrinseca deputatione ad sacra obeunda continetur, ad nutum populi revocabili. Ex horum ergo sententia distinctio inter clericos et laicos non est *ex Iure divino* sed *ex hominum dispositione* [2], nec in ordine clericali existit veri nominis hierarchia.

114. **Doctrina catholica** (n. 219) — Doctrina autem catholica haec est: — a) subiectum *primum* ecclesiasticae potestatis non est communitas fidelium: « Propositio quae statuit, potestatem a Deo « datam Ecclesiae ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius mi- « nistri pro salute animarum: sic intellecta ut a communitate fidelium « in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas: « *haeretica* » [3]. Quapropter distinctio inter clericos et laicos est *ex Iure divino*. Item — b) Ecclesiae potestas *triplex* est sc. *regendi*, *docendi* et *sanctificandi* — Est imprimis potestas *regendi* per triplicem potestatem *legiferam*, *iudiciariam* et *coactivam*: propositio enim *quinta* in pistoriensibus damnata « qua parte insinuat, Ecclesiam non habere « auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per « media quae pendent a persuasione: quatenus intendat Ecclesiam « non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per « consilia et suasiones, sed etiam iubendi *per leges*, ac devios con- « tumacesque *exteriore iudicio* ac *salubribus pœnis* coërcendi atque « cogendi: *haeretica* »: et in prop. 4. adseritur quoque potestas exigendi *per vim* ideoque per poenas *temporales* et *corporales*, observantiam legum ecclesiasticarum [4]. Item est potestas *docendi* absque

1. Calv. *Inst.* l. 4. c. 3. § 15. — 2. « Hoc dixisse contenti sumus, christianum populum esse simplicem, in quo prorsus nulla secta, nulla differentia personarum, nullus clericus, nullus laicus, nullus unctus, nullus rasus, nullus monachus esse debeat »: Lutherus *De abrog. mis. priv.* p. 1. — 3. Prop. 2. damn. a Pio VI. B. *Auctorem fidei* — cfr. pr. 3. de R. P. *capite ministeriali*. — 4. Prostat quoque prop. 5. Marsilii Patav. proscripta a Ioan. XXII. ut supra, qua negatur *omnis*

iure laicae auctoritatis sese immiscendi rebus religionis: « Sanctam « catholicam et apostolicam R. Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem « et magistram agnosco ..... atque haereses quascumque ab Ecclesia « damnatas, reiectas et anathematizatas ego pariter damno, reiicio « et anathematizo »: ita profess. fidei Conc. Trid. Pii IV. — cfr. propp. 33. 44. 45. 46. Syll. — Item est potestas *ministerii*, radicata in *charactere* sacramentali, signo spirituali atque indelebili, uti hic supponimus ex tractatu de sacramentis. Sacras vero ordinationes esse independentes a populi consensu et laicae potestatis definivit Conc. Trid. sess. 23. cp. 4. cn. 7.: « Si quis dixerit Ordines ab « episcopis collatos sine populi vel potestatis saecularis consensu « aut vocatione irritos esse: aut eos qui nec ab ecclesiastica et « canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, « legitimos esse verbi Dei et sacramentorum ministros, A. S. ». Denique — c) in clericorum ordine est vera hierarchia, *ordinis* et *iurisdictionis*, divinitus instituta: de hierarchia *ordinis* loquitur cn. 6. trid. ib.: « Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam « divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presby- « teris et ministris A. S. » — hierarchia autem *iurisdictionis* patebit ex infra dicendis ubi de R. Pontifice et de episcopis.

115. **Conclusio I.** « *Ecclesia triplici potestate gaudet sc. regiminis, magisterii et ministerii — quam quidem Christus contulit non fidelium communitati sed certis dumtaxat personis adeo ut distinctio inter clericos et laicos sit ex Iure divino* » (n. 221-222) — Haec conclusio est *de fide catholica* et sic probatur — a) Christus quosdam secrevit a reliqua discipulorum turba quos *apostolos* vocavit: « *Vocavit discipulos suos et elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos nominavit* » [1] — b) Hos misit eadem missione eademque potestate instructos, qua ipse a Patre missus fuerat: « *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* » — « *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes* » [2] — c) His speciatim contulit potestatem *regiminis* per ea verba [3]: « *Amen dico vobis: quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo* »: qua in potestate *ligandi* et *solvendi* contineri potestatem *legiferam*, *iudiciariam* et *coactivam* in hunc modum demonstratur. Triplex est vinculum, quo creatura rationalis *ligari* et a quo *solvi* potest sc. vinculum *legis*, *culpae* et *poenae*. Atqui potestas ligandi et solvendi a vinculo *legis* est potestas *legifera*, quae *ligat* leges ferendo, *solvit* eas abrogando vel ab eis dispensando — potestas

---

potestas *coactiva* Ecclesiae: — item opera Io. Nepom. Nuytz *Inst. Iuris eccles.* et *Tract. in Ius univ.* damnata a Pio IX. Brevi *Ad Apostolicæ* 22. aug. 1851: — necnon propp. 19. 20. 28. 29. 39. 41. 49. 51. Syllabi. — 1. Luc. VI. 13. — 2. Io. XX. 21. - Matth. XXVIII. 18. — 3. Matth. XVIII 18.

ligandi et solvendi a vinculo *culpae* est potestas *iudiciaria*, quae *ligat* iudicando actionem esse legi contrariam ideoque culpabilem, *solvit* declarando actionem esse legi conformem ideoque culpae et poenae expertem — potestas ligandi et solvendi a vinculo *poenae* est potestas *coactiva* quae *ligat* decernendo poenam subeundam pro culpa, *solvit* liberando seu condonando poenam: ergo — d) Iisdem apostolis contulit Christus potestatem *magisterii*: « *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: Euntes ergo docete omnes gentes* » — « *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur* » [1]: quod non esse *purum magisterium*, sed veram potestatem *inclinandi fideles in obsequium fidei* eisque mentis assensum *imperandi* patet ex explicita doctrina Apostoli, qui asserit [2]: « *Accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus, in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam* ». Denique — d) fecit Christus apostolos dispensatores sacramentorum, illis collatâ *baptizandi — consecrandi* et peccata *remittendi* potestate: « *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti* » — « *Hoc facite in meam commemorationem* » — « *Accipite Sp. Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* » [3]. Idcirco Paulus ait [4]: « *Sic nos existimet homo tamquam ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* ».

116. **Solvuntur difficultates** (n. 223-226). *Obiectio I. — S. Petrus omnes fideles appellat sacerdotes:* « Vos autem genus electum, regale sacerdotium » [5]: *ergo.*

Resp. — dist. antec.: sensu *proprio* sc. quatenus sacerdos dicitur ille, qui divinitus deputatur ad offerendum Deo sacrificium *proprie dictum*, quod est *actus cultus publici externi* et consistit in oblatione rei sensibilis Deo facta per eiusdem rei destructionem realem vel moraliter aequivalentem, *nego:* sensu *latiori* quatenus sc. sacrificii nomine quaevis oblatio Deo facta intelligitur, imo quivis actus virtuosus, maxime alicuius laboris et abnegationis, atque ideo sacerdos dicitur qui huiusmodi actus vel oblationes peragit, *conc.*

117. *Obiectio II. — Christus arcet ab apostolis omnem principatum dicens* [6]: « Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator ».

Resp. — dist. antec. Christus arcet omnem principatum *in se*, nego:

1. Matth. XXVIII. 18. — 2. Rom. I. 5. - 2. Cor. X. 4-6. — 3. Luc. XX. 19. - Io. XX. 21 — 4. 1. Cor. IV. 1. — 5. 1. Pet. II. 9. — 6. Luc. XX. 25.

pravum usum h. e. superbiam ac fastum in principatu obeundo, sicut reapse reges gentium sese gerebant in praesidendo. *conc.*

118. *Obiectio III. — Ecclesia praecipere nequit actum internum fidei, quia generatim nequit praecipere actus internos: ergo auctoritas docendi non est pars iurisdictionis.*

Resp. — *nego antec.* Nulla enim ratio videtur, cur Ecclesia actus *internos* praecipere aut prohibere non possit. Potior ratio, quae a sententia negante adducitur, est, quia de internis Ecclesia iudicare non potest. Verum — a) negari potest *illatio:* numquid enim iudicare magis potest de interiori meditandi exercitio, quod tamen Regularibus praecipit? numquid magis iudicare potest de actibus externis occultis, quos tamen iuxta omnes Ecclesia praecipere potest? Sed — b) negari potest *antecedens:* quamvis enim sententia *per modum iudicii* in actus internos ferri non possit, ferri tamen potest *per modum legis* statuentis ipso facto subeundam poenam aliquam, ad cuius applicationem opus non sit externa aliqua executione. Cum ergo iurisdictio Ecclesiae altioris sit ordinis, quam politica, et in animarum bonum ordinata sit ac sit vicaria illius, qui animas regit, ad solos externos actus non videtur restringenda [1].

119. **Corollaria** (n. 227-228) — Ex *docendi* potestate sequitur — a) competere Ecclesiae ius et officium *prohibendi libros doctrinae revelatae* sive theoreticae, sive practicae *contrarios* et spirituali animarum bono perniciosos. Sequitur — b) eidem competere *ius exigendi ne libri saltem theologici citra authentici magisterii approbationem in lucem edantur.* Hinc ex Tridentino « imprimentes vel imprimi facientes « libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione excom- « municationem incurrunt » [2]: et ex Const. Apost. Leonis XIII. *Officiorum ac munerum* (24 ian. 1897) Tit. 2. c. 3. n. 41-42 « omnes « fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae subiicere scripta « omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter inter- « sit » — viris vero ecclesiasticis consulitur ne libros profanos edant inconsultis Ordinariis: « iidem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant ».

120. **Conclusio II.** « *In ordine clericali existit veri nominis hierarchia tum ordinis, tum iurisdictionis* » (n. 229) — Haec conclusio non tam demonstratur, quam ex alibi demonstrandis heic proponitur Ad conceptum ecclesiasticae hierarchiae duo pertinent sc. — a) ut in clericorum ordine sint *praesides* et *ministri*, idest diversi gradus habentes inter se relationem praelationis et subiectionis, ita ut *ratio formalis* huius graduum inaequalitatis et subordinationis sit diversa participatio potestatis ordinis et iurisdictionis: — b) ut haec inaequa-

1. Cf. Suarez *De Leg.* l. 4. c. 12. n. 4. - Gury t. 1. n. 80. not. c. — 2. Sess. 4. *De Edit. SS. LL.*

litas sit *ex Iure divino*. Atqui haec duo obtinent in Clericorum ordine: ergo.

Prob. min. quoad hierarchiam ordinis. Ex tractatu de sacramento *ordinis* haec certa sunt: — a) tres sunt gradus diversi secundum diversam *ordinis* potestatem sc. *episcopatus, presbyteratus* et *diaconatus:* — b) episcopi in eo praestant presbyteris quod *omnia* sacramenta conferre valeant, partim quidem *iure ordinario,* partim *iure exclusivo:* — c) presbyteri antecellunt diaconis in eo quod isti non valeant, illi possint corpus et sanguinem Christi consecrare — peccata remittere — extremam unctionem administrare. Atqui ex eodem tractatu constat, sacrum ritum seu ordinationem, qua episcopi, presbyteri et diaconi constituuntur, esse sacramentum a Christo institutum: ergo.

Prob. min. quoad hierarchiam iurisdictionis. Ecclesiae regimen ita est ac semper fuit in se constitutum, ut ad duos hierarchicos gradus immobiliter reducatur sc. — a) ad *Romanum Pontificem,* quem christianus populus agnoscit *centrum unitatis — visibile caput — doctorem infallibilem:* — b) ad *episcopos,* quibus sub dependentia a pastore supremo pascenda committitur pars aliqua universalis Ecclesiæ tum quoad intellectum per veritatis magisterium, tum quoad voluntatem per regimen imperii. Reliqui in Ecclesia, qui potiuntur gradu aliquo iurisdictionis, habentur tamquam R. Pontificis et episcoporum adiutores, ab eisdem vocati in partem suae sollicitudinis: tales quoad Pontificem sunt patriarchae, primates, metropolitae, vicarii et legati apostolici ac romanae congregationes — quoad episcopos sunt eorum vicarii generales, capitula, vicarii foranei ac parochi. Atqui — α) primatus R. Pontificis cum adnexo magisterio infallibili est *ex iure divino:* item — β) episcopi tamquam pastores et doctores subordinati existunt *ex iure divino,* iuxta illud Pauli ad episcopos [1]: « *Attendite vobis et universo gregi, in quo posuit vos Sp. Sanctus episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* »: ergo [2].

121. **Conclusio III.** « *Ecclesia legum suarum violatores coërcere potest — 1° pœnis temporalibus et corporalibus — 2° imo nulla ratione demonstrari potest eidem non competere ius gladii* » (n. 230-232) — Conclusio quoad 1. partem est *de fide catholica.*

Prob. 1. pars — Potestas eiusmodi — a) *per se* continetur in amplissima *ligandi* potestate quam Christus Ecclesiae suae contulit. Aliunde — b) temporales et corporales punitiones indoli Ecclesiae minime adversantur. Ideo enim iuxta hæreticos tales pœnæ Ecclesiæ indoli adversantur, quia Ecclesia est societas *spiritualis.* Atqui Ecclesia *spiritualis* societas est et dicitur, non tam ratione *elementorum,* quibus

1. Act. XX. 28. — 2. Cf. Tarquini *Op. cit.* l. 2. c. 1.

constituitur, aut *mediorum*, quibus utitur; quam praesertim ratione *finis*, ad quem homines ducit: ergo ex eo quod societas spiritualis sit, id tantum sequitur, *finem* quidem poenae *spiritualem* esse oportere, non autem *ipsam poenam* debere necessario esse aliquid spirituale. Denique — c) evidens est, poenas eiusmodi ad Ecclesiae finem efficaciter conducere. Ecclesiae enim subditi sunt homines, ex anima et *corpore* constantes, qui obiectis et mediis mere spiritualibus non satis moventur: unde et Christus sacramenta sub forma sensibili instituit. Ergo poenae spirituales *solae* quandoque et frequenter non sufficiunt. Ad rem s. Augustinus [1]: « Si terrerentur et non docerentur, improba « quasi dominatio videretur: sed rursus si docerentur, et non terre- « rentur, vetustate consuetudinis obdurati ad capessendam viam « salutis pigrius moverentur ».

Prob. 2. pars — Hac de re scitu digna sunt, quae advertit Card. Tarquini [2]: — a) non desunt ecclesiastici Doctores, qui gravissimam censuram ferant in eos, qui huiusmodi ius denegant Summo Pontifici et Concilio generali: — b) lege tamen ecclesiastica *immediatum* huius potestatis exercitium inferioribus Ecclesiae magistratibus (h. e. episcopis seorsim sumptis ceterisque sacris ministris) interdicitur: — c) *mediatum* saltem huius potestatis exercitium penes R. Pontificem et generale concilium est: nempe R. Pontifex et concilium ius habent exigendi a catholico principe, ut hac poena in delinquentes animadvertat, si Ecclesiae necessitas id postulet: — d) nulla ratione probari potest, *immediatum* eiusdem potestatis exercitium supremo Ecclesiae magistratui non competere [3]: id sane non probatur ex Iure *naturali*, ex quo potius evinceretur Ecclesiam, utpote societatem perfectam, *iure gladii* pollere — non ex Iure *divino-positivo*, cum nullum adferri possit *certum* testimonium pro sententia negante [4] — non ex Ecclesiae *mansuetudine*, quia satis bene intelligitur, mansuetudini non adversari necessariam iustitiae administrationem — non denique ex *non usu*, quia non usus iuris alicuius non arguit eiusdem iuris defectum.

CAPUT III.

De quatuor Ecclesiae proprietatibus.

122. **Quid proprietas** (n. 233) — *Proprietatis* nomine intelligitur illa Ecclesiae praerogativa, quae, iuxta Christi institutionem, adeo

1. ep. 93. ad Vinc. n. 3 — 2. *Op. cit.* l. 1. n. 47. ad 7.um. — 3. Qui id negant, adducunt verba Bonif. VIII. in B. *Unam Sanctam*, quae retulimus supra n. 91. — 4. Inepta sunt verba Christi ad Petrum hominem tunc temporis *privatum* Matth. XXVI. 52. « *Converte gladium tuum in locum suum* »: item verba Apostoli 2. Cor. X. 4.: « *Arma militiæ nostræ non carnalia* » idest non fragilia ac futilia.

essentialis est ipsi ut *intrinsece* spectata ab Ecclesia separari nequeat, *extrinsece* vero inspecta ostendat quae sit *in concreto* vera Ecclesia. Hae *quatuor* sunt sc. *unitas* — *sanctitas* — *catholicitas* — *apostolicitas*.

ARTICULUS I.

De Ecclesiae unitate.

123. **Unitas symbolica, ritualis, socialis** (n. 234-237) — Ecclesia prae triplici suo charactere regni *veritatis*, *sanctificationis* et *imperii*, triplici unitate pollere debet sc. *symbolica*, *rituali* et *sociali* — Unitas *symbolica* seu *fidei* est « *consensio omnium fidelium in eosdem articulos quos Ecclesia proponit credendos* ». Quare haec unitas *obiective* consistit in identitate veritatum credendarum — *subiective* sita est in professione earundem veritatum — *formaliter* in identitate principii efficientis, quod est magisterium infallibile Ecclesiae. Hic tamen adverte, ad unitatem fidei non requiri ut veritates omnes *explicite* credantur, sed sufficere ut partim credantur *explicite*, partim *implicite* retineantur — Unitas *ritualis* seu *cultus* ea est, vi cuius omnes in Ecclesia servare debent illos ritus, qui sunt *divinae institutionis* h. e. septem sacramenta et eucharisticum sacrificium. Hæc quoque unitas obiective est *identitas* rituum — *subiective* est *communio* eorundem sacramentorum eiusdemque sacrificii — *formaliter* est haec eadem communio quatenus procedit ab eodem authentico ministerio — Unitas *socialis* seu *communionis* — *caritatis* — *regiminis*, ea est, vi cuius omnes fideles uni ac eidem supremo pastori tandem subiiciuntur.

124. **Protestantes** (n. 239) — Contra unitatem *symbolicam* sunt protestantes, qui distinctionem invexerunt inter articulos *fundamentales* et *non fundamentales*: appellant *fundamentales* illas veritates quae explicite ab omnibus credendae sunt ad salutem: *non fundamentales* illas quae sine salutis dispendio reiici possunt, etiamsi per magisterium apostolicum uti credendae proponantur. Hinc statuunt ad unitatem fidei sufficere consensum circa articulos *fundamentales*. Quoad unitatem *regiminis* censent anglicani ad essentiam quidem Ecclesiae spectare illam *regiminis* unitatem quæ dicitur *similitudinis*, in eo sitam quod diversae ecclesiæ habeant eandem regiminis formam; unitatem vero *identitatis*, etsi perfectiorem, non cadere *sub praecepto* [1].

125. **Conclusio unica.** « *Ecclesia ex voluntate divini sui fundatoris triplici pollere debet unitate sc.* — 1° *symbolicâ* — 2° *rituali* — 3° *sociali* » (n. 240-247) — Conclusio est *de fide catholica* ex symbolo Nicaeno.

Prob. 1. pars — a) ex clarissima doctrina Apostoli [2]: « *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero*

1. Iurieu discipulus Calvini in op. *Systema Ecclesiæ*. — 2. Eph. IV. 11.

evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei, in agnitionem Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: ut iam non simus parvuli fluctuantes, ne circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris ». Porro ex hoc testimonio constat: — a) voluntatem Christi esse, ut in Ecclesia sua vigeat illa omnium fidelium consensio in easdem veritates, quae est unitas fidei *materialis*, resultans ex unitate *obiectiva* et *subiectiva*: « *donec occurramus omnes in unitatem fidei* »: constat — b) *principium efficiens* huius unitatis esse *magisterium* Ecclesiae: « *dedit pastores et doctores* »: ideoque ex eadem Christi voluntate unitatem fidei debere quoque esse *formalem*: constat — c) hunc esse finem institutionis visibilis magisterii. Hinc idem Apostolus [1]: « *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Item — b) ex *gratuitate* distinctionis protestantium inter articulos *fundamentales* et *non fundamentales*. Nam fundamentum huius distinctionis — α) non invenitur in Scripturis, ex quibus obiiciunt verba Pauli [2]: « *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus* ». Ex hisce enim verbis id unum constat, Christum esse salutis nostrae fundamentum, et hanc veritatem fidelibus esse maxime inculcandam, quod nempe *Iesus est Christus* seu *Messias* a Deo promissus. Neque — β) in ipsa *rei natura*: nam inspectâ *fidei naturâ*, de eius ratione id tantum est, ut veritates revelatae credantur ob auctoritatem Dei revelantis. Atqui hoc motivum pro omnibus veritatibus revelatis militat: ergo.

Prob. 2. pars — Unitas quippe in fide secum fert unitatem eorum rituum, qui sunt divinae institutionis. Nam si Christus hos ritus, sacramenta nempe et sacrificium, instituit et iussit adhiberi, credendum est non modo *theoretice*, sed etiam *practica professione*, hosce ritus esse sacros eiusque naturae, necessitatis et efficaciae, quam docet divina revelatio. Atqui in his consistit unitas ritualis: ergo.

Prob. 3. pars — Ecclesia in divinis litteris passim appellatur *regnum — civitas — domus — ovile — corpus*. Atqui haec ideam exhibent *unius* societatis, quae *uni* regi, magistratui, patri, pastori, capiti sit subiecta: ergo — *Confirm.* ex divina institutione *primatus* in b. Petro eiusque successoribus, de quo fusius infra: sic Christus ad Petrum [3]: « *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis* ». Ex quibus sic arguimus: Ecclesia heic est Ec-

1. Eph. IV. 5. — 2. 1. Cor. III. 11. — 3. Cf. Matth. XVI. 18.

clesia *universalis;* est enim Ecclesia *quam aedificabit Christus* — quam *suam* appellat — contra quam *non praevalebunt portae inferi:* haec autem est Ecclesia universalis. Atqui hisce verbis Christus Petro promittit supremam potestatem in Ecclesiam: ergo universa Ecclesia uni supremo regimini est subiecta.

126. **Solvuntur difficultates** (n. 248-250). *Obiectio I. — S. Cyprianum cum episcopis africanis contendebat contra s. Stephanum S. P. baptismum ab haereticis collatum invalidum esse. Atqui nemo unquam censuit abruptam fuisse inter sanctos viros unitatem fidei et communionis: ergo.* Ita Iurieu et Palmer [1].

Resp. — Unitas fidei catholicæ tunc tantum vere et proprie læditur, cum negatur veritas *revelata* et ab Ecclesia *sufficienter proposita,* et quidem negatur cum *contumacia.* Atqui haec duo defuisse in obiecta controversia, colligitur ex s. Augustino [2] sic aiente: « Quapropter « s. Cyprianus tanto excelsior, quanto humilior ..... satis ostendit « facillime se correcturum sententiam suam, si quis ei demonstraret, « baptismum Christi sic dari posse ab eis, qui foras exierunt, quem- « admodum amitti non potuit, cum foras exirent. Nec nos ipsi tale « aliquid auderemus asserere, nisi universae Ecclesiae concordissima « auctoritate firmati: qui et ipse sine dubio crederet, si iam illo tem- « pore quaestionis huius veritas eliquata et declarata per plenarium « concilium solidaretur ».

127. *Obiectio II. — Per 40 circiter annos perduravit magnum schisma occidentale (ab an. 1378 ad a. 1417). Atqui nunquam creditum est, Ecclesiae unitatem tunc fuisse abruptam: ergo.*

Resp. — Schisma ita contigit ac perduravit. Cum Urbanus VI. a. 1378 legitime electus, moribus Cardinalium reformandis non sine aliqua severitate operam dedisset, Cardinales Ananiae congregati irritam declararunt electionem Urbani, sub praetextu quod ex metu pro ipso suffragati fuerint; et novum Pontificem crearunt, qui Clementis VII. nomen suscepit. Hinc duae veluti factiones in Ecclesia ortae sunt, quarum una Urbano VI., altera Clementi VII. obediebat: dictae proinde sunt duae *obedientiae.* Divisio perduravit usque ad a. 1409. atque interim Urbano successerunt Bonifacius IX. (a. 1389), Innocentius VII. (a. 1404) et Gregorius XII. (a. 1406): Clementi vero successit Benedictus XIII. (a. 1394). Ut pacem Ecclesiae restituerent, Cardinales utriusque obedientiae Pisis collecti, utroque Pontifice deposito, a. 1409 elegerunt Alexandrum V. Tamen Gregorius XII. et Benedictus XIII. sententiae Synodi sese non submiserunt, atque ita non modo schisma non conquievit, sed *tres* obedientiae inde factae sunt, et durarunt ad a. 1417. Interim Alexandro V. defuncto

1. *De Doct. christ.* p. 1. c. 5. s. 3. 4. — 2. *De bapt.* l. 2. c. 4. n. 5.

successit Ioannes XXIII. a. 1410. Tandem Ioannes XXIII. indixit generale concilium celebrandum Constantiæ, tres Pontifices abdicarunt et omnium consensu a. 1417 electus est Martinus V. cui universa Ecclesia sese subiecit.

Porro ex hac historia patet, huiusmodi dissidium immerito obiici contra Ecclesiae unitatem. Sane: si regnum aliquod scindatur in plures partes, quarum unaquaeque suum habeat regem, quaero: eritne destructa unitas regni illius? *affirmative* quidem, si nullus illorum regum censeat se esse regem *totius* regni, sed tantum *partis suae:* tunc enim plures haberentur distinctae et independentes societates — *negative* autem, si unusquisque rex censet et contendit se esse regem *totius* imperii: tunc enim error est *quoad subiectum,* in quo residet suprema auctoritas: idcirco unitas regni *perturbata* quidem et *concussa* dici debet, minime vero *abolita.* Ita res contigit in schismate occidentali: aderat error *quoad legitimum Pontificem;* omnes tamen obedientiae credebant, Ecclesiam nonnisi uno Pontifice esse regendam — omnes adlaborabant ad dissidium tollendum — omnes erant parati ad legitimum Pontificem amplectendum. Permanente ergo dubio, Ecclesiæ unitas fuit quidem *perturbata* et *concussa,* non vero *destructa* [1].

ARTICULUS II.

De Ecclesiae sanctitate.

128. **Sanctitas personalis et realis** (n. 251-252) — Duplex sanctitas distinguitur sc. *personalis* et *realis* — Sanctitas *personalis* seu *passiva* definiri potest « *moralis rectitudo personae coram Deo* ». Haec — a) est *actualis* et *habitualis* — sanctitas *actualis* posita est in virtutum cultura per exercitium actuum bonorum; quia autem principium intrinsecum actuum virtutis sunt habitus boni simul cum potentiis, quas informant et ad actus bene disponunt, idcirco horum habituum complexus sanctitatem *habitualem* constituit. Utraque — b) est *naturalis* vel *supernaturalis,* prouti habitus et actus inde procedentes sunt naturalis vel supernaturalis ordinis. Cum in praesenti ordine elevationis anima recte disponatur ad Deum per gratiam sanctificantem et habitus supernaturaliter infusos, idcirco sanctitas ex Dei intentione et ordinatione *supernaturalis* est. Huius sanctitatis — c) triplex est *gradus* sc. *communis,* qui situs est in statu gratiae sanctificantis ac divinorum praeceptorum observantia — gradus *perfectior,* qui in consiliis quoque evangelicis servandis consistit — gradus *heroicus,* qui iuxta Card. Laura est « ille virtutis

1. Cf. Mazzella *De Eccl.* nn. 671. 672.

« gradus, perfectio et excellentia, quae facit, ut homo circa materiam « alicuius virtutis supra communem aliorum hominum operandi modum « operetur, et in hoc Deo similis sit ».

Sanctitas *realis* triplex distingui potest: *terminative* est alicuius rei ad divinum cultum deputatio — *active* est virtus causandi sanctitatem personalem — *manifestative* est effectus vel signum interioris sanctitatis personalis: quo sensu sanctum dicitur charisma miraculorum, quod *ordinario* sanctis viris conceditur.

129. **Protestantes** (n. 253) — Adversarios hic habemus protestantes qui — a) sanctitatem aliquam *activam* Ecclesiae non denegant, quamvis praecipua sanctitatis media excludant, ut sunt sacramenta et regimen: — b) sanctitatem *passivam* alii ita exaggerant, ut nonnisi ex sanctis membris Ecclesiam coalescere contendant; alii ita extenuant ut censeant eam in Ecclesia penitus deficere posse: — c) omnes vero plus minusve negant illam sanctitatis manifestationem, quae fit per miracula et cetera charismata *gratis* data.

130. **Conclusio I.** « *Ecclesia sancta est imprimis sanctitate reali seu activa* » (n. 254-255) — Haec conclusio est *de fide catholica* ex symbolis — Sic vero prob. *ex Scripturis:* legitur enim Ezech. [1]: « *Et fundabo eos, et multiplicabo et dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. Et erit tabernaculum meum in eis: et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus. Et scient gentes, quia ego Dominus sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum* »: item Eph. [2]: « *Et ipse dedit quosdam apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios pastores et doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi* ». Ex quibus sic arguimus: Deus iam in V. L. pollicitus fuerat, se populum suum idest Ecclesiam in perpetuum sanctificaturum. Atqui opus hoc sanctificationis in Ecclesia et per Ecclesiam exercet sc. per pastores et doctores a Christo institutos, atque ad hunc finem Christus efficacissimis mediis sanctitatis Ecclesiam instruxit sc. sacramentis, doctrina, regimine: ergo.

131. **Conclusio II.** « *Ecclesia sancta quoque est sanctitate personali seu passiva triplici dicto gradu sc. communi — perfectiori — heroico* » (n. 256-258). *Prob.* — a) quoad gradum *communem* — Ecclesia enim carere nequit illa prærogativa, quæ meta fuit missionis Christi. Atqui haec fuit sanctitas vitae: ergo — *Prob. min.:* « *Christus,* ait Apostolus [3], *dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae: ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* » — « *Iusiurandum*

1. Ezech. XXXVII. 27. — 2. Eph. IV. 11. — 3. Eph. V. 25.

quod iuravit ad patres nostros daturum se nobis. Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi in sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris » [1] — « *Ignem veni mittere in terram et quid volo, nisi ut accendatur?* » [2] — « *Et ego pro iis sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate* » [3] — et iterum Apostolus [4]: « *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum* ». *Prob.* — b) quoad gradum *perfectiorem* — Oportet enim ut sponsa vitam sponsi, corpus vitam capitis perenniter referant. Atqui Christus absolutissimum exemplar fuit omnium consiliorum, ipsiusque vita eorum exercitio contexta fuit: ergo suavi efficacique providentia nonnullis semper voluntatem inspirabit, ut statum hunc *perfectionis* amplectantur ac perficiant. *Prob.* — c) quoad gradum *heroicum* — Intelligi enim non potest, quod Christus in nullo suo membro eam perfectionem efficiat inveniatque, ad quam ipse hortatus est quamque maxime sibi placere significavit cum dixit [5]: « *Estote perfecti, sicut Pater meus cœlestis perfectus est* »: quod confirmatur ex *biographiis Sanctorum*, non obiter tamen perlectis.

132. *Obiectio* (n. 259) — *Multi sunt peccatores in Ecclesia, imo plures peccatores quam iusti: ergo.*

Resp. — Sequentia adnotentur: — a) *subiectum*, de quo sanctitas personalis asseritur tamquam Ecclesiae proprietas, non sunt singula membra, sed est ipsum Ecclesiae corpus, quatenus *plures* esse debeant in Ecclesia sancti. Quod autem — b) non omnia membra sint sancta, id Ecclesiae sanctitati minime obest, tum quia id certe non pendet ab Ecclesia, sed potius ex resistentia iugi Ecclesiae actioni sanctificatrici — tum quia multi adhuc sunt ac semper futuri sunt sancti a quibus Ecclesia tamquam a potiori nobiliorique parte *sancta* appellatur. Nec — c) ullo modo probari potest, plures esse peccatores in Ecclesia, quam iustos, vel saltem eiusmodi esse *normalem* Ecclesiæ conditionem. Numquid hoc fuit e. g. a Christo vel ab Apostolis praedictum? Verum in hac quoque hypothesi Ecclesia vere denominanda esset sancta, non quidem a *maiori*, sed a *potiori* parte: coram Deo enim maioris aestimationis est *unus* iustus, quam innumeri peccatores.

133. **Conclusio III.** « *Ecclesia credi debet sancta illo quoque sanctitatis genere, quod in miraculorum charismate continetur* » (n. 260-261) — Et revera legitur Marc. [6]: « *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super aegros manus imponent et bene habebunt* »: et Ioan. [7]: « *Amen, amen dico vobis: qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet et*

1. Luc. I. 73. — 2. Luc. XII. 49. — 3. Io. XVII. 19. — 4. Tit. II. 14. — 5. Matth. V. 48. — 6. Marc. XVI. 17. — 7. Io. XIV. 12.

maiora horum faciet ». Quare: charisma miraculorum connexum exl betur a Christo non solum cum fidei origine, sed simpliciter cum ip fide. Ergo quamdiu in Ecclesia vera fides vigebit, tamdiu hisce sign splendescet, si non in omnibus suis membris, saltem in aliquibus. I merito quidem; cum enim Ecclesia missionem Christi in terris continu idcirco respectu eorum, quibus Christus prædicandus est, carere nequ illo probationis genere, quo Christus et Apostoli auctoritatem si conciliarunt — *Quaerenti* vero, cur prodigia minus frequentia si nostris temporibus prae aevo apostolico, respondet s. Greg. M. « Haec necessaria in exordio Ecclesiae fuerunt. Ut enim fides cr « sceret, miraculis fuerat nutrienda, quia et nos cum arbusta pla « tamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra co « valuisse iam videamus; et si semel radicem fixerint, in rigan « cessamus »[1].

ARTICULUS III.

De Ecclesiae catholicitate.

134. **Catholicitatis notio et divisio** (n. 262) — *Catholicitas* se *universalitas* sic definiri potest: « *lata Ecclesiae per orbem diffus cum magna et perspicua membrorum multitudine* ». Porro — a) i hac notione duplex elementum distinguere oportet sc. *materiale* quo est Ecclesiae per orbem *diffusio* — *formale* quod est *unitas* in diffusion *symbolica, ritualis* et *socialis*. Hinc catholicitas mere *materialis* hæretici quoque competere potest — *materialis* simul et *formalis* solius es verae Ecclesiae *proprietas*. Haec — b) alia est *iuris*, alia *facti* prout vel est tantum ius simul et virtus sese per universum orbem propa gandi, vel praeterea est *actualis* per orbem diffusio. Catholicita *facti* — c) est *physica*, si nulla est *regio*, et a fortiori nulla *person* quae in Ecclesiae sinu non sit — est *moralis*, si Ecclesia ita pe orbem diffunditur, ut splendorem quemdam universalem in mund habeat, quo eius dignitas et maiestas cognosci possit atque ita al haereticorum turbis discriminari, etsi non omnes ad ipsam pertineant Denique — d) catholicitas *moralis* esse potest *simultanea* vel *succes sira* — simultanea, si actualis Ecclesiae diffusio eodem tempore terrarum orbem comprehendit — successiva, si Ecclesia concipitu veluti diversas regiones paulatim peragrare adeo ut unam occupet aliâ relictâ. Porro evidens est, in Ecclesiae exordio eidem competere non potuisse, nisi catholicitatem *successivam*, eo tamen sensu intel lectam, quod iuxta Dei consilia suavemque providentiam paulatin per evangelii praedicationem propaganda esset.

1. Hom. 29. in Evang. n. 4.

135. **Conclusio unica.** « *Ecclesia censeri debet catholica catholicitate facti simultanea* » (n. 263) — Haec conclusio est *de fide catholica* ex symbolis. *Prob.* — a) *ex vaticiniis* V. L. sc. ex *libris legalibus:* « *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ* » [1] — item ex *prophetis*, ex quibus locus classicus est cp. 60 v. 4 sqq. Isaiae: « *Leva in circuitu oculos tuos et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, filii tui de latere surgent. Tunc videbis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te* » — item ex *psalmis:* « *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae* » [2]. *Prob.* — b) *ex prædictionibus* Christi [3]: « *Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturae* » — « *Euntes docete omnes gentes* » — « *Venient multi ab Oriente et ab Occidente, ab Aquilone et ab Austro et accumbent in regno Dei* »: in quae s. Augustinus [4]: « Teneamus ergo « Ecclesiam *ex ore Domini designatam*, unde cœptura et quo usque « perventura esset: cœptura scilicet ab Ierusalem et perventura in « omnes gentes ».

136. **Quaeres I.** *quo sensu Ecclesia sit pusillus grex* (n. 265) [5].

Resp. – Pluribus titulis ut explicat Suarez [6] idest — a) comparatione infidelium — b) si dicatur de prædestinatis, comparatione reproborum — c) ob humilitatis devotionem, ut dixit venerab. Beda [7]: — d) propter abiectam discipulorum conditionem, qui tunc, cum Christum audirent, pauperes et infimae conditionis erant: — e) quia ob voluntariam paupertatem vel gloriae mundi abnegationem servi Christi in mundo tamquam viles reputantur.

137. **Quæres II.** *an competat Ecclesiæ catholicitas relativa* (n. 267).

Resp. — Hac de re haec statui posse videntur: — a) competit Ecclesiae catholicitas *absoluta* h. e. lata per orbem diffusio, nulla cum aliis religionibus comparatione instituta, ut patet ex datis argumentis necnon ex facto ipso — b) Certum quoque Ecclesiae competere catholicitatem *relativam*, comparatione facta cum *haereticis* sectis, *distributive* sumptis. Si vero — c) comparatio instituatur cum eisdem sectis, *collective* spectatis, quamvis catholicitas *relativa* sub hac consideratione necessario non sit Ecclesiae adscribenda, tamen Deus prae nimio suo erga Ecclesiam amore hac etiam gloria eam ornare voluit, ut factum ipsum demonstrat. Si denique — d) comparatio *etiam* cum *infidelibus* instituatur, catholicitas *relativa* nequit Ecclesiae tribui, nec ullibi Scripturarum legimus eam fuisse promissam.

1. Gen. XII. 3. - XXVI. 4. - XXVIII. 14. - cfr. Gal. III. 16. — 2. Ps. 2. cfr. 71. — 3. Marc. XV. 15. - Matth. VIII. 14. - Act. I. 8. — 4. De Relig. c. 10. — 5. Luc. XII. 32. — 6. De fide l. 1. c. 16. n. 14. — 7. In Luc. l. 4. c. 54.

ARTICULUS IV.

De Ecclesiae apostolicitate.

138. **Apostolicitatis notio** (n. 268) — Triplex apostolicitas distingui solet sc. *originis,* quae est Ecclesiae fundatio in Apostolis — *doctrinae,* quae est identitas doctrinae ab Apostolis traditae — *ministerii* seu *successionis,* quae est pastorum Ecclesiae successio in Apostolorum locum. Porro in hac postrema apostolicitate duplex prior continetur. Si enim adest apostolicitas *ministerii,* eoipso adest series pastorum succedentium, cuius initium *immediate* vel *mediate* in Apostolis aut viris apostolicis est ideoque iam adest *origo apostolica.* Item si adest apostolicitas *ministerii,* iam adest continuata pastorum series, cui Christus infallibilitatis charisma in fide custodienda ac tradenda promisit ideoque *doctrina apostolica.* Quare in sola apostolicitate ministerii vindicanda immoramur. In hac vero apostolicitate duplex elementum secernere oportet, *materiale* quod est ipsa pastorum series — *formale* quod est *legitimitas* successionis, in eo sita quod personae munere pastoris fungentes auctoritate illa potiantur, quae, ab Apostolis derivata, ab illo confertur, qui actu eam habet et aliis communicare potest.

139. **Apostolicitatis definitio** (n. 269) — Ex hisce colligitur genuina apostolicitatis definitio: « *legitima, publica ac nunquam interrupta personarum in locum Apostolorum suffectio ad regendam, docendam et sanctificandam Ecclesiam* ». Quae definitio in hunc modum declaratur — a) Quamvis apostolica successio includat potestatem *ordinis,* tamen principaliter attenditur secundum potestatem *iurisdictionis,* quae per iugem transmissionem usque ad Apostolos ascendit. Ut autem — b) quis iurisdictione ecclesiastica potiatur necesse est, ut *centro unitatis* adhaereat h. e. R. Pontifici. Qui enim huic centro non adhaeret, extra Ecclesiam est ideoque nulla potestate eandem regendi gaudere potest — c) Cum in centro unitatis resideat plenitudo apostolicae auctoritatis, idcirco solus R. Pontifex apostolicitatem communicare valet et quemcumque sanare defectum. Idest si ex. gr. cœtus aliquis baptizatorum, usque nunc *haereticus* aut *schismaticus,* centro ecclesiasticae unitatis adhaerere incipit, cœtus ille apostolicus evadit h. e. pars apostolicae Ecclesiae: e contra separatio alicuius cœtus, usque nunc *catholici,* a centro unitatis adimit eidem cœtui apostolicitatem. Quare *communio cum centro unitatis* est criterium apostolicitatis. Denique — d) apostolicitas esse potest *immediata* vel *mediata:* est *immediata,* si ecclesia aliqua particularis per nunquam interruptam pastorum seriem usque ad Apostolos vel virum apostolicum pertingit, ut ex. gr. sedes *romana* — est *mediata,* si ecclesia est recentioris originis, habens tamen cum Ecclesia romana communionem.

140. **Missio extraordinaria** (n. 270) — Porro docent protestantes, Ecclesiae conditionem talem fieri posse ut nulli possint vocatione *ordinaria* ad ecclesiasticas functiones obeundas constitui, et qui iam constituti sunt, fidei erroribus morumque vitiis ita sint infecti, ut ipsorum emendatio sperari non possit. Tunc (aiunt) quivis christianus tenetur in conscientia pro viribus fungi apostolicis officiis, quam dicunt missionem *extraordinariam*, quae datur immediate a Deo. Id contigisse autumant saec. XVI. quum Lutherus et Calvinus extraordinaria vocatione a Deo missi sunt ad Ecclesiam reformandam.

141. **Conclusio unica.** « *Ecclesia credi debet apostolica* — 1° *apostolicitate successionis. Cum vero* — 2° *nota indubia apostolicitatis sit necessaria communio cum centro unitatis sc. R. Pontifice idcirco* — 3° *invecta a Novatoribus hypothesis missionis extraordinariae reiicienda est* » (n. 271-275) — Haec conclusio ex symbolo nicaeno est *de fide catholica*.

Prob. 1. pars — Christus ad regendam Ecclesiam ministerium apostolicum instituit, illudque perpetuum esse voluit: « *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* » [1]. Atqui perpetuitas apostolici regiminis secum fert apostolicitatem successionis non modo *materialis*, sed etiam *formalis:* ergo — *Prob. min.* Nemo in locum alterius succedere censetur, qui antecessoris auctoritatem et iura non obtineat: ut autem qui succedit, antecessoris auctoritatem et iura obtineat, oportet ut eam accipiat ab iis, qui actu habeant eamque aliis communicare possint. Atqui derivatio apostolicae potestatis ab iis, qui actu habent aliisque communicare valent, est successio *formalis:* ergo.

Prob. 2. pars — Uti inferius probabimus — a) in R. Pontifice invenitur *plenitudo potestatis apostolicae* — b) ipse propterea valet *missionem* seu potestatem apostolicam aliis communicare: — c) quinimmo ipse *tantum* hoc valet: ergo communio cum R. P. est nota indubia apostolicitatis. Ad rem sunt aurea verba S. Irenaei [2]: « Ad « hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem « convenire Ecclesiam h. e. eos, qui sunt undique fideles, in qua « semper ab iis, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab « Apostolis traditio ».

Prob. 3. pars — a) Reiicienda est *missio extraordinaria*, si ex Christi institutione successio apostolica antea praedescripta nunquam in Ecclesia deficere potest. Atqui — α) ex Christi institutione regimen apostolicum perpetuum est, et aliunde — β) hypothesis, quam protestantes fingunt de universali corruptione fidei et morum, *gratuita* est — historiae adversatur — iisque repugnat, quae de Ecclesiae

1. Matth. XXVIII. 20. — 2. Adv. hæres. l. 3. c. 3.

infallibilitate et indefectibilitate inferius dicturi sumus: ergo. Praeterea — b) uti ait ipse Lutherus [1]: « quando Deus ordinarium modum immutare vult, semper simul miracula operatur ». Atqui de novatoribus ait ipse Erasmus [2]: « Nullus illorum adhuc extitit, qui vel equum claudum sanare potuerit »: ergo.

142. *Obiectio — Missio s. Pauli apostoli extraordinaria fuit : ergo quid prohibet quominus ea admittatur?*

Resp. — Conc. ant. et *neg. cons.* Hæc adnotentur: — a) Paulus ad apostolos remittitur aut ad alios ab eisdem constitutos: — b) cum apostolis confert evangelium a se praedicandum: — c) ad apostolos Ierosolymis commorantes defert quaestionem de legalibus Antiochiæ ortam. Atqui haec, quin auctoritatem apostolicam iam existentem subverterent, in eius potius agnitionem cesserunt: ergo.

CAPUT IV.

De Ecclesiae dotibus.

143. **Dotis notio** (n. 278) — Nomine *dotum* intelliguntur illae Ecclesiae praerogativae, quae concipiuntur ad Ecclesiam iam in suo esse constitutam veluti accedere eamque condecorare. Tres recensentur: *visibilitas — indefectibilitas — infallibilitas.*

ARTICULUS I.

De Ecclesiæ visibilitate.

144. **Visibilitatis notio** (n. 279) — *Visibilitas* Ecclesiæ intelligitur eius aptitudo ut ab hominibus videatur seu cognoscatur. Recte propterea definitur: « *certa Ecclesiæ manifestatio quæ determinare valeat hoc iudicium: hæc est vera Christi Ecclesia* ». Quoniam autem Ecclesia ex *anima* et *corpore* coalescit, adeoque elementis aliis externis et *per se* visibilibus, aliis vero internis et *per se* invisibilibus, idcirco Ecclesiæ visibilitas seu cognoscibilitas partim seu *quoad corpus* est *immediata,* partim seu *quoad animam* est *mediata:* sc. Ecclesia partim manifestatur in iis, quae a sensibus attinguntur, partim in iis, quae non a sensibus, sed ab intellectu mediantibus sensibus apprehenduntur.

145. **Ecclesiae doctrina - protestantes** (n. 280-281) — De hac dote sic ait Conc. Vatic. [3]: « Deus per Filium suum Unigenitum « Ecclesiam instituit suaeque institutionis manifestis notis instruxit,

1. T. 2. Ienensi. ad Senat. Mülhusanum. — 2. Diatr. de lib. arb. — 3. Const. *Dei Filius* c. 3.

« ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset « agnosci. Quo fit ut ipsa velut *signum levatum in nationes* ad se « invitet, qui nondum crediderunt et filios suos certiores faciat, « firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur » — Contra statuunt protestantes — a) Ecclesiam, utpote ex solis iustis aut perfectis coalescentem, essentiâ suâ *invisibilem* esse. Quoniam vero — b) aliqua Ecclesia *visibilis* semper extitit, duplicem Ecclesiam distinguere cœperunt, *invisibilem* et *visibilem;* primam dicunt esse veram Ecclesiam, nempe Ecclesiam *promissionum* et nunquam defecturam; alteram dicunt esse Ecclesiam vocatorum ad fidem, non necessariam ac defectibilem. Quod effugium — c) excogitare coacti sunt, ut suam ab Ecclesia defectionem quadamtenus cohonestarent, contendentes, ante reformationem veram Ecclesiam invisibilem factam fuisse atque sæc. XVI. Lutheri et Calvini operâ, Deo disponente, iterum apparuisse.

146. **Conclusio unica.** « *Ecclesia est essentialiter visibilis* » (n. 282-284) — Haec conclusio est *certa* ac *fidei proxima. Prob.* — a) ex Scripturis; Ecclesiam enim omnino *visibilem* praedixit Isaias [1]: « *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi et dicent: Ascendamus ad montem Domini et ad domum Iacob, et docebit nos vias suas et ambulabimus in semitis eius* ». *Prob.* — b) ex Ecclesiae *indole.* Ipsa enim est naturâ suâ *hominum societas* et quidem talis, quam omnes ingredi debent, ingressi audire eique obsequi. Atqui — α) societas hominum suapte natura visibilis est. Praeterea — β) societas quam quisque adire tenetur sub aeternae damnationis pœna, ita visibilis sit oportet, ut eam homines ab aliis cœtibus discernere valeant atque hoc efformare iudicium: « *haec est vera Christi Ecclesia* »: ergo — Atqui Ecclesia *quovis tempore* est *hominum societas* ad salutem *necessaria:* ergo visibilitas ad eius *essentiam* pertinet.

147. **Solvuntur difficultates** (n. 285-286). *Obiectio I. — Ecclesiam existere est articulus fidei. Atqui quod est articulus fidei, non videtur, sed creditur: ergo.*

Resp. — Nihil impedit — a) imprimis quominus illud, quod est obiectum *scientiae,* sit *fidei* quoque obiectum, si forte illud cognoscibile sit sub diversis *motivis* seu *obiectis formalibus.* Quare *concessa maiori* sic *dist. min.:* quod est articulus fidei non videtur *ob ipsum motivum,* propter quod creditur *conc.* ob *aliud* motivum *neg.* At — b) praeterea advertatur non sufficere credere *in abstracto* Christum aliquam Ecclesiam instituisse, sed credendum est *in concreto* talem esse veram Christi Ecclesiam. Ut autem haec Ecclesia *in particulari* credatur,

1. Is. II. 2.

oportet ut praecedat de tali Ecclesia *iudicium credibilitatis,* idest nota esse debet *credibilitas huius Ecclesiae.* Ecclesia igitur est obiectum *visionis* (visibilis), quatenus per sua motiva credibilitatis panditur *credibilis* — est obiectum *fidei* (articulus fidei), quatenus, praevio iudicio credibilitatis, creditur esse Christi Ecclesia ob auctoritatem Dei revelantis. Quare sic *dist. mai.* ita tamen, ut praecedat *iudicium credibilitatis* de hac Ecclesia, ad quod efformandum praerequiritur *formalis* visibilitas Ecclesiae *conc.* secus *nego;* et distinguitur *minor* sicut supra.

148. *Obiectio II. — Ecclesia est cœtus coalescens ex baptizatis et clericis rite ordinatis. Atqui de nemine constare potest esse rite baptizatum, rite ordinatum: Ecclesia ergo non est certo visibilis.*

Resp. — concess. mai. et min. disting. consequens: Ecclesia nequit esse certo visibilis in suis membris *singillatim* sumptis *conc.* quatenus *cœtus* quidam *nego.* Revera — a) quamvis character, quo singuli constituuntur vel simplices fideles, vel pastores fidelium, non sit *per se* visibilis, est tamen visibilis *per aliud,* idest in externo ritu sacramentali. Et licet *singuli* ministri possint sacramenti ritum simulare, tamen est *moraliter* impossibile ut *omnes* purâ malitiâ sacramentorum administrationem simulent. Hinc exurgit imprimis *moralis certitudo* quod *moraliter* omnes in Ecclesia sint rite baptizati, rite ordinati. Imo — b) id certum quoque dici debet *certitudine fidei implicita.* Cum enim *fide divina* certum sit, Christum Ecclesiam suam instituisse *indefectibilem,* eoipso *fide divina* certum est, Christum infallibiliter provisurum Ecclesiae suae perennitati. Id autem exigit, ut plurimi sint rite baptizati et ordinati. Quare etsi visibilitas nequeat de Ecclesia praedicari *in singulis suis membris,* potest tamen de ipsa affirmari, quatenus est quidam *cœtus.*

ARTICULUS II.

De Ecclesiae indefectibilitate.

149. **Indefectibilitatis notio** (n. 287) — Ecclesiae *indefectibilitas* sic definiri potest: « *Perpetua Ecclesiae duratio usque ad mundi exitum in ea interna et externa constitutione, in complexu earum proprietatum ac dotum, in quibus a divino suo fundatore fuit constituta* ». Quare indefectibilitas distinguitur ab *apostolicitate:* haec enim dicit Ecclesiae identitatem cum Ecclesia in Apostolis fundata, *quamdiu* Ecclesia durat sc. *praescindendo* a perennitate — illa vero dicit *in recto* perpetuam Ecclesiae durationem, *in obliquo* eius identitatem cum Ecclesia apostolica.

150. **Errores** (n. 289) — Ecclesiae indefectibilitas negatur — a) a *rationalistis,* quorum facile principes *sociniani* existunt: — b) ab iis qui

tertiam expectant *œconomiam* seu pleniorem revelationem quam vocant Sp. Sancti), quae *praesenti* œconomiae (quam vocant Verbi) debeat succedere, sicut praesens œconomia *veteri* (quam Patris appellant) successit: — c) a protestantibus, qui, facta distinctione inter Ecclesiam *visibilem* et *invisibilem*, hanc tantum indefectibilem esse concedunt.

151. **Conclusio unica.** « *Ecclesia est indefectibilis h. e. ad mundi usque exitum duratura* » (n. 290-292). — Hæc conclusio est *de fide catholica:* profitemur enim in Symbolo: *credo sanctam Ecclesiam* — quae professio *loco* et *tempore* est universalis. *Prob.* — a) ex Christi promissione [1]: « *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam* »: ex quibus liquet nullam esse causam corruptionis Ecclesiae sive *intrinsecam*, sive *extrinsecam* — non *intrinsecam*, quia fundata est supra petram — non *extrinsecam*, quia est arx inexpugnabilis contra suos hostes. Ad rem s. Hieronymus [2]: « Super petram fundata Ecclesia nulla tempestate « concutitur, nullo turbine ventisque nullis subvertetur ». *Prob.* — b) *ex perpetuitate apostolici ministerii.* Christus enim non aliter nec alio tempore Ecclesiam suam instituit, quam quum apostolicum regimen, magisterium et ministerium instituit (n. 69). Atqui apostolicum ministerium, magisterium et regimen ex Christi voluntate et promissione perpetua esse debent: ergo — *Prob. min.* ex Matth. [3]: « *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti ..... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi* »: et Io. [4]: « *Et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum* ».

152. *Obiectio unica* (n. 293) — *Deus nec decrevit, nec decernere potuit Ecclesiae perennitatem, quin voluerit vim inferre humano arbitrio.* Sic sociniani.

Resp. — neg. assertum. Deus enim, incolumi manente libero hominis arbitrio, ita gratiâ suâ inflectere potest hominum corda, ut semper futuri sint, qui libere velint nomen suum dare Ecclesiae. Seu ope scientiæ mediæ potest Deus eum ordinem eligere et efficaciter statuere, in quo homines libere illud faciant, quod Deus vult. « Et ideo, ait Augustinus [5], fuit de isis certa praedictio, quia et Deus praevidet etiam futuras voluntates ».

ARTICULUS III.

De Ecclesiae infallibilitate.

153. **Infallibilitatis notio** (n. 295-296). — *Infallibilitas* quam Ecclesiae tribuimus, sic describi potest: « *Supernaturalis Dei in Chri-*

1. Matth. XVI. 18. — 2. In c. 4. Is. — 3. Matth. XXVIII. 20. — 4. Io. XIV. 16. — 5. De un. Ecc. n. 23.

sto per Sp. Sanctum assistentia, qua Ecclesia docens in rebus fidei et morum definiendis ab omni errore praeservatur immunis » — Infallibilitas dicitur — a) *assistentia* tum ut significetur, ipsam non importare novam revelationem, sed divinam specialem providentiam, qua in revelatione iam facta et in Apostolis completa custodienda, explicanda et tuenda, Ecclesia ab errore servatur immunis [1] — tum ut intelligatur, Ecclesiae infallibilitatem non excludere, sed exigere humanam industriam, idest pastorum studium, inquisitiones, consultationes, preces etc.... Hic autem — b) fac probe distinguas *causam efficientem* infallibilitatis ab *obligatione* inquirendi, studendi, orandi, etc...., antequam definitio fidei edatur: causa *efficiens* infallibilitatis est promissa assistentia Sp. Sancti, quæ nunquam deest — *obligantur* vero Ecclesiae pastores ad studendum, inquirendum et orandum, non ut *infallibiliter*, sed ut *convenienter* et *recte* h. e. sine peccato definiant: ex Christi enim voluntate definitio *modo humano* procedere debet, idest sicut in humanis negotiis alicuius momenti, quae diligentiam postulant, ut recte fiant. Additur — c) *qua Ecclesia docens:* agitur enim de infallibilitate *activa* seu *in docendo*, non de *passiva* seu *in credendo*, cuius subiectum est Ecclesia *docens* et *discens*, quæque est necessarius effectus infallibilitatis activae. Dicitur — d) « *in rebus fidei et morum definiendis* » — quibus duo exprimuntur sc. *obiectum* infallibilitatis esse materiam *fidei et morum*, ut fusius deinde exponemus: ac praeterea Ecclesiam tunc tantum gaudere infallibili auctoritate, quum rem *definit*.

154. **Protestantes — Ecclesiæ doctrina** (n. 297-298) — Protestantes, negato visibili Ecclesiae magisterio, Sp. Sancti adsistentiam negent oportet, nihilque aliud substituendum habent quam rationem individualem omnino *fallibilem* vel *internum* Sp. Sancti *afflatum* illusionibus obnoxium — Ecclesia vero quovis tempore hanc veritatem manifestâ eâque practicâ professione docuit et inculcavit, *explicite* vero enunciavit Concil. Vat. [2] definiendo: « R. Pontificem ea pollere infallibilitate, *qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit* ».

155. **Conclusio I.** « *Ecclesia in rebus fidei et morum definiendis infallibilis est* (n. 299-300) — Haec conclusio est *de fide catholica*.

Prob. — a) *ex Christi promissione* [3]: « *Euntes docete omnes gentes... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi* ». Porro heic Christus suam assistentiam promittit Apostolis *formaliter ut docentibus*, uti patet ex serie orationis — nec tantum ipsis Apostolis, sed Apostolorum quoque *successoribus*, uti colligitur ex *universalitate* mandati, docendi sc. *omnes gentes*, necnon ex *per-*

1. Cf. Conc. Vatic. Const. *Pastor aeternus* c. 4. — 2. Const. cit. c. 4. - cfr. prop. 1. pistor. — 3. Matth. XXVIII. 18. 19.

petuitate promissae assistentiae magisterio apostolico. Atqui haec assistentia importat infallibilitatem in docendo: ergo — *Prob. min.* Certum est, Christum talem assistentiam Apostolis promisisse, quae importet *felicem exitum operis*, ad quod promittitur. Iuxta enim Scripturarum usum, phrasis « *ecce ego vobiscum sum* » constanter eum sensum habet: sic e. g. Isai. [1] « *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te* »: et Ierem. [2]: « *Bellabunt adversum te et non praevalebunt, quia ego tecum sum* » — *Confirm.* ex familiari nostro sermone, quo felicem exitum operis Dei assistentiae tribuere solemus. Atqui docendi munus tunc felicem habet exitum, quum nonnisi veritas edocetur, infelicem vero, si quandoque, etsi vel semel, pro veritate error docetur cum maximo hominum detrimento: ergo Christi assistentia infallibilitatem in docendo importat. Idcirco Christus Sp. Sancti assistentiam *cum veritate* connectit [3]: « *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis* ». *Prob.* — b) ex Apostolo, qui ait [4]: *Ut scias quomodo oporteat te in Domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis* ». Ex quibus sic: metaphora, qua heic Apostolus utitur, duo repraesentat sc. Ecclesiam esse *sedem veritatis* eamque esse sedem *firmam* et *stabilem* veritatis, non quidem eo sensu, quod veritas *intrinsecam* stabilitatem et firmitatem ab Ecclesia accipiat: veritas enim iam *talis* est in se ipsa et per se ipsam; sed quatenus Ecclesia auctoritate sua certam et firmam penes omnes gignit veritatis *notitiam*, quam dicere possumus stabilitatem et firmitatem *extrinsecam*. Atqui hoc importat infallibilitatis praerogativam: ergo. Quo testimonio espressam esse veritatem, quam defendimus, intellexerunt Calvinus [5] et Lutherus, qui scribit [6]: « Ecclesia est columna et firmamentum veritatis, nam sic habet symbolum omnium nostrum: Credo Ecclesiam sanctam catholicam, ut « impossibile sit illam errare etiam in minimo articulo ».

156. **Extensio infallibilitatis Ecclesiae** (n. 301-302) — Nunc *quoad obiectum* infallibilitis. Iam a Conc. Vat. audivimus (n. 150) « Ecclesiam esse infallibilem in definienda doctrina *de fide* vel *moribus* ». Et revera — a) nisi Ecclesiae infallibilitas spectaret imprimis materiam *fidei* seu veritates revelatas ad ordinem speculativum pertinentes atque ideo mentis assensu h. e. *fide* tenendas, quo tandem ipsa tenderet? Item — b) nisi infallibilis esset in materia *morum* h. e. in materia earum rerum, quae *ad praxim* spectant tamquam vel faciendae vel omittendae in ordine ad salutem, etsi solius humanae rationis lumine sint manifestae, quomodo esset tutissimum medium

1. Is. XLIII. 2. — 2. Ierem. XV. 20. - Cf. Ex. III. 11. - Iudic. VI. 12. - Iud. VI. 18. — 3. Io. XIV. 16. cf. XV. 26. XVI. 13. — 4. 1. Tim. III. 14. — 5. Inst. l. 4. c. 1. — 6. De servo arb.

sanctificationis et salutis a Christo institutum? Ad rem igitur Augustinus [1]: « Quae sunt contra *fidem* vel *bonam vitam* Ecclesia nec facit « nec approbat, nec tacet ».

157. **Depositum fidei stricte et late sumptum** (n. 302) — At quoad *materiam fidei* duplex distinguitur fidei christianae depositum, *stricte* et *late sumptum*. Illud comprehendit eas veritates, quae explicite vel implicite in verbo Dei scripto vel tradito continentur: hoc vero eas complectitur veritates, quae etsi revelatae non sint, tam intime tamen cum revelatis connectuntur, ut sine illis depositum fidei stricte sumptum aut non possit, aut minus bene possit custodiri, explicari atque defendi. Porro communis TT. sententia tenet depositum fidei *late sumptum* infallibili Ecclesiae auctoritati subiici, quamvis *mediate* et *secundo gradu*. Nec de Ecclesiae mente dubitare licet: prostat enim imprimis prop. 22. Syllabi: « Obligatio, qua catholici « magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis « tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata « ab omnibus credenda proponuntur »: praeterea Conc. Vatic. [2]: « Si quis dixerit disciplinas humanas ea cum libertate tractandas « esse, ut earum assertiones, *etsi doctrinae revelatae adversentur*, « tamquam veræ retineri, *neque ab Ecclesia proscribi possint*, A. S. ».

158. **Facta dogmata - textus dogmatici** (n. 303-305 — Specialis quaestio institui solet, num Ecclesia in *factis* et *textibus dogmaticis* definiendis infallibilis sit. Facta *dogmatica* illa dicuntur quæ quamvis non sint *revelata*, tamen nec sunt mere *historica*, sed cum revelatione intime connectuntur: talia sunt e. g. Scripturam, qua modo utimur, esse genuinam — Conc. Tridentinum fuisse legitimum adeoque in universam Ecclesiam auctoritatem habere — Leonem XIII. esse legitimum successorem s. Petri. Hinc factum dogmaticum definitur: « factum cum dogmate connexum »: e. g. quod Leo XIII. fuerit a Cardinalibus electus, est *factum quoddam* — quod romanus episcopus sit successor s. Petri in supremo pontificatu, est *dogma fidei* — quod ergo Leo XIII. sit legitimus successor s. Petri, est *factum-dogmaticum*.

Item *textus dogmatici* hinc quidem non sunt libri *inspirati*, inde vero tamen non sunt libri *mere profani* et humanae originis, *nullam habentes relationem ad fidem*; sed sunt ea scripta, composita ab homine ideoque *humanae originis*, quae de rebus fidei agunt, ut ex. gr. tractatus theologicus.

159. **Doctrina tenenda** (n. 305-306) — Porro receptissimum est apud Doctores, in factibus et textibus dogmaticis definiendis Ecclesiam esse infallibilem. Duo tamen bene adverte: — a) quando Ecclesia ex. gr. textum aliquem damnat *in sensu ab auctore intento*, non intelligitur sensus *subiectivus*, quem sc. auctor in mente gerit, sed *obiectivus*

1. ep. 55. cf. ep. 34. ad ianuarium. — 2. Const. *Dei Filius* c. 4. can. 2.

quem nempe verba et contextus iuxta regulas legitimae interpretationis exprimunt: — b) textus dogmatici merito accenseri possunt factis dogmaticis, ut patet ex dictis: hinc promiscue argumenta afferemus ad utrumque probandum [1].

160. **Conclusio II.** « *Tum — 1° depositum fidei late sumptum generatim, tum — 2° speciatim facta et textus dogmatici sunt obiectum infallibilitatis Ecclesiæ* » (n. 307-312) — Prima pars est *de fide catholica.*

Prob. 1. pars — a) Ecclesiae competit ius et officium custodiendi depositum fidei *stricte sumptum.* Atqui ad id muneris praestandum requiritur auctoritas infallibilis tum definiendi ea, quae cum revelatis connectuntur, tum proscribendi errores, qui *indirecte* et *mediate* fidem impetunt: ergo — *Prob. min.* Cum homines, ope rationis et auctoritatis, innumeras naturales cognitiones acquirere possint, idcirco sponte sua inter has cognitiones et fidei veritates multiplex oriri potest habitus sicut consonantiæ, ita et dissonantiæ et pugnæ, quæ, nisi authentice manifestur et declaretur, sensim sine sensu vermis instar fidei fundamenta, vigorem ac fructum arrodet. Atqui Ecclesiae competit ius et officium tum fidei depositum tuendi, tum fidelium utilitati prospiciendi: ergo iure potiri debet authentice et infallibiliter iudicandi de eiusmodi dissonantiae habitu, ac propterea eius infallibilitas ultra revelationis depositum porrigitur — *Confirm.* — b) ex iugi Ecclesiae *praxi,* quæ panditur ex dogmaticis documentis in quibus, pari iudicio, simul cum propositionibus damnatis ut *hæreticis* aliæ quoque damnantur cum censura *hæresi* inferiori. Ex his — c) recte inferes Ecclesiæ auctoritatem sese extendere quoque ad philosophiam aliasque naturales disciplinas, non modo quando aliquid docent quod *directe* et *immediate* doctrinæ revelatæ opponitur, uti per se evidens est; verum etiam quando aliquid tradunt quod *indirectam* et *mediatam* oppositionem habet ad doctrinam revelatam: tunc est illud praecise, quod Ecclesia reprobat, aut nullâ affixâ censurâ, aut cum censura *haeresi* inferiori. Pone ex. gr. cum Rosminio, constitutivum personae esse supremum activum principium in natura seu *voluntatem:* nonne inde sequitur, in Deo pro unica voluntate unicam esse personam, duplicem vero in Christo pro duplici voluntate? utrumque autem haereticum est. Nonne ergo Ecclesia ad tuendum ipsum depositum fidei, sc. dogma de triplici persona in divinis, et una persona in Christo, proscribere poterit falsum illum conceptum personae? Hinc merito

1. Occasionem huic quaestioni dederunt Ianseniani. Cum enim Innocentius X. (Const. *Cum occasione* 3 mai. 1653) damnasset ut *haereticas* quinque propositiones ex *Augustino* Iansenii decerptas, Ianseniani utique concedebant tales propositiones *in se* damnabiles esse et tamquam ab Ecclesia infallibili iudicio damnatas esse tenendas; minime vero in tali sensu sc. haeretico contineri in Augustino Iansenii, idque docebant ab Ecclesia declarari non posse, cum sit *factum humanum.*

in Syllabo damnata est prop. 11: « Ecclesia non solum non debet in « philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius « philosophiæ tolerare errores eique relinquere ut ipsa se corrigat »: et prop. 10: « Cum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille ius « et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse pro- « baverit: at philosophia neque potest, neque debet ulli se submittere « auctoritati » [1].

Prob. 2. pars — Infallibilitas ecclesiastici magisterii ad ea quoque extenditur, quae cum revelatis intime connectuntur. Atqui talia sunt tum facta dogmatica stricte accepta, tum textus dogmatici: ergo — *Prob. min.* — Fac ex. gr. in dubium vocari num Conc. Trident. vere legitimum fuerit, num Pius IX., Leo XIII. sint legitimi successores s. Petri: nonne inde statim consequeretur, incertas esse definitiones fidei ab illis editas, incertum esse centrum catholicæ unitatis? — Item pone Ecclesiam nihil decernere posse de orthodoxia vel heterodoxia huius vel illius libri: quisque sumere poterit ac legere e. g. *Augustinum* Iansenii, atque ita sensim sine sensu iis propositionibus imbibi, quae in se et seorsim a libro spectatae, ipsis Iansenianis consentientibus, haereticae sunt. Nonne tunc ipsa fides in legentibus periclitatur? Cum ergo Ecclesia fidei depositum integrum et incorruptum in fidelibus conservare teneatur, et ad id præstandum infallibilitatis munere instruatur, infallibili quoque iudicio poterit de hisce factis deque his libris iudicare. Qua quidem potestate et iure Ecclesia constanter usa est et quidem a primis seculis. Sic e. g. Patres Nicaeni damnarunt hæreticum Arii librum *Thaliam* inscriptum [2] — Innocentius I. [3] proscripsit Pelagii *librum* — Conc. Ephesinum damnavit Nestorii *epistolam* ad s. Cyrillum alex. falsa doctrina refertam — Conc. Constantinopolitanum II. damnavit *tria capitula* seu opera Theodori mopsuesteni, scripta Theodoreti et epistolam Ibae, nestorianam doctrinam continentes. Quare ad rem Fénélon [4]: « Hac sublata infallibilitate tota ruit infallibilitas Ecclesiæ: *theoretice* semper admitteretur, *practice* semper eluderetur » [5].

161. **Scholion I.** — *De canonizatione SS. et beatificatione Servorum Dei* (n. 314-318) — Canonizatio est « *publicum Ecclesiae testimonium per ultimam et definitivam sententiam latum de vera sanctitate et gloria*

1. cfr. Conc. Vat. Const. *Dei Filius* c. 4. - Epist. Pii IX. ad Archiep. Monac. 11 dec. 1862. — 2. apud Socr. *H. E. l.* 1 *c.* 6. *et l.* 2. — 3. ep ad 5. episcopos. — 4. Diss. 1. de eccles. infall. circa textus dogm. c 2. apud Perrone. — 5. *Fides* qua creduntur huiusmodi sive veritates ad depositum fidei late sumptum spectantes, sive facta vel textus dogmatici, dicitur a TT. *mediate divina* vel *ecclesiastica*, cuius motivum est auctoritas Ecclesiae infallibiliter definientis; sicque distinguitur a fide *immediate divina*, cuius motivum est auctoritas Dei revelantis.

alicuius hominis defuncti ». Duplici ex capite differt a *beatificatione*, tum quia canonizatio fit *ultimà* et *definitivà* sententia, non vero beatificatio: hinc quando a beatificatione ad canonizationem proceditur, dubium proponitur « an *tuto* deveniri seu procedi possit ad canonizationem » — tum quia, uti advertit Benedictus XIV [1] « iudicium Papæ in « beatificatione non est *præcipiens*, sed *indulgens* ac *permittens*, de cuius « essentia non est ut sit *infallibile*: e contra canonizatio est iudicium « *præcipiens*, cum in bullis canonizationis Pontifices dicant: *Definimus*, « *decernimus*, *mandamus* ». Porro in iudicio canonizationis Ecclesiam esse infallibilem communis tenet Theologorum sententia, contra Viclephum, Ioannem Waldensem [2], lutheranos et calvinistas, et controvertitur tantum, utrum id tenendum sit tamquam *de fide* [3]. Et recte quidem: Ecclesia enim est infallibilis in doctrina morum. Atqui canonizatio SS. ad communem morum doctrinam evidenter pertinet: ergo — *Prob. min.* Ecclesia quum aliquem canonizat, duo præstat sc. et obligat fideles, ut eum habeant pro sancto, et hunc illis proponit tamquam colendum et imitandum in via salutis [4]. Atqui haec certe pertinent ad mores, ad vitam nempe christianam regendam et informandam ex illius sancti vivendi ratione: ergo. Quae ratio favet sententiae *piae* et *probabili* quae tenet in beatificatione quoque servorum Dei iudicium Ecclesiae esse infallibile.

162. **Scholion II.** — *De approbatione Ordinum religiosorum* (n. 319). Communis sententia tenet, uno excepto Melchiore Cano (l. c.), Ecclesiam in approbatione alicuius ordinis religiosi esse infallibilem. Et merito: in hac enim approbatione duplex intervenit iudicium sc. *absolutum*, quo decernitur talem ordinem esse bonum, evangelio conformem et perfectioni acquirendae utilem — *relativum*, quo decernitur in praesentibus temporum et rerum adiunctis *expedire* hunc ordinem admittere. Atqui in utroque ferendo iudicio Ecclesia infallibilis est: ergo — *Prob. min.* Ecclesia in communi doctrina morum errare nequit: atqui Ecclesia ordinem, quem approbat, proponit ut tale vitae institutum, quod ad christianam perfectionem aeternamque salutem homines ducere valeat, quod est docere in materia morum: ergo.

163. **Scholion III.** — *De sanctione generalis disciplinae et approbatione Breviarii* (n. 320-321) — Tenendum quoque est Ecclesiam infallibilem esse in generali disciplina sancienda. Ecclesiam enim esse infallibilem in generali disciplina sancienda significat — a *negative*

---

1. Bened. XIV. *De Canoniz. SS.* l. 1. c. 42. n. 12. - cfr. n. 10. et c. 43. n. 14. — 2. *De sacramental.* t. 3. c. 122. — 3. Cfr. Bened. XIV. et Melchior Canus *De locis* l. 5. c. 5. — 4. « Pontifex vero certificatur de statu illius sancti per inquisitionem vitæ eiusdem, et attestationem miraculorum (quae per merita vel invocationem illius patrata sunt) et *praecipue* per instinctum Sp. Sancti ». s. Th. *quodlib.* 9. *a.* 16.

ipsam nihil statuere posse, quod fidei aut bonis moribus adversetur vel in grave religionis detrimentum cedat — b) *positive* autem bonas, utiles, ac necessarias leges condere in ordine ad spirituale fidelium bonum atque ad vitae aeternae assecutionem. Atqui haec spectant ad materiam fidei et morum, in qua Ecclesia infallibilis est: ergo — Idcirco Pius VI. damnavit ut *ad minus erroneam* prop. 78. Pistor., quae statuit Ecclesiam sancire posse disciplinam *periculosam* et *noxiam* [1] — Ex eadem ratione patet Ecclesiam infallibilem esse in approbatione Breviarii, si approbatio eo sensu intelligatur, quod Ecclesia declaret nihil adesse in Breviario, quod adversetur fidei, bonis moribus, aut christianae pietati.

PARS II.

De Romano Pontifice.

164. **Ordo quaestionum** (n. 322) Quatuor capitibus agemus de apostolici primatus in b. Petro institutione — de eiusdem primatus perpetuitate in RR. PP. — de vi et ratione primatus — de R. P. infallibili magisterio: quo ordine procedit Conc. Vat. Const. *Pastor.*

CAPUT I.

De apostolici primatus institutione.

165. **Primatus honoris et iurisdictionis** (n. 323) — Duplex praesertim primatus distingui solet sc. — a) primatus *honoris* seu *ordinis,* qui praeeminentiâ continetur quoad actus honorificos, v. g. ut quis primum occupet locum in sedendo, in incedendo, etc...: quo sensu qui primatum tenet, dicitur *primus inter pares* — b) primatus *iurisdictionis,* qui continetur in potestate regendi subditos non solum directiva, sed etiam *praeceptiva,* quique propterea includit potestatem *legiferam, iudiciariam* et *coactivam* ».

166. **Errores** (n. 324) — Qui a catholica doctrina hac in re dissident, inter se quoque ipsos dissentiunt. Nam — a) protestantes [2] libenter concedunt b. Petro primatum *honoris* sive ob provectiorem aetatem, vel ob alacriorem fervorem: at primatum *iurisdictionis* omnino negant [3]. Contendunt alii — b) omnibus Apostolis collatam fuisse a Christo *aequalem* potestatem, absque ulla inter ipsos praelatione. Hinc Ioannes XXII [4] damnavit art. 2. Marsilii Patav.: « B. Petrus « non fuit plus caput Ecclesiae, quam quilibet aliorum Apostolorum,

1. Cf. Trid. sess. 7. cn. 13. — 2. Forbesius *Inst. hist. theol.* l. 15. c. 5. — 3. cf. prop. 25. in Luthero damn. — 4. Const. *Licet iuxta* a. 1327.

« nec habuit plus auctoritatis, quam alii Apostoli: Christus nullum « caput dimisit Ecclesiae, nec aliquem fecit vicarium suum ». Alii — c) ex iansenistis (a. 1645) aequalem auctoritatem in b. Petro et b. Paulo admisere: quam doctrinam « de duobus Ecclesiae coryphaeis, supremis ducibus, pastoribus ac praesidibus Petro et Paulo » tamquam *haereticam* damnavit Innocentius X. [1]. Postremo — d) alii, ut Edmundus Richerius, Febronius, Dupinius, De-Dominis, Riccius, Tamburinius ac universim Iansenistae primatum impugnarunt, dicentes eum *immediate* Ecclesiae fuisse collatum, a qua transfertur in R. P.: hinc damnata est in pistorien. prop. 2.: « Propositio, quae statuit R. P. « esse *caput ministeriale*, sic explicata quod R. P. non in persona « b. Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut « Petri successor, verus Christi vicarius ac totius Ecclesiae caput « pollet in universa Ecclesia, *haeretica* ».

167. **Ecclesiae doctrina** (n. 325) — At iuxta Conc. Vat. [2] Petrus ex Christi institutione primatum obtinet non modo *honoris*, verum etiam *iurisdictionis* in universam Ecclesiam: « Si quis dixerit b. Pe- « trum apostolum non esse a C. D. constitutum Apostolorum prin- « cipem et totius Ecclesiae militantis visibile caput: vel eundem ho- « noris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum « ab eodem D. N. I. C. directe et immediate accepisse, A. S. ».

168. **Conclusio I.** « *Spectata catholica unitate erat quodammodo necessaria institutio primatus iurisdictionis in uno pastore* » (n. 326) Christus enim procul dubio Ecclesiae unitati prospexit instituto medio aliquo externo. Atqui — a) cetera media praeter unum supremum pastorem vel inepta vel minus apta sunt ad hanc unitatem obtinendam: e contra — b) unus supremus pastor, cui et fideles et pastores sint subiecti, est aptissimum unitatis principium: ergo.

Prob. 1. pars min. — Praeter unum supremum pastorem, medium externum efficiendae ecclesiasticae unitatis non potest aliud excogitari quam vel Scriptura — vel auctoritas principum politicorum — vel fidelium coetus — vel episcoporum auctoritas. Atqui *scripturam* esse medium *ineptum* patet ex dictis n. 59 — Item *ineptum* medium est *auctoritas principum politicorum* quippe qui nullo ex iure ullam habent in ecclesiastica negotia potestatem — Item medium *ineptum* est *fidelium coetus*, cum ipse sit qui indigeat principio unitatis — Item *minus aptum* medium est *auctoritas episcoporum*, quippe qui ipsi indigent unitatis centro et principio, quum inter se dissentire possint: ergo.

Prob. 2. pars min. ex Angelico [3]: « Nulli dubium esse debet, quin « Ecclesiae regimen sit optime ordinatum, utpote per eum dispositum, « per quem *reges regnant et legum conditores iusta decernunt* [4]. Opti-

1. in Congr. Inq. 24 ian. 1647. — 2. Const. *Pastor aeternus* c. 1. — 3. c. g. l. 4. c. 76. — 4. Prov. VIII. 15.

« mum autem regimen multitudinis est, ut regatur per unum, quod « patet ex fine regiminis, qui est pax: pax enim et unitas subditorum « finis est regentis: unitatis autem congruentior causa est unus, quam « multi. Manifestum est igitur regimen Ecclesiae sic esse dispositum « ut unus toti Ecclesiae praesit. Si quis autem dicat, quod unum « caput et unus pastor est Christus, qui est unus unius Ecclesiae « sponsus, non sufficienter responderet. Manifestum est enim, quod « ecclesiastica sacramenta ipse Christus perficit ..... et tamen quia « corporaliter non cum omnibus fidelibus praesentialiter erat futurus, « elegit ministros, per quos praedicta fidelibus dispensaret. Eadem « igitur ratione, quia praesentiam corporalem erat Ecclesiae subtra- « cturus, oportuit ut alicui committeret, qui loco sui universalis « Ecclesiae gereret curam. Hinc est quod Petro dixit ante ascen- « sionem: *Pasce oves meas* ».

169. **Conclusio II.** « *Christus promisit b. Petro primatum iurisdictionis* » (n. 328-329) — Cum Christus apostolos interrogasset, quem dicerent homines esse filium hominis, et alii alia respondissent, Petrus tandem, Christo apostolos ipsos de sua opinione interrogante, hanc edidit fidei professionem [1]: « *Tu es Christus Filius Dei vivi* ». Et Christus statim ad Petrum: « *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis* ». Ex quibus sic: haec Christi promissio directe *solum Petrum* respicit. Atqui heic Christus promittit primatum iurisdictionis in Ecclesiam: ergo — *Prob. mai.* ceteris omissis, *ex scopo responsionis* Christi: verba enim Christi continent remunerationem pro insigni fidei confessione. Atqui unus Petrus confessus fuerat Christi divinitatem: ergo. Ad rem s. Leo M. [2]: « *Et ego,* inquit Christus, *dico tibi:* h. e. « sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita et ego tibi « notam facio excellentiam tuam, *quia tu es Petrus.* Idest cum ego « sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, « ego fundamentum, praeter quod nemo potest aliud ponere: tamen « tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi pote- « state sunt propria, sint tibi mecum participatione communia ».

Prob. min. breviter expensis tribus divinae promissionis membris.

a) « *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (v. 18). Ex quibus sic: ita se habet Petrus ad Ecclesiam, sicut fundamentum ad aedificium.

1. Matth. XVI. 16. — 2. In ann. ass. suae s. 3. al. 4.

Atqui fundamentum duplici habitu ad aedificium refertur, quatenus sc. est principium *unitatis* et *firmitatis* aedificii: ergo ex Petro fundamento Ecclesia suam habitura est *unitatem* ac *firmitatem* adeo ut portae inferi contra ipsam praevalere non possint — Atqui duplex hic habitus Petri ad Ecclesiam concipi nequit absque verissimo primatu iurisdictionis: ergo — *Prob. min. subs.* — α) Ecclesiæ unitas duplex est sc. *fidei* et *regiminis:* atqui haec utraque non aliter habetur, quam per subiectionem eidem supremæ auctoritati iurisdictionis et adhaesionem uni supremo infallibili magisterio: ergo. Item — β) ad *firmandam* h. e. tuendam Ecclesiam contra internos externosque hostes, requiritur veri nominis auctoritas, qua leges condantur bonae, apti constituantur magistratus et rebelles pœnis coërceri possint: ergo Petrus tali auctoritate pollere debet.

b) « *Et tibi dabo claves regni coelorum* ». Ex quibus sic: Petro promittuntur claves regni cœlorum h. e. Ecclesiae. Atqui *claves* sunt *symbolum potestatis:* ergo promittitur Petro potestas in universam Ecclesiam h. e. *primatus iurisdictionis* — *Prob. min.* Sane apud omnes gentes habere claves domus alicuius signum est iuris et potestatis supremae in domum [1]: hinc et suprema Christi potestas designatur eodem clavium symbolo [2]: « *Qui habet clavem David; qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit* »: ergo Petrus *habiturus claves regni cœlorum* est Petrus habiturus potestatem aliquam supremam in Ecclesia Christi h. e. *primatum iurisdictionis.* Ad rem s. Greg. M. [3]: « Ecce claves regni cœlestis accipit (Petrus), potestas « ei ligandi et solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ et principatus « committitur ».

c) « *Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis* ». Ex quibus sic: potestas *ligandi* et *solvendi* est potestas iurisdictionis (n. 115). Atqui Petro promittitur potestas ligandi et solvendi in Ecclesia, plane *universalis* quoad *obiectum* et *subiectum:* ergo Petro promittitur primatus universalis iurisdictionis — *Prob. min.* Potestas ligandi et solvendi Petro promissa est potestas *regni coelorum* h. e. in universalem Ecclesiam — est universalis quoad *obiectum*, cum Petrus possit *quodcumque* ligare et solvere — universalis quoad *subiectum*, cum sit potestas in *totum* regnum Christi — plane independens a quavis terrena potestate, quia Deus in coelo ligat et solvit, quod Petrus ligat et solvit in terris.

170. **Solvuntur difficultates** (n. 330-332). *Obiectio I. — Patres per petram intelligunt alii Christum — alii fidem Petri — alii professionem fidei — alii Petrum: ergo ex Christi verbis nihil certi statui potest.*

---

1. cfr. Is. XXII. 20. sqq. — 2. Apoc. III. 7. — 3. l. 5. ep. 20. al. l. 4. ep. 32.

Resp. — Petrae nomine — a) intelligi potest *Christus*, qui est *primarium* Ecclesiae fundamentum « *summus angularis lapis* » [1] et petra *meritoria* firmitatis petrae *secundariae*. At hisce non excluditur petra secundaria sc. Petrus. Item — b) *petra* dici quoque potest *fides* vel *fidei professio* in Christi divinitatem, quatenus per illam fidei professionem Petrus prae ceteris meruit, ut a Christo constitueretur fundamentum Ecclesiae. At heic quoque non excluditur Petri persona.

171. *Obiectio II.* — *Apostolus ait* [2]: « Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus ».

Resp. — *conc. antec.* et *neg. conseq.* « Mirifice errat a veritate *Calvinus* (sic obiiciens): hac enim hypothesi admissa, e medio abiret Pauli « ipsius oraculum: *Superaedificati super fundamentum Apostolorum* « *et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Unde « manifeste eruitur, praeter unicum et incomparabile fundamentum « Christum Iesum, alia insuper citra eius iniuriam in Ecclesia con- « sistere. Proinde Bibliorum harmonia postulat, ut loca utraque hoc « modo componamus, ut Christo Deo-Homini *absoluti* et *invisibilis* « fundamenti dignitate servata, *post* ipsum et *propter* ipsum, officium « fundamenti *visibilis* ac *relativi* b. Petro, eius in terris vicario tri- « buamus » [3].

172. *Obiectio III.* — *Apostoli quoque appellantur Ecclesiae fundamenta* [4] — *ipsis quoque data est potestas ligandi et solvendi* [5]. *Atqui exinde non infertur, primatum iurisdictionis singulis Apostolis competere: ergo.*

Resp. — *nego parit.* Sane — a) non est paritas inter Petrum et Apostolos in praerogativa *fundamenti:* nam Petri quidem *persona* dicitur *fundamentum;* at in loco obiecto mentio fit *fundamenti Apostolorum*, quod certe non est idem ac *fundamentum quod sunt Apostoli* — Hi praeterea in eadem ratione fundamenti ponuntur, qua *prophetae.* Atqui *prophetae* fundamentum sunt Ecclesiae ratione *doctrinae,* quam annunciarunt, minime vero ratione alicuius *potestatis* in Ecclesiam: ergo. Exinde sequitur — b) verba dicta ad omnes Apostolos « *Quæcumque alligaveritis*, etc... » intelligenda esse in minus intensa significatione, quam verba ad *unum* Petrum « *Quodcumque ligaveris*, etc... ». Accedit — c) verba Christi ad Petrum rationem habere remunerationis pro insigni eius fidei professione, quam rationem amitterent, si nihil *proprii* pro Petro promitteretur.

173. **Conclusio III.** « *Promissum primatum Christus reapse contulit Petro* » (n. 333) — Legitur apud Ioannem [6]: « *Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: pasce agnos*

1. Eph. II. 20. — 2. 1. Cor. III. 11. — 3. Card. Parocchi *in Conc. Vat. Const.* 2. th. 4. — 4. Eph. II. 20. — 5. Matth. XVIII. 18. — 6. Io. XXI. 15.

meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti; tu scis, quia amo te. Dixit ei: pasce oves meas ». Ex quibus sic: munus pascendi *soli Petro* committitur: atqui hoc in munere primatus iurisdictionis continetur: ergo. *Prob. min.* — a) ex usu *biblico* necnon profano *pascere* idem est ac *praesse*, *regere*, *gubernare:* sic. e. gr. [1]: « *Reges* (in orig. *pasces*) *eos in virga ferrea* » — « *Ex te enim exiet dux, qui regat* (in orig. *pascat*) *populum meum Israel* ». Christus ipse, qui profecto summa potestate legifera, iudiciaria et coactiva in omnes fideles gaudet, saepe *pastoris* nomine designatur eiusque auctoritas dicitur *pascendi* potestas. Ergo per *pascendi munus* Petro collatum intelligitur potestas *regendi*. Haec vero potestas — b) est plane *universalis:* sive enim per *agnos* intelligas *fideles*, per *oves* vero *pastores*, sive promiscue utrosque intelligas, semper tamen significatur universus Christi grex, idest universa Christi Ecclesia. Quare ad rem s. Bernardus [2]: « *Pasce oves meas.* Quas? illius vel illius populi, ci-« vitatis, regionis aut certi regni. *Oves meas,* inquit. Cui non planum « non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi « distinguitur nihil ». Denique — c) Christus promiserat Petro primatum iurisdictionis. Atqui nullus alius locus assignari potest, qui aptius intelligi possit de primatus collatione, quam iste: ergo.

174. **Conclusio IV.** « *Petrus supra ipsos Apostolos, non excepto Paulo, primatum obtinuit* » (n. 334-336) — Revera — a) Petrus constituitur *totius* Ecclesiae *fundamentum* — b) Petro promittuntur *claves regni coelorum* h. e. potestas in universam Ecclesiam — c) potestas *ligandi* et *solvendi* plane *universalis* quoad obiectum et quoad subiectum — d) Petro committuntur pascendi agni et oves h. e. universum ovile Christi. Atqui ipsi Apostoli maxime erant de Ecclesia utpote nobiliores partes — ipsi quoque oves Christi: ergo.

175. **Solvuntur difficultates** (n. 337-339). *Obiectio I. — Nullum fuit charisma in Petro, quo caruerint Apostoli: ergo.*

Resp. — neg. antec. Charismata quidem apostolatus haec erant: — a) munus et potestas evangelium ubique terrarum promulgandi: — b) potestas *universalis* iurisdictionis quoad Ecclesias fundandas, episcopos instituendos ac praeficiendos: — c) infallibilitas personalis magisterii: — d) missio *immediata* a Deo: — e) potestas ordinis *episcopalis;* quibus omnibus praerogativis singuli Apostoli praediti fuere. At adverte *duplex* discrimen inter Petrum et alios Apostolos — *Primum* est

1. Is. 2. - Matth. II. 6. - Cf. Is. XLIV. 28. - 2. Reg. V. 2.: VII. 7. - Ezech. XXXVII. 24. - Ps. XXI. 1. — 2. *De Consid.* l. 2. n. 15. ad Eug. III.

quod potestas Petri fuerit *ordinaria* h. e. ad successores *tota* transmittenda — e contra potestas reliquorum Apostolorum erat *extraordinaria* h. e. non erat transmittenda *in singulos successores,* sed cum Apostolis extinguenda. Quod utrumque patet ex facto ipso subsequenti. Tamen nodus difficultatis nondum solutus est: ex his enim intelligitur quidem discrimen inter successores Apostolorum et successores Petri; at nullum adhuc *quoad substantiam* statuitur discrimen inter Petrum et reliquos Apostolos — *Alterum* igitur discrimen est quod potestas Petri fuerit plane *universalis* ideoque in ipsos Apostolos, ac plane *independens*, dum Apostoli nec in Petrum, nec in se ipsos ad invicem ullam potestatem haberent. Talem reapse fuisse Petri potestatem indubie colligitur ex dignitate *fundamenti — summi clavigeri* regni coelorum — *supremi pastoris agnorum et ovium.*

176. *Obiectio II. — S. Paulus recensens* [1] *ministros divinitus institutos nullam facit mentionem primatis alicuius: ergo.*

Resp. — neg. suppos. Nam probabilius est apud interpretes Apostolum voluisse hic recensere charismata varia, quae Deus in fidelium utilitatem Ecclesiae suae concessit, quaeque dicuntur *gratiae gratis datae;* hinc statim post recensentur *gratiae curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.*

177. *Obiectio III. — S. Paulus reprehendit Petrum dicens:* « se neque ad horam cessisse subiectione » *et* « Cephæ in faciem restitisse » [2]: *ergo.*

Resp. — neg. conseq. Apostolus enim — a) reprehendit Petrum non ex auctoritate, sed ex charitate. Praeterea — b) haec reprehensio potius Petri primatum confirmat. Petrus enim ex quadam prudentiae oeconomia quandoque sese subtrahebat a gentibus nec cum illis manducabat, et ad Iudaeos conversos transibat et iudaice vivebat. Hinc Paulus timens, ne haec agendi ratio, *propter personae dignitatem* [3], scandalum crearet, illum reprehendit.

178. **Conclusio V.** « *Primatus fuit immediate ipsi Petro promissus et collatus* » (n. 340-341). Nam — a) si primatus immediate collatus esset Ecclesiae, sequeretur Ecclesiam esse fundamentum suiipsius — portas inferi non esse praevalituras contra Ecclesiam, quia haec supra seipsam fundata est — Ecclesiam esse pascendam a semetipsa. Atqui haec omnia contradictionem implicant: ergo. Praeterea — b) in sacris textibus sat probe distinguitur inter Petrum seu petram et Ecclesiam — inter pastorem et agnos ovesque — inter habentem claves et regnum, cuius claves habentur. Ad rem ergo Optatus Milev. [4]: « Bono unitatis b. Petrus et praeferri omnibus Apostolis meruit, et « claves regni cœlorum *communicandas* ceteris *solus* accepit ». Quod

1. 1. Cor. XII. 28. - Eph. IV. 11. — 2. Gal. II. 5. 11. — 3. s. Chrys. in h. l. — 4. l. 7. cont. Parm. c. 3.

si — c) nonnulli Patres quandoque affirmant, Ecclesiam esse *subiectum* potestatis, intelligunt subiectum *utilitatis*, non *inhaesionis*.

179. **Corollarium** (n. 342) — Ex disputatis intelligitur *formam regiminis* Ecclesiae esse *monarchiam*, quae cum Bellarmino dici potest temperari *aristocratiâ* et *democratiâ:* aristocratiâ quidem, quia praeter unum supremum pastorem alii existunt in Ecclesia ex iure divino pastores subordinati i. e. episcopi, qui non sunt vicarii Pontificis, sed proprias Ecclesias regunt ut terram propriam: democratiâ vero, quia quilibet de populo ad ecclesiasticas dignitates evehi potest.

CAPUT II.

De perpetuitate primatus in R. Pontifice.

180. **Natura quaestionis** (n. 343) — Triplicem quaestionem proponimus sc. — a) utrum Petri primatus ex Iure divino *perpetuus esse debeat* — b) utrum perpetuus sit *in Pontifice Romano* — c) *quo iure*, divino an humano, dignitas primatus cum Romana Sede connectatur.

181. **Ecclesiæ doctrina** (n. 344-345) — *Primæ* et *alteri* quæstioni respondet Conc. Vat. [1]: « Si quis dixerit non esse ex ipsius Christi « Domini institutione seu iure divino, ut b. Petrus in primatu super « universam Ecclesiam habeat *perpetuos successores*, aut R. Pontificem « non esse b. Petri in eodem primatu successorem A. S. » [2].

182. **Declaratur tertia quaestio** (n. 346) — Imprimis — a) duplex quaestio secernenda est, *facti* et *iuris*. Quaestio *facti* est quemnam Ecclesia semper censuerit Petri successorem? Respondetur, esse *episcopum romanum;* quae iugis Ecclesiae persuasio fundatur in facto historico, quod Petrus suam sedem pontificalem Romae fixerit eamque tenuerit usque ad mortem [3]. Quaestio *iuris* est utrum *divino* an *humano* iure R. Pontifex succedat Petro? At — b) haec quaestio duplex esse potest, *absoluta* et *comparativa*. Quaestio *absoluta* est: cum constet, de facto R. Pontificem esse successorem Petri, *quo iure* ipse primatum tenet? Respondetur, R. Pontificem illo Iure tenere

1. Const. *Pastor aeternus* c. 2. cn. un. - cfr. Conc. Flor. Decr. *Unionis*. — 2. cn. cit.

3. Hic nosse oportet errasse: — a) Protestantes, qui R. Pontifici omnem denegant primatum, imo factum historicum inficiantur de adventu Petri Romam deque eius romano episcopatu ad mortem usque gesto: — b) Graecos schismaticos, qui omnes episcopos ex iure divino esse aequales contendunt, et R. Pontificis praeeminentiam adscribendam esse vel Conciliorum aut Imperatorum sanctionibus, vel speciali Urbis Romae conditioni ac splendori: — c) eos omnes, qui volunt, Christum claves regni cœlorum *immediate* Ecclesiae contulisse, a qua eas accipit R. Pontifex.

primatum, quo primatus perpetuus est seu ex *iure divino* — Quaestio *comparativa* est: *quo iure* potius R. Episcopus quam alius episcopus Petro succedit in primatu, seu quo iure, *divino* an *humano* primatus connectitur cum Sede Romana? Hic — c) distinguendum est inter *legem* et *conditionem* successionis. *Lex* successionis est ipsa lex perennitatis primatus, et haec lex est *divina* — *conditio* successionis est titulus, quo fit ut Pontifex *romanus* potiusquam *antiochenus* aut alius Petro succedat. Haec autem conditio est romanus episcopatus pendens a facto primitivo Petri, quo romanam sedem evexit ad dignitatem primatus. Hic quæritur *cuius iuris* sit hæc conditio, *divini* an *humani?* Porro — d) pro certo tenendum est, primatum Petri *iure immutabili* Romanae Sedi esse adnexum, uti eruitur ex prop. 35 Syllabi contra Febronium ac paucos theologos Scholae damnata: « Nihil vetat, « generalis alicuius concilii sententiâ aut universorum populorum « facto summum pontificatum a romano episcopo atque Urbe ad alium « episcopum aliamque civitatem transferri ». At — e) non conveniunt Doctores in natura huius iuris determinanda. Nonnulli huiusmodi ius appellant *apostolicum,* ius nempe quod ad Petrum spectabat tamquam *ad primum* Pontificem, quodque totum in primo exercitio exhaustum est — Alii iique nobilissimi Scholastici respondent *iure divino* R. Pontificem prae ceteris succedere, quatenus *voluntate Dei* factum est ut *episcopatus romanus* esset *conditio* successionis in primatu. Sint ergo sequentes conclusiones.

183. **Conclusio I.** « *Ex divina institutione primatus perpetuus est* » (n. 348-350). — Conclusio est *de fide catholica. Prob.* — a) *ex metaphora fundamenti.* Ita enim se habet Petrus ad Ecclesiam, sicut fundamentum ad aedificium. Atqui fundamenti et aedificii sors et vices nullo modo dissociari queunt: ergo eo usque vigebit Ecclesia, quo usque in huius petræ ædificatione manebit. Atqui vita Ecclesiæ ex Christi promissis inexplebilis est: ergo eaedem divinae promissiones ad illam quoque petram spectabunt, cuius fortitudinis causâ Ecclesia subsistit. Ad rem s. Leo M. [1]: « Manet dispositio veritatis: « et b. Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta « Ecclesiae gubernacula non reliquit ». Item — b) *ex munere pastoris.* Christus enim Petrum posuit pastorem sui gregis. Atqui officium pastoris *ordinarium* est sc. tamdiu duraturum, quamdiu durat ovile seu usque ad mundi consummationem: ergo. Quae argumenta demonstrant perpetuitatem primatus non derivari ex eo quod ipse institutus fuerit *in Ecclesiae bonum*, sed ex intimo eius nexu cum Ecclesiae constitutione.

184. **Conclusio II.** « *Petrus* — 1° *romanum episcopatum a se*

1. S. 2. in ann. ass. suae.

conditum ad mortem usque tenuit — 2° *idcirco R. Pontifex est legitimus Petri successor* — 3° *et quidem ex iure divino* » (n. 351-356) — Secunda et tertia pars est *de fide catholica.*

Prob. 1. pars. [1] — Omnibus christianis ad saeculum usque 14, idest ad tempora usque, quibus haec veritas vel ex toto, vel ex parte in dubium vocari cœpta est, firmiter persuasum fuisse, Petrum Romæ commorantem glorioso martyrio vitam coronasse, dum romanus esset episcopus, ne adversarii quidem, quos hic impetimus, negant. Per summam autem iniuriam asserunt, Ecclesiam universam toto hoc seculorum decursu turpiter errasse. Atqui incredibile plane est, in tam longo temporis intervallo nunquam surrexisse aliquem, qui errorem istum, si error esset, detegeret: præsertim cum id, quod totus mundus tamdiu credidit, non sit res aliqua gesta in angulo, et in momento, et sine testibus, ut facile fingi et difficulter refelli potuerit. Ergo nisi protestantes bonum sensum abiecerint, fateantur oportet, tam perennem, tam universalem Ecclesiae persuasionem historica veritate fuisse innixam — *Confirm.* ex eo quod hic sermo est de veritate summi momenti, de veritate fundamentali, a qua tota pendet Ecclesiae constitutio — de veritate quam per 19 secula tenuit illa Ecclesia, cui promissa est Sp. Sancti assistentia eam ducentis in omnem veritatem — de veritate, quae cum Ecclesiae dogmatibus et disciplina ita arctissimo nexu iungitur tum *obiective* et *in se,* tum in *subiectiva* Ecclesiae persuasione, ut, si ille consensus in Romae Sedis primatum ignorantiæ, fraudi aut deceptioni inniteretur, Christi Ecclesia ac fides statim post Petrum defecisse dicenda esset.

Prob. 2. pars — Ille est Petri successor in primatu, qui conditionibus successionis satisfacit. Atqui hic est unicus romanus episcopus: ergo — *Prob. minor.* Determinatio successoris his tribus modis fieri potest sc. vel — a) per Dei revelationem quâ singulis vicibus successor Petri declaretur: vel — b) per Ecclesiae consensum, quo singulis vicibus Petri successor designetur: vel — c) facto aliquo primitivo, quo ab initio statutum fuerit, quinam in posterum successor esse deberet. Atqui *primus* et *alter* modus nunquam in usu fuere: su-

1. Facti veritas de vita apostolica B. Petri haec habet apud Catholicos. Post Christi in coelum ascensum b. Apostolorum Princeps multis Iudaeae, Galilaeae ac Samariae oppidis peragratis, a. 36 post C. n. Antiochiam in Syriam se contulit, eamque Ecclesiam septennio episcopus rexit. Evodio sibi in antiocheno episcopatu suffecto a. c. 42, sub Claudio Imp. Romam venit, in qua urbe, Religione Christiana statuta, episcopalem sibi sedem perpetuam constituit. Nonnullos post annos Româ discessit et Apostolorum concilio Hierosolymis praefuit. Rediit postea Romam Nerone imperante, a quo scelestissimo tyranno teterrimam persecutionem contra Christianos exercente a. 67 una cum Apostolo gentium martyrio coronatus est, dum romanum gereret episcopatum.

perest ergo *tertius*. Atqui factum originale aliud excogitari nequit, quam romanus Petri episcopatus, quem ad dignitatem primatialem erexit atque ad mortem usque gessit. Ergo conditio successionis in primatu Petri est romanus episcopatus.

Prob. 3. pars. — Tum primatus tum eius perpetuitas est *ex iure divino :* ergo qui sunt legitimi primatus haeredes, *iure divino* illum et tenent et exercent. Atqui, uti modo probavimus, legitimi in primatu successores sunt RR. Pontifices: ergo ipsi primatum tenent et exercent *iure divino*. Quare Gelasius Pp. in Conc. Rom. (a. 496.): « Sancta, romana, catholica et apostolica Ecclesia nullis synodicis « constitutis ceteris Ecclesiis praelata est, sed *evangelica voce Domini* « *et Salvatoris nostri* primatum obtinuit »: et Conc. Vat. (c. 2.) post statutam perpetuitatem primatus ait: « Quicumque in hac cathedra « (romana) Petro succedit, is *secundum ipsius Christi institutionem* « primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet ».

185. **Solvuntur difficultates** (n. 357-358). *Obiectio I. — Petrus fuit quoque episcopus antiochenus : numquid sequitur inde episcopum antiochenum Petro in primatu succedere?*

Resp. — Petrus fuit quidem antiochenae sedis fundator et rector aliquot annos: sed cum inde Romam transierit, Romam pariter primatum transtulit, cum a sua persona esset indivisus. Romae autem supremum diem clausit, ideoque dignitas primatus romanae sedi adnexa remansit. Quod si Petrus non romanus, sed antiochenus episcopus mortuus esset, iura primatus cathedrae antiochenae adnexa mansissent. Quod si Petrus nullam sedem particularem sibi unquam elegisset, sicut fecit quinque primis annis, nec romanus, nec antiochenus episcopus successisset Petro in primatu, sed ille quem Ecclesia sibi elegisset.

186. *Obiectio II. — Pontificis electio est factum humanum : ergo Pontifex ex iure humano primatum tenet.*

Resp. — neg. conseq. Ad rem Bellarminus [1]: « Observandum est « in Pontifice esse tria: — a) *pontificatum ipsum* qui est forma « quaedam: — b) *personam* quae est subiectum pontificatus: — c) *co-* « *niunctionem* unius cum altero. *Pontificatus* a solo Christo est — *per-* « *sona* autem est quidem a suis causis naturalibus *absolute*, sed prout « *electa* et designata ad pontificatum, est ab electoribus: illorum « enim est designare personam — ipsa vero *coniunctio* est a Christo, « mediante (seu praesupposito) actu humano electorum. Itaque ele- « ctores vere dicuntur creare Pontificem et esse causa, ut talis sit « Pontifex: non tamen dant ipsi eam potestatem, neque sunt causa « eius potestatis ».

1. *De R. P.* l. 2. c. 17.

187. **Conclusio III.** « *Cum* — 1° *sit veritas immutabilis R. Pontificem esse Petri successorem in primatu* — 2° *idcirco nexus primatus cum sede romana saltem ex iure divino consequente repetendus est: imo* — 3° *probabiliter ex iure divino antecedenti* » (n. 359-362).

Prob. 1. pars. — Conc. Flor. (decr. *Unionis*) ait: « Definimus « sanctam, apostolicam sedem et romanum pontificem in universum « orbem tenere primatum et ipsum Pontificem Romanum successorem « esse b. Petri Principis Apostolorum »: idem statuit Conc. Vat. (c. 2. can. un.): « Si quis dixerit, non esse ex ipsius C. D. institu- « tione seu ex iure divino, ut b. Petrus in primatu super universam « Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut R. Pontificem non « esse b. Petri in eodem primatu successorem A. S. ». Ex quibus sic: subiectum, de quo haec plura definiuntur, est directe ipse Romanus Pontifex. Atqui hac definitione directe et immediate enunciatur, quinam ille sit qui Petro in primatu succedit, quaenam sit illa sedes, in qua primatus viget: ergo est veritas definita ideoque *immutabilis*, R. Pontificem esse b. Petri in primatu successorem.

Prob. 2. pars — *Praenotamen.* Duplici modo concipi potest determinata fuisse *conditio successionis* per romanum episcopatum sc. vel quod Petrus ex Christi voluntate suam sedem perpetuam Romae constituerit: in qua hypothesi romanus episcopus ex *iure divino antecedente* factum de Petri adventu Romam, esset prae ceteris Petri successor — vel quod Christus Petri arbitrio permiserit, ut quam vellet successionis formam, ipse statueret, accedente postea *speciali* Christi ratihabitione: in qua hypothesi romanus episcopus Petro succederet ex *iure divino consequente* factum Petri.

Quo posito sic argumentamur: cum veritas sit immutabilis, R. Pontificem esse Petri successorem in primatu, idcirco forma successionis per Cathedram Romanam immutabilis est. Atqui huiusmodi immutabilitas aliunde peti non potest, quam *ex speciali* Christi ratihabitione: ergo — *Prob. min.* Si deesset haec *specialis* Christi ratihabitio, ratio immutabilitatis non esset invenienda, quam in nuda voluntate Petri. Atqui voluntas Petri insufficiens est: quamvis enim voluntas Petri obligare potuerit Ecclesiam ipso vivente, tamen nequit impedire, quominus aliter a successore sanciatur, cum successor succedat in omnibus iuribus Petri, quae ad bonum Ecclesiae regimen spectant: ergo supra voluntatem Petri ascendendum est sc. ad voluntatem Christi saltem *consequentem*.

Prob. 3. pars — Et — a) *a posteriori* sic ad rem Bellarminus [1]: « Deus ipse iussit Romae figi apostolicam Petri sedem: quae autem « iubet Deus, mutari ab homine non possunt. Id autem Deum iussisse « testatur b. Marcellus Pp. et M. (ep. ad Antioch.), ubi dicit, Petrum

1. *De R. P.* l. 4. c. 4.

« *iubente Domino* sedem suam Antiochiâ Romam transtulisse. Testatur « etiam b. Ambrosius in oratione de tradendis Basilicis, ubi refert « Christum voluisse, ut Petrus Romae moreretur; et idcirco ei fugienti « dixisse: *venio Romam iterum crucifigi*. Quod est manifestum signum « Deum voluisse per mortem Petri Romae firmari eius sedem ». Praeterea de hoc Christi praecepto loquuntur vel illud supponunt s. Leo [1] — Gelasius Pp. [2] — Innocentius III. [3] — s. Anacletus [4] s. Athanasius [5] — s. Greg. M. [6] — Conc. Nicaen. II. et Later. IV. Si autem — b. res *a priori* spectetur, patet hoc Christi iussum divinae providentiæ consentaneum esse: congruum enim erat, ut ipse Christus auctor primatus, cui valde cordi erat Ecclesiae unitas per primatum a se institutum obtinenda, formam successionis immediate determinaret. Hinc s. Optatus Milev. aperte dicit [7]: « Negare non potes « scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse « collatam » [8].

CAPUT III.

De vi et ratione primatus Romani Pontificis.

188. **Ecclesiae doctrina** (n. 363) — Conc. Vatic. [9] circa vim ac rationem primatus docet: « Si quis dixerit R. Pontificem habere « tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam « et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non « solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad « disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae perti- « nent — aut eum habere tantum potiores partes, non autem totam « plenitudinem huius supremae potestatis — aut hanc eius potestatem « non esse ordinariam et immediatam sive in omnes et singulas

1. S. l. *de nat. SS. App. Petri et Pauli.* — 2. ep. 14. — 3. ep. 209. — 4. ep. 3. — 5. Apol. pro fuga sua — 6. in ps. 4. poenit. — 7. l. 1. c. 2. — 8. Distinguendum tamen est inter *sedem* — *residentiam* — *titulum*. Sedes est locus, ubi ecclesia aliqua fundata est: residentia est commoratio in eo loco ad munera pastoralia peragenda; titulus est nomen ecclesiæ, unde Sedes denominatur. Porro *residentia* Pontificis iustis de causis alio transferri potest, ut ex. gr. quando Pontifices Avenione morati sunt: *sedes* vero Petri ac sedis *titulus* nulla humana auctoritate immutari possunt, aut alio transferri. Quare Summus Pontifex, ubicumque resideat, semper erit episcopus romanus — Observandum quoque est, episcopatum romanum et episcopatum œcumenicum seu universae Ecclesiae, esse quidem duos episcopatus *virtute*, minime vero *actu* et *re* distinctos: romanus enim episcopatus evectus est ad dignitatem episcopatus universalis, adeo ut dignitas hæc non sit qualitas veluti accidentalis adhærens romano episcopatui, sed sit hic ipse episcopatus urbis Romæ — 9. Const. *Pastor aeternus* c. 3. cn. 1.

« Ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles A. S. ». Potestas ergo primatus est *episcopalis, ordinaria* et *immediata.*

189. **Potestas episcopalis - immediata - ordinaria** (n. 364-366) — a) Potestas *episcopalis*, quae R. Pontifici asseritur, non est potestas *ordinis* sed *iurisdictionis* eaque vindicatur contra Febronium, Tamburinium, M. A. De-Dominis aliosque, qui distinguentes potestatem *episcopalem* quam ad solam Urbem coarctant, a potestate *primatiali* quam ad totum orbem extendunt, hanc dicunt nihil aliud esse quam officium *inspectionis* vel *directionis* in universam Ecclesiam. Haec episcopalis potestas — b) dicitur a Concilio *immediata* in omnes et singulos pastores et fideles. Quod statuitur contra Febronium ac nonnullos Theologos Gallos, qui docuerunt, totam potestatem primatus in eo consistere, ut Pontifex moveat episcopos ad proprium munus rite exercendum, ita ut nonnisi *mediantibus episcopis* suam iurisdictionem in fideles exerceat. Denique — c) potestas haec dicitur *ordinaria* non tantum quatenus opponitur potestati *delegatae* seu quatenus adnexa est officio primatis; verum etiam quatenus opponitur *extraordinariæ* atque ita est potestas, quae non modo in extraordinariis rerum adiunctis, verum etiam semper a Pontifice exerceri potest. Quo sensu eam proprie definivit Conc. Vat. proscribens eorum errorem qui docent, R. Pontificem non posse suam iurisdictionem in pastores et fideles exercere, nisi in casibus *negligentiæ* aut *malitiæ episcoporum.*

190. **Papa supra Concilium** (n. 367) — Eodem in capite Conc. Vat. docet: « Erga quam (R. P. potestatem) cuiuscumque ritus et « dignitatis pastores atque fideles, tam seorsim singuli quam *simul* « *omnes,* officio hierarchicæ subordinationis veraeque obedientiæ ob- « stringuntur, non solum in rebus quae ad fidem et ad mores, sed « etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum « orbem diffusae pertinent ». Quibus verbis Concilium dirempsit quaestionem, quondam diu agitatam, utrum Papa sit superior concilio [1]: ubi concilii nomine intelligi debet concilium *acephalum* seu episcoporum corpus absque capite. Sermo est autem de Pontifice *certo* et *legitime electo:* si enim Pontifex esset *dubius* vel *illegitime electus,* omnes dicunt teneri ipsum Concilio obtemperare, id exigente Ecclesiae bono.

191. **Conclusio I.** « *Potestas quae vi primatus competit R. Pontifici, est vera potestas episcopalis, ordinaria et immediata in omnes et singulos tum pastores, tum fideles* » (n. 368-370) — Conclusio est *de fide catholica* — *Prob.* — a) quoad potestatem *episcopalem* — Petrus ac propterea R. Pontifex est *petra* seu fundamentum mystici Ecclesiae

1. Papam esse Concilio inferiorem docuere Febroniani et Richeriani, ac postea Clerus gallicanus in famosa declaratione an. 1682 art. 2.

aedificii, principium unitatis ac firmitatis Ecclesiae — est supremus *claviger* regni cœlorum, habens potestatem *ligandi* et *solvendi* universalem tum *extensive* tum *intensive* — est *pastor* ovilis Christi. Atqui haec omnia, uti demonstravimus, veram iurisdictionem in Ecclesiam universam important, potestatem sc. legiferam, iudiciariam et coactivam: ergo R. Pontifex hac potestate gaudet in omnes fideles. Atqui potestas *regendi* fideles est potestas *episcopalis:* hinc legimus [1] « *episcopos positos esse a Sp. Sancto regere Ecclesiam Dei* »: ergo — b) Quoad potestatem *ordinariam* — Munus petrae quoad aedificium et pastoris quoad gregem minime *extraordinariam* est, sed plane *ordinarium,* iugiter exercendum quamdiu aedificium consistere et grex adunari debet. Atqui Christus Petro eiusque successoribus Ecclesiam sustendandam et gregem suum custodiendum commisit, nulla ratione habita extraordinariae negligentiae episcopi alicuius: ergo — c) Quoad potestatem *immediatam* — Cum potestas Pontificis in Ecclesiam universam sit *episcopalis* et *ordinaria,* idcirco talis erit supra quotquot ad Ecclesiam pertinent, qualis est potestas episcopi supra omnes suae dioeceseos fideles. Atqui, fatentibus adversariis, episcoporum potestas est *immediata:* ergo — *Confirm.* Christus constituit Petrum pastorem tum *agnorum* tum *ovium,* idest universi dominici gregis, nulla facta distinctione *quoad modum* exercendi muneris pastoris: ergo potestas Petri *immediate* attingit pastores et fideles.

192. **Solvuntur difficultates** (n. 372-374). *Obiectio I.* — *S. Gregorius M. recusavit titulum* episcopi universalis: *ergo.*

Resp. — *dist. antec.:* quoad rem significatam *neg.* quoad nomen ipsum *transeat.* Certum est s. Gregorium sibi, tamquam Petri successori, primatum vindicasse: ait enim [2]: « Nescio quis huic Sedi episcopus subiectus non sit ». Duplici autem de causa illum titulum respuit: — a) *amore humilitatis* atque ad superbiam compescendam Ioannis Ieiunatoris episcopi Cp. qui sibi titulum arrogaverat *episcopi oecumenici* — b) ad evitandam sensus ambiguitatem, ne sc. excludi videretur aliorum episcoporum potestas.

193. *Obiectio II.* — *S. Cyprianus scribit* [3]: « Episcopatus unus est cuius a singulis in solidum pars tenetur »: *ergo omnes episcopi pares sunt.*

Resp. — *dist. antec.:* episcopatus *unus* est ratione *corporis* quod omnes episcopi simul efformant, *conc.:* ratione potestatis *episcopalis* subdist.: quoad *naturam* potestatis, *conc.* quoad *intensionem* et *extensionem* potestatis, *nego.*

194. *Obiectio III.* — *Ordinaria Pontificis iurisdictio in universam Ecclesiam adversatur ordinariae episcoporum iurisdictioni: ergo.*

---

1. Act. XX. — 2. Ep. 59. — 3. *De unit. Eccl.* n. 5.

Resp. — neg. antec. Ad rem Angelicus [1]: « Inconveniens est quod « duo aequaliter super eundem gregem constituantur. Sed quod duo « quorum unus est principalior alio, super eandem plebem consti- « tuantur, non est inconveniens. Et secundum hoc super eandem « plebem immediate sunt et parochus, et episcopus, et Papa ».

195. **Conclusio II.** « *Pontifex superior est Concilio* ». Hæc conclusio est *de fide catholica* (n. 375). *Prob.* — a) *ex iam disputatis.* Petrus enim supra ipsos Apostolos primatum obtinuit. Atqui Petro successit R. Pontifex, Apostolorum autem collegio in donis ordinariis successit episcoporum coetus: ergo. Quam veritatem — b) iugiter professa est christiana antiquitas: haec enim tria semper solemnia fuere in Ecclesia: — α) *prima sedes a nemine iudicatur.* Ita ex. gr. Nicolaus [2]: « Prima sedes a nemine iudicabitur ..... Neque ab Augusto, neque « a regibus, neque ab omni clero, neque a populo iudicabitur prima « sedes »: — β) *Pontificis causae unius Dei reservantur iudicio.* Ita Bonifacius VIII. [3]: « Si deviat terrena potestas, iudicabitur a spiri- « tuali; si deviat spiritualis minor, iudicabitur a superiori; si deviat « suprema, *a solo Deo,* non ab homine poterit iudicari ». Denique — γ): *robur decretorum conciliorum est a R. Pontificis approbatione.* Ita Gelasius [4]: « Totum in sedis apostolicae positum est potestate. Ita « quod firmavit in Synodo sedes apostolica, hoc robur obtinuit; « quod refutavit, habere non potuit firmitatem ». Atqui si concilium esset supra Papam, illum iudicare posset, nec illius indigeret approbatione: ergo.

196. *Obiectio — Pontifices saepe fassi sunt se subiici canonibus conciliorum: ergo* (n. 377).

Resp. — disting. antec. duplici modo: — a) subiici canonibus *dogmaticis* quatenus hi sunt pro ipso Pontifice *medium authenticum* propositionis veritatis credendae, *conc.:* quatenus praeterea sunt *leges* cogentes ad credendum sub pœnâ censuræ *nego.* Item — b) canonibus *disciplinaribus* quoad vim *directivam* conc.: quoad vim *coactivam,* nego.

197. **Corollaria** (n. 378) — Concilium Vaticanum ex statuta doctrina infert — a) « *omnes pastores et fideles officio hierarchiae subordinationis veraeque obedientiae erga Summum Pontificem omnino obstringi* — b) *supremi Capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri non posse, neque ullatenus reddi posse saeculari potestati subiectam* — c) *R. Pontificem esse supremum omnium fidelium iudicem ita ut in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad R. Pontificis recurri possit iudicium* — d) *non licere a iudiciis RR. Pontificum ad oecumenicum concilium appellare* ».

---

1. in 4. sent. dist. 17. q. 7. - Cf. d. 20. q. 1. a. 4. — 2. ad Michael. imper. — 3. Const. *Unam Sanctam* ed. a. 1302. — 4. De anath.

CAPUT IV.

De infallibili magisterio.

198. **Definitio vaticana** (n. 379-380) — Contra *gallicanos* praesertim definitum habemus a Conc. Vatic. [1]: « Docemus et divinitus « revelatum dogma esse definimus: R. Pontificem, cum ex cathedra « loquitur, idest cum omnium christianorum pastoris et doctoris mu- « nere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam « de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per as- « sistentiam divinam ipsi in b. Petro promissam ea infallibilitate pol- « lere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina « de fide vel moribus instructam esse voluit: ideoque eiusmodi R. Pon- « tificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irre- « formabiles esse. Si quis autem huic nostrae definitioni contradicere, « quod Deus avertat, praesumpserit A. S. ». Quatuor continet vaticana definitio sc. — a) *subiectum* infallibilitatis esse Romanum Pontificem — b) non tamen quovis in actu, sed solummodo quando loquitur *ex cathedra* — c) hanc infallibilitatem aliam non esse ab ea, qua Ecclesia ipsa est instructa: hinc — d) Pontificis definitiones *ex sese*, non autem ex Ecclesiae consensu irreformabiles esse. Quae quatuor breviter explicanda sunt.

199. **Subiectum infallibilitatis** (n. 381) — Definitur *primo:* « *R. Pontifex est infallibilis* »: quibus verbis praerogativa infallibilitatis asseritur ipsi Pontificis *personae* proinde *singulis* Pontificibus. Gallicani quidem distinguendum esse dicebant inter *sedem* et *sedentem*, quatenus *sedis* nomine veniat Pontificum series, *sedens* autem sit Pontifex actu docens. *Sedens* (aiebant) errare potest: *sedes* vero est infallibilis, quia etsi unus erret, vel ipse, vel eius successor errorem emendabit, ita ut in ipsa *sede* error nunquam radices ponat.

200. **Locutio ex cathedra** (n. 382) — Definitur *secundo:* « *R. Pontifex est infallibilis cum ex cathedra loquitur* » sc. uti statim declarat concilium, « cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit ». Ex quibus verbis patet quatuor conditiones requiri ad definitionem *ex cathedra* — a) ex parte *Pontificis* ut « omnium christianorum pastoris « et doctoris munere fungatur, pro suprema sua apostolica auctorita- « te » — b) ex parte *materiae* ut « doctrinam de fide vel moribus de- « finiat » — c) ex parte *formae* ut *definiat* idest ferat definitivam sen-

1. l. c. cn. un.

tentiam — d) ex parte *termini* requiritur « ut definiat doctrinam *ab universa Ecclesia tenendam* ».

201. **Identitas infallibilitatis pontificiæ et Ecclesiæ** (n. 383). Definitur *tertio:* « *R. Pontifex ea infallibilitate pollet qua Christus suam Ecclesiam instructam esse voluit* »: ex quibus sequitur — a) idem esse *obiectum* pontificiæ et Ecclesiæ infallibilitatis — b) eandem esse *indolem* ac propterea eandem definitionem utrique convenire — c) eandem esse *causam efficientem* seu divinam assistentiam: « neque « enim Petri successoribus Sp. Sanctus promissus est, ut eo revelante « novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per « Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et « fideliter exponerent » [1].

202. **Pontifex ex sese infallibilis** (n. 384) — Definitur *quarto: definitiones Pontificis ex sese, non autem ex Ecclesiae consensu sunt irreformabiles* ». Ad rem advertit Franzelin [2]: « Consensus Ecclesiæ « *antecedens* potest quidem esse *obiectivum medium*, quo Pontifex « perveniat in cognitionem doctrinae ut *definibilis:* sed non est per « se ullatenus et ex natura rei *unicum et necessarium medium cogni-* « *tionis*. Nullo autem modo huiusmodi Ecclesiae seu episcoporum con- « sensus sive *antecedens* aut *concomitans*, sive *subsequens* necessarius « est *per modum iudicii authentici* concurrentis cum iudicio seu de- « finitione Pontificis ». Sit ergo sequens

203. **Conclusio unica.** « *Multiplici argumento demonstratur Romanum Pontificem ex cathedra loquentem esse infallibilem ex sese, non autem ex Ecclesiae consensu* » (n. 386-392). *Prob.* — a) *ex dignitate fundamenti* — R. Pontifex, eoipso quod est Ecclesiae *fundamentum,* est quoque principium *firmitatis* et *unitatis* Ecclesiae. Atqui hoc importat charisma infallibilitatis: ergo — *Prob. 1. pars min.* Ecclesia est aedificium, quod in fide essentialiter fundatur et fide regitur: et quoniam in unoquoque fidelium fides est radix omnis iustificationis et salutis, idcirco Ecclesia, quæ ad iustitiam æternamque hominum salutem procurandam ordinatur, fidem imprimis conservare debet. Ergo R. Pontifex ita est principium *firmitatis* Ecclesiae, ut haec ab illo *firmitatem in fide* imprimis mutuetur. Atqui R. Pontifex non esset principium *firmitatis* in fide, si eius definitiones fallibiles esse possent: ergo — *Prob. 2. pars min.* Unitas, qua Ecclesia fulgere debet, est imprimis *unitas fidei:* ergo si R. Pontifex est principium unitatis Ecclesiae, imprimis est principium unitatis fidei. At quomodo Pontifex erit huius unitatis principium, si in fide errare potest? Pontifici enim errorem docenti vel adhaerebit Ecclesia, et sic a recta fide deficiet; vel non adhaerebit, et sic non per Pontificem manebit una in fide: ergo.

1. Conc. Vat. Const. *Pastor* c. 4. — 2. De tradit. th. 25.

b) *Prob. ex munere pastoris* — Ex Christi institutione R. Pontifex est pastor agnorum et ovium. Atqui iuri et muneri pascendi respondet in ovibus officium sequendi et obediendi: ergo Pontificem gregem dominicum pro munere pascentem fideles omnes sequi tenentur. Porro pone nunc Pontificem erroneam proponere doctrinam: vel Ecclesia eum sequitur, et en universa Ecclesia in errorem ducta! — vel Ecclesia errantem Pontificem non sequitur, et iam actum est de iure docendi R. Pontificis, deque obligatione eum audiendi. Quae argumenta simul ostendunt definitiones Pontificis *ex sese* irreformabiles esse; fundamentum enim sustinet domum, non a domo sustentatur — pastor pascit gregem, non grex pastorem.

c) *Prob. ex expressa Christi promissione* [1]: « *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribaret sicut triticum: ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* ». Ex quibus sic: oratio Christi immediate ad Petrum refertur: atqui obiectum orationis Christi est indefectibilitas Petri in fide: ergo Petri fides nullum defectum pati potest seu est firma semperque invicta — Atqui fides Petri deficere nequit, quatenus ipse est confirmator fratrum, seu quatenus universam Ecclesiam in fidei unitate firmat et continet: ergo Petrus ut universalis Ecclesiae pastor et doctor magisterio infallibili gaudet — Atqui sicut munus confirmatoris fratrum, ita et adnexa praerogativa infallibilitatis in Petri successoribus perseverant, cum perseveret Satanae oppugnatio adversus Ecclesiam: ergo R. Pontifex ex espressa Christi pollicitatione, cum *ex cathedra* loquitur, est infallibilis. Ad rem s. Leo M. [2]: « Commune « erat omnibus Apostolis periculum de tentatione, et divinae prote- « ctionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagi- « tare, omnes cupiebat elidere: et tamen specialis a Domino Petri « cura suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam « aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. « In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divinae gratiae ita « ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, « per Petrum Apostolis conferatur ..... Tantam potentiam dedit ei « quem totius Ecclesiae principem fecit, ut si quid etiam nostris « temporibus recte per nos agitur recteque disponitur, illius operibus, « illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est: *Et tu conversus* « *confirma fratres tuos* ».

d) *Prob. ex doctrina praecedentium Conciliorum*, ad quae provocat ipsum Conc. Vaticanum, ostendere volens, hanc doctrinam novam non esse novitate *originis*, sed tantum *explicationis* — *Primum* est formula Hormisdæ episcopis Orientis a schismate acaciano redeuntibus subscribenda proposita, atque a Conc. Cp. IV. (œcum. VIII.) act. I.

1. Luc. XXII. 31. 32. — 2. Serm. 4. in anniv. assumpt. suae.

recepta, unde eam desumpsit Conc. Vat.: « Prima salus est regulam « rectae fidei custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare. « Et quia non potest D. N. I. C. praetermitti sententia dicentis: *Tu « es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam:* haec, « quæ dicta sunt, rerum probantur eventibus, quia in Sede Apostolica « immaculata est semper servata religio et sancta celebrata doctrina. « Ab huius ergo fide et doctrina separari minime cupientes ..... spe- « ramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, « esse mereamur, in quo est integra et vera christianae religionis « soliditas ». Porro haec formula, subscripta ab episcopis 2500, non modo enunciat *factum*, quod « in Sede Apostolica immaculata est semper servata religio » — verum etiam *causam* huius facti, quae est dignitas petrae seu fundamenti, quae Romanae Sedi adnexa est — *Alterum* est Concilium Lugdun. II. quo approbante graeci professi sunt: « Sanctam R. Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum « super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso « Domino in b. Petro Apostolorum principe seu vertice, cuius R. Pon- « tifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse velociter et « humiliter cognoscit: et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem « defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo « debent iudicio definiri ». Porro si Pontifex est *supremus* iudex controversiarum fidei, eius iudicium *peremptorium* ideoque *infallibile* sit oportet — *Tertium* est Conc. Flor. definiens: « Pontificem Romanum « verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium chri- « stianorum patrem ac doctorem existere: et ipsi in b. Petro pascendi, « regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. *plenam* « potestatem traditam esse ». Porro in potestate *plena* pascendi, regendi et gubernandi *plena* potestas *docendi* includitur: atqui potestas docendi *plena* non foret si *infallibilis* non esset: ergo.

204. **Solvuntur difficultates** (n. 393-397). *Obiectio I. — Admissa infallibilitate pontificia, duplex foret eius subiectum sc. Pontifex et concilium oecumenicum.*

Resp. — dist. duplex subiectum *inadaequate* distinctum, *conc.* distinctum *adaequate*, nego. Ad rem ait Franzelin [1]: « Subiectum « infallibilitatis non est duplex *adaequate* distinctum, sed est tum « visibile caput Ecclesiae per se spectatum (propter promissionem ipsi « soli factam Matth. XVI. 18. Luc. XXII. 32), tum hoc ipsum visibile « caput veluti componens et informans corpus Ecclesiae docentis, « quae ipsamet sic constituta (corpus cum capite) est infallibilis per « assistentiam Spiritus veritatis (Io. XIV. 16. 26. Matth. XXVIII. « 20.) ». Palmieri vero censet [2] omnem infallibilitatem ex R. Pontificis magisterio in Ecclesiam redundare, ita ut *unum* dicendum sit infallibilitatis subiectum.

1. De Trad. th. 12. sch. 1. coroll. 1. — 2. De R. P. th. 26.

205. *Obiectio II. — Episcopi sunt authentici magistri ac iudices fidei: atqui tales non essent, si Pontifex per se solum esset infallibilis: ergo.*

Resp. — dist. mai. supremi, *nego,* subordinati, *conc.* Quamvis — a) episcopi sint veri magistri et iudices fidei *authentici,* cum et ipsis in Apostolorum persona a Christo dictum sit « *docete* »: et singuli *a Sp. Sancto positi sint regere et pascere Ecclesiam Dei* [1]; tamen eorum magisterium et iudicium subordinatum est magisterio et iudicio supremi doctoris et iudicis, R. Pontificis, quatenus in docendo et iudicando a R. Pontifice normam recipere debeant — ab eorum iudicio appellari possit — eorum sententia corrigi possit ab altiori iudice. Haec autem — b) minime adversantur personali Pontificis infallibilitati. Nam episcopi considerandi sunt dupliciter, vel quatenus *singuli* in sua quisque dioecesi docent, vel quatenus *in concilio oecumenico* adunati sunt — *Singuli* in sua dioecesi sunt magistri ac iudices subordinati eo modo, quo ante diximus: eorumque auctoritas, utpote *authentica,* non est aequiparanda cuiusvis privati hominis, licet doctissimi, auctoritati — *In concilio* autem sunt iudices et doctores universales et infallibiles. Sive enim Pontifex definitionem, iam a se editam, concilio probandam proponat, quo in casu, episcoporum iudicium est tantum *confirmativum;* sive res nondum definita in examen adducatur et definienda concilio proponatur, episcopi tamen verum iudicium in rebus fidei exercent et ferunt.

206. *Obiectio III. — RR. Pontificum epistolae ac definitiones saepe in conciliis fuere examini subiectae: ergo.*

Resp. — dist. antec. examini *confirmativo,* conc. *dubitativo,* neg. Multiplex esse potest examen doctrinae alicuius pro diverso examinis fine. Potest enim — a) doctrina haeretica subiici examini *ut damnetur* — b) potest de doctrina aliqua quaeri, an sit revelata *ut definiatur* — c) potest etiam dogma catholicum examini subiicii « *ut veritas clarius renitescat et fortius teneatur* » [2]. In primo et secundo casu examen est *dubitativum* et supponit doctrinae *incertitudinem:* in tertio casu examen est *confirmativum,* quod cum certitudine antecedenti potest componi.

207. *Obiectio IV. — R. Pontifex credere tenetur quod definit. Atqui nemo propriis actibus subiicitur: ergo.*

Resp. — dist. mai. ex lege naturali et divino-positiva, *conc.* vi propriae definitionis, *subd.* quatenus definitio est pro ipso Pontifice *medium* cognitionis doctrinae infallibiliter revelatae ut illam credat non tantum fide *divina,* verum etiam fide *catholica,* sicut ceteri credentes, *conc.* quatenus *coactive* Pontifex suae definitioni subiicitur sicut subiiciuntur ceteri credentes, *nego.*

208. *Obiectio V. — Negari nequit plures Pontifices in errores contra fidem prolapsos fuisse. Et revera:*

---

1. Act. XX. 28 — 2. s. Leo epist. 120. n. 1. ad Teodor.

1) *Hormisdas reprobavit, Ioannes II. vero approbavit hanc propositionem: « Unus de Trinitate crucifixus est »: ergo alterutter erravit.*

Resp. — Facti veritas est. Hormisdam non damnasse eam propositionem, sed eam reiecisse tamquam *intempestivam* et multarum disputationum causam: cum enim iam operâ praesertim Hormisdae dissensiones cum nestorianis in Oriente compositae essent, monachi Scytae tantâ pertinaciâ illam propositionem tuebantur, ut nestorianismi accusarent eos, qui eidem propositioni subscribere recusabant; ideoque ab Hormisda obiurgati sunt. Postea, cessante periculo novarum dissensionum, eadem propositio a Ioanne II. et a conc. oecum. V. probata est utpote quae catholicam doctrinam de unitate personae in duabus naturis in Christo enunciat.

2) *Ioannes XXII. docuit visionem beatificam differri usque ad extremi iudicii diem: quod tamen eius successor Benedictus XII. proscripsit.*

Resp. — Haec tria de Ioanne certa sunt — a) Pontifex in litteris ad Philippum Valesium Francorum regem (14 Kal. dec. 1333) declaravit, se de praesenti quaestione nihil definivisse, sed solum sacra dicta protulisse, ut discussa a doctoribus veritas in apertam lucem prodiret — b) episcopi et doctores hac de re a Philippo convocati testati sunt: « Quidquid in hac materia Sanctitas sua dixit, non « asserendo aut opinando protulit, sed solum *recitando* » — c) ipse Pontifex morti proximus in emissa fidei professione dixit: « Credimus « quod animæ purgatæ videant Deum facie ad faciem clare, quantum « status et conditio compatitur animae separatae » [1].

3) *Honorius in suis epistolis ad Sergium patriarcham haeresim monothelitarum professus est de una voluntate unaque operatione in Christo: hinc a conc. oecum. VI. damnatus est ut haereticus.*

Resp. — Ceteris omissis, haec advertimus — a) *Honorius nullam edidit definitionem ex cathedra:* ait enim (ep. 2.): « Non nos oportet « unam vel duas operationes definientes praedicare ». Praeterea — b) *epistolæ Honorii nullum errorem contra fidem continent:* ait enim (ep. 2.): « Quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet, *utrasque* « *naturas* in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius « communione *operantes* atque *operatrices* confiteri debemus: et di- « vinam quidem quae Dei sunt *operantem*, et humanam quae carnis « sunt *exequentem* » — c) Quoad vero verba Honorii (ep. 1.): « *Unam fatemur D. N. Iesu Christi voluntatem* »: respondemus Honorium unam voluntatem praedicare in Christo ad excludendam voluntatem *inferiorem* seu voluntatem *carnis* qua appetimus illicita, quaeque est in nobis; non vero ad excludendam voluntatem *superiorem* qua bona honesta appetimus, ut luculenter ex his eius verbis patet: « Unde et « unam voluntatem fatemur D. N. I. Christi, quia profecto a divinitate

1. Cf. Woutters epocha 8. n. 63, 65.

« assumpta est nostra natura, non culpa, illa profecto quae ante « peccatum creata est, non quae post praevaricationem *vitiata* .... Non « est itaque a Salvatore assumpta *vitiata* natura, quae repugnaret « legi menti eius, sed venit quaerere et salvare quod perierat, idest « vitiatam humani generis naturam. Nam lex alia in membris aut « voluntas *diversa* non fuit aut *contraria* Salvatori, quia super legem « natus est humanae conditionis ». Hinc ait Ioannes IV. in apologia pro Honorio: « Decessor meus docens de mysterio incarnationis Christi « dicebat, non fuisse in eo sicut in nobis peccatoribus, mentis et « carnis *contrarias* voluntates: quod quidam ad proprium sensum con- « vertentes, divinitatis eius et humanitatis unam eum voluntatem do- « cuisse suspicati sunt, quod veritati omnimodis est contrarium » — d) Concilium autem Honorium damnavit non ob haeresis culpam, sed ob negligentiam, qua haeresim non, ut debuit, compressit.

PARS III.

De Conciliis deque Romanae Ecclesiae veritate.

CAPUT I.

De Ecclesia in Conciliis congregata.

209. **Quaestiones peragendae** (n. 398) — Triplex quaestio sese offert circa Ecclesiae concilia, idest de eorum *legitimitate, auctoritate* et *necessitate,* quibus omnibus breviter satisfacimus per distinctas quæstiunculas, praemissa quæstione de origine iurisdictionis episcoporum.

210. **Quæstio I.** — *An potestas episcopalis sit immediate a Deo, an a R. Pontifice?* (n. 399) — Apud omnes in confesso est — a) potestatem *ordinis* esse *immediate a Deo* eamque in sacra Ordinatione conferri per impressionem *characteris episcopalis.* Quoad vero — b) potestatem *iurisdictionis,* etsi nemo dubitet episcopos esse in Ecclesia *ex iure divino* [1], non omnes tamen conveniunt circa originem immediatam illius *in singulis episcopis.* Nos censemus cum s. Thoma [2], s. Bonaventura [3], Bellarmino [4], Suarez [5] et Benedicto XIV. [6], episcoporum iurisdictionem *immediate* procedere a R. Pontifice. Et sane: illius est iurisdictionem episcopis conferre, cuius est eosdem eligere ac assignare subditos, quos regant; potestas enim iurisdictionis concipi non potest

1. Eph. IV. 11. - Act. XX. 28. — 2. In 4. s. d. 19. u. 1. 2. 3. - 2. 2. q. 39. a. 2. — 3. Opusc. *quare Minores praedicent* etc. — 4. De R. P. l. 4. c. 24. sqq. — 5. De leg. l. 4. c. 4. — 6. De Syn. l. 1. c. 4. n. 2.

absque relatione ad subditos. Atqui id ad R. Pontificem pertinet: ergo — *Prob. min.* Si episcopi, non mediante Pontifice, sed vi ipsius consecrationis subditos haberent in Ecclesia, hi essent vel fideles *omnes* — vel fidelium pars *indeterminata* — vel pars aliqua *determinata.* Atqui non *primum,* quod solius est R. Pontificis — Non *secundum* cum repugnet dari subditos *indeterminatos* alicuius *determinati* superioris — Non *tertium,* quia ex praxi constanti nemo præter Pontificem subditos assignat episcopis consecratis: ergo. Hinc Angelicus [1]: « Soli « Petro promisit: *Tibi dabo claves:* ut ostenderetur potestas clavium « *per eum* ad alios derivanda ad conservandam Ecclesiæ unitatem ».

211. **Quaestio II.** — *Quid sit et quotuplex Concilium?* (n. 400). Concilium generatim definiri solet: « *Legitimus praelatorum Ecclesiae conventus ad iudicandum vel statuendum de rebus ecclesiasticis* ». Quadruplex est genus: — a) *generale* seu *plenarium* vel *oecumenicum* quod describi potest: « Concilium universam Ecclesiam repraesentans, actis assentiente R. Pontifice »: — b) *nationale,* in quo conveniunt alicuius nationis episcopi, praesidente Patriarcha vel Primate vel delegato ab Apost. Sede: — c) *provinciale,* in quo conveniunt episcopi unius tantum ecclesiasticae provinciae, praesidente Metropolita: — d) *dioecesanum* quod potius *synodus* vocatur, in quo conveniunt unius Dioecesis presbyteri, praesidente Episcopo. Non defuerunt concilia *mixta,* quibus nempe ex aliena natione vel provincia interfuere episcopi.

212. **Quaestio III.** — *Quae conditiones requirantur ad concilii oecumenici legitimitatem?* (n. 401) — Conditiones aliae sunt ex parte *Pontificis* — aliae ex parte *membrorum* concilii — aliae ex parte *numeri* episcoporum ad concilium convenientium. Porro — a) ex parte *Pontificis* triplex conditio requiritur, idest ut Pontifex vel aliquis de Pontificis *mandato* vel saltem de eius *consensu* concilium *convocet* — ut Pontifex vel per se vel per suos legatos concilio *praesideat* — ut Pontifex acta concilii *confirmet.* Quod triplex ius *convocandi, praesidendi* et *confirmandi* profluit ex verissimo primatu iurisdictionis, qui soli R. Pontifici competit. Quod si octo priora concilia generalia ab Imperatoribus fuere convocata, id factum est non sine consensu et ex rogatu RR. Pontificum, eoquod Pontifices absque Imperatorum auxilio non potuissent episcopos congregare, tum quia citra Imperatoris auctoritatem nullus fieri poterat hominum conventus ob metum seditionum; tum quia Patres ad concilium concurrentes Imperatoris subsidio indigebant tam pro securitate itineris, quam pro necessariis sumptibus — Item si Imperatores quandoque praefuere conciliis, illa praesidentia non fuit *auctoritativa,* sed mere *honoraria*

1. c. g. l. 4. c. 76.

et *tutoria*. Deinde — b) ex parte *membrorum* tenendum est tum contra protestantes qui volunt omnes fideles ad concilium convocandos esse — tum contra pistorienses qui contendunt, parochos et sacerdotes habere cum episcopis ius sedendi in concilio ferendique suffragium *decisivum;* tenendum est, inquam, solos episcopos, *actualem iurisdictionem habentes*, vocandos esse ad concilium *ex iure divino*. Nam *ex iure divino* ad concilium vocandi sunt illi, qui a Christo constituti sunt *pastores* ac *doctores* Ecclesiae. Atqui pastores ac doctores a Christo in Ecclesia constituti sunt episcopi; de ipsis enim legimus: « *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Sp. Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* » — « *Pascite qui in vobis est, gregem Dei* » [1]: ergo. Vocantur autem *ex consuetudine* vel *ex privilegio* aut *ex iure ecclesiastico,* honoris causâ, Cardinales S. R. E. — praepositi generales Ordinum — abbates habentes iurisdictionem *quasi-episcopalem* — theologi et iurisperiti, tamquam consultores. Illud tamen notari debet, non requiri *moralem* suffragiorum unanimitatem ad sententiam *conciliarem* ferendam, nec *teneri* Pontificem *maiorem* episcoporum partem sequi; Caput enim non debet dirigi a membris, cum ipsius potius sit membra dirigere. Denique — c) quoad *numerum* episcoporum advertatur, tot requiri episcopos, ut concilium dici possit repraesentare universam Ecclesiam. Hinc ex Ecclesiae consuetudine concilium censeri potest generale, si convocatio sit generalis et ex maiori parte provinciarum Ecclesiae aliqui adveniant: ita tamen, ut si concilium in Oriente celebretur, sufficiat multos ex provinciis Orientis convenire, et aliquos ex Occidente; si autem in Occidente, sufficiat multos ex Occidente advenire, et aliquos ex Oriente.

213. **Quaestio IV.** — *An concilium oecumenicum sit infallibile in rebus fidei et morum definiendis?* (n. 402) — Hac de re duo sunt doctrinae capita omnino certa — *Primum* est corpus pastorum esse subiectum infallibilitatis activae — *alterum* est conditionem, *sine qua non* est infallibilis episcoporum coetus, esse *unionem* et *consensionem* cum Capite — *Prob. 1um* Christus per promissam suam et Sp. Sancti assistentiam infallibilitatis charismate Apostolos exornavit: « *Euntes docete omnes gentes .... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* » — « *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis* » [2]. Atqui Christi et Sp. Sancti assistentia duratura est « *usque ad consummationem saeculi ..... in aeternum* »: ergo et infallibilitatis charisma permansurum est in Apostolorum successoribus seu pertinet ad dona *ordinaria* — Atqui ex totius antiquitatis consensu legitimi Apostolorum successores, praesertim in munere docendi, sunt

1. Act. XX. 28. - 1. Pet. V. 2. — 2. Matth. XXVIII. 19. - Io. XIV. 16.

episcopi: ait enim Hieronymus [1]: « Apud nos Apostolorum locum episcopi tenent » — et Augustinus [2]: « Quid est: *Pro patribus tuis « nati sunt tibi filii?* Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filii « nati sunt tibi, constituti sunt episcopi »: ergo — *Prob. 2.am Petra* supra quam Christus suam aedificavit Ecclesiam adeo ut portae inferi non praevaleant adversus eam, Petrus nempe in perpetua sua successione est principium *unitatis visibilis,* qua tota Ecclesia *una* est in unitate tum *fidei,* tum *regiminis.* Ergo petra a Christo posita est causa *formalis,* qua Ecclesia docens est *unum* infallibile corpus in suis definitionibus ad conservandum explicandumque fidei depositum. Atque ad hunc finem Christus pro Petri in fide indefectibilitate oravit, ut ipse fratres suos episcopos in fide confirmare valeret.

214. **Quaestio V.** — *Quae sit conciliorum particularium auctoritas?* (n. 403) — Decreta fidei conciliorum particularium — a) quae sint a R. Pontifice in forma *solemni* approbata, ita sc. ut Pontifex ea sua facere censeatur, infallibilia sunt: tunc enim perinde est ac si a Pontifice edita essent. Talia sunt ex. gr. conc. *milevitanum* contra Pelagium approbatum ab Innocentio I. — *thelense* contra Iovinianum approb. a Siricio Pp. — *toletanum* contra Priscillanistas approb. a Leone I. — *complutense* contra Petrum de Osma approb. a Sixto IV. At — b) concilia particularia a R. Pontifice non approbata in forma *solemni,* quamvis gravis ponderis sint, tamen haud sunt in suis definitionibus *infallibilia:* neque enim dici possunt corpus pastorum, quod constituit Ecclesiam *docentem.* Contraria doctrina damnata prostat in prop. 85. synodi pistoriensis, necnon in prop. 36. Syll. « Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest ».

215. **Quaestio VI.** — *An concilia oecumenica sint divinae institutionis?* (n. 404) — Censent Bellarminus [3], cui adstipulatur Suarez [4], concilia oecumenica, si quoad *substantiam* spectentur, esse *divinae institutionis,* quamvis non quoad *modum* et *tempus* eadem celebrandi. Et merito: episcoporum enim coetus una cum Pontifice, Christo auctore, est subiectum infallibilitatis: ergo, eodem Christo auctore, iudicium infallibile episcoporum cum Pontifice docentium est medium, etsi non unicum, ad haereses extirpandas et fidei depositum defendendum. Atqui iudicium hoc solemnissime fertur in episcoporum conventibus: ergo.

216. **Quaestio VII.** — *An et qualis sit sacrorum conciliorum necessitas?* (n. 405) — Constat — a) oecumenica concilia non esse necessaria ratione *intrinsecae* auctoritatis, cum absque concilio aeque habeatur plena, suprema et infallibilis potestas docendi, quae est

1. Ep. 42. n. 3. — 2. In ps. 44 n. 32. — 3. De Conc. l. 1. c. 3. — 4. De fide disp. 11. n. 1.

Pontificis potestas; hinc verissimum est quod tenetur Bellarminus [1], concilia oecumenica non esse *absolute* et *simpliciter* necessaria. At — b) negari nequit concilia quandoque necessaria esse ratione maioris auctoritatis *extrinsecae :* fieri enim potest ut aliqui, qui de facto Pontifici haud obtemperant, parati sint sententiam concilii excipere. Quis infitiabitur, sententiam, non a Pontifice solo latam, sed a toto concilio, a coetu, inquam, virorum scientia, sanctitate, aetate et auctoritate præstantium, maiorem quamdam præseferre solemnitatem, magis percellere hæreticorum, schismaticorum, errantium quorumlibet sensus et mentes, magisque flectere eorum animum ad obedientiam? Ergo necessitas aliqua, seu *secundum quid*, conciliorum est agnoscenda. Hinc — c) nullum est *essentiale* discrimen inter definitionem editam a solo R. Pontifice et definitionem *conciliarem*, sed tantum *accidentale*.

CAPUT II.

De identitate ecclesiæ romanæ cum vera Ecclesia.

217. **Ecclesia romana quæ sit** (n. 406-407) — Nunc quæstionem instituimus, an vera Ecclesia sit ecclesia *romano-catholica;* quod si semel constiterit, illico de ceterarum religionum falsitate certi erimus. Ecclesiae autem *romanae* nomine intelligimus non particularem illum fidelium cœtum *urbis Romae,* qui cum proprio episcopo *romanam diœcesim* constituit; sed omnium fidelium collectionem, qui toto orbe dispersi R. Pontifici adhaerent. Haec ratione suae diffusionis *catholica* appellatur — ratione sui supremi capitis *pontificia* — a nobiliori sui parte *romana.*

218. **Duplici via inceditur** (n. 408) — Porro duplex via nobis suppetit ad romanae ecclesiae veritatem demonstrandam — *prima* ea est, ut ex supra disputatis de visibili Ecclesiae capite *principium probationis* sumamus eoque tamquam *criterio* utamur — *altera* autem via, auctoribus magis communis, procedit a quatuor Ecclesiae proprietatibus tamquam *notis* verae Christi Ecclesiae.

219. **Conclusio I.** « *Ecclesia romana ex propria regiminis forma sese exhibet veram Christi Ecclesiam* » (n. 409-410) — In concreto enim illa censenda est vera Christi Ecclesia, quae illâ regiminis formâ regitur, quam Christus instituit. Quare ad rem s. Cyprianus [2]: « Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et Cathedra una « *super Petrum* Domini voce fundata. Aliud altare constitui aut sa- « cerdotium novum fieri, praeter unum altare et unum sacerdotium « non potest: quisquis alibi collegerit, spargit »: atqui haec est ec-

1. l. c. c. 10. — 2. l. 1. p. 8.

clesia *romana:* ergo — *Prob. min.* Coetus christiani, qui in quaestionem venire possunt, *tres* sunt sc. cœtus *romano catholicus* — cœtus *graecorum* qui schismatici dicuntur — cœtus *protestantium*. Atqui — a) protestantes vel divinam institutionem primatus, vel eius perpetuitatem negant, vel eius genuinum conceptum pervertunt, vel eundem in R. Pontifice residere haud concedunt: unde et ab eius communione separati sunt. Item — b) ecclesia *russiaca*, quae prius pars erat ecclesiae schismaticae grecae, sub finem sæc. XVII. desiit eidem adhaerere, cum patriarcha Russorum Nicon ab auctoritate episcopi Cp. sese subduxit, ac paulo post Petrus cognomento magnus, dignitate patriarcali extincta, supremam potestatem detulit Synodo, cuius ipse Monarcha caput est et praeses (*il papasso*) — ecclesia autem *graeco-schismatica* supremam potestatem in episcopo Cp. agnoscit. Uterque ergo coetus necessaria caret conditione, ut vera Christi Ecclesia sit et dici possit. E contra — c) coetus *romano-catholicus* ab Ecclesiae origine ad nostra usque tempora nonnisi R. Pontificem suum supremum *pastorem, doctorem* et *sacerdotem* agnovit: ergo. Unde illud non obliterandum Irenaei [1]: « Ad hanc Ecclesiam (ro-« manam) propter potentiorem principalitatem necesse est omnem « convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles ».

220. **Conclusio II.** « *Praemisso notarum conceptu, novo argumento demonstratur ecclesiam romanam esse veram Ecclesiam* » (n. 411-415) — Ecclesiae *notae* sic describi possunt: « *externi, proprii ac permanentes characteres, per quos facile et ab omnibus vera Christi Ecclesia cognosci potest* ». Quapropter cognitio notarum praesupponit cognitionem Ecclesiae *in abstracto;* non enim pro lubitu Ecclesiae notae confingi possunt, sed ab Ecclesiae natura derivandæ sunt: deinde vero per notarum applicationem discernenda est *in concreto* vera Ecclesia inter varios coetus, qui christiano nomine gloriantur. Porro — a) errant novatores, qui quamvis dicant Ecclesiam esse *invisibilem,* tamen non sine magna contradictione *duas* notas assignant, nempe sinceram praedicationem Evangelii et legitimam sacramentorum administrationem. Ipsi enim confundunt ordinem *ontologicum* cum *logico:* in ordine quidem *ontologico* illa duo nonnisi in vera Christi Ecclesia *permanenter* esse possunt; at, quoniam nonnisi ex vera Ecclesia in concreto iam praecognita dignosci potest vera doctrina Christi necnon modus legitime administrandi sacramenta, idcirco illa duo assumi nequeunt tamquam *criteria* cognoscendi veram Ecclesiam. Superest ergo — b) ut cum communi Doctorum sententia *quatuor* recenseamus *notas* Ecclesiae, quae sunt ipsae Ecclesiae *proprietates* sc. *unitas, sanctitas, catholicitas* et *apostolicitas*. Hisce qui-

1. l. 3. c. 3.

dem proprietatibus convenit notarum definitio: sunt enim aliquid *proprium* verae Ecclesiae eoipso quod eiusdem *proprietates* sunt, ut proprio loco vidimus — sunt *permanentes*, quia ad Ecclesiae essentiam pertinent — sunt *externae* seu *visibiles;* unitas enim *fidei* exterius manifestatur per externam fidei professionem, quae in toto fidelium coetu hypocrisis esse nequit: unitas tum *ritualis*, tum *regiminis* est immediate visibilis: *sanctitas* exterius manifestatur per miram bonorum operum foecunditatem; *catholicitas* sub oculos cadit: *apostolicitas* seu apostolica successio tum *materialis*, tum *formalis* est *intelligibiliter* visibilis — Sunt *notiores* ipsâ Ecclesiâ; supposita enim notitiâ verae Ecclesiae *in abstracto,* illae quatuor proprietates primo et immediate in oculos considerantium veluti offendunt et in cognitionem Ecclesiae in concreto nos ducunt — sunt *ab omnibus cognoscibiles*, ut ex earum applicatione patet.

Prob. conclusio — Ac *primo:* quatuor recensitae notae inveniuntur in Ecclesia romana. Revera ecclesia *romano-catholica* — a) est evidenter *una* unitate *symbolica, rituali* et *sociali*, non modo *materialiter* sed etiam *formaliter*, quia habet in se principium unitatis h. e. auctoritatem R. Pontificis, cuius decretis fidei et disciplinae omnes obediunt. Ipsa — b) est *sancta,* tum sanctitate *activa,* cuius testes sunt tot viri animarum curae intenti et in conversione infidelium occupati; tum sanctitate *passiva*, cuius testes sunt tot viri christianas virtutes excolentes, tot profitentes consilia evangelica, tot stabiles in fide contra omnia adversa et iniquissimas persecutiones, tot miraculis aliisque charismatibus clarescentes, tot meriti honores sanctorum, adeo ut Lutherus candide confessus sit: « Ego dico sub Papatu esse verum christianismum, imo nucleum christianismi, *et multos pios magnosque sanctos* ». Ipsa est — c) *catholica* non modo catholicitate *materiali,* cum paucis ante annis eius capita fere censerentur 250.000.000, dum protestantismus et religio schismatica vix attingunt simul 230.000.000 asseclarum; verum etiam *formali,* cum hi omnes R. Episcopo supremo capiti et pastori adhaereant. Ipsa — d) est *apostolica,* quia supremus hierarcha, R. Pontifex, a quo ceteri inferiores pastores missionem et iurisdictionem accipiunt, per nunquam interruptam antecessorum seriem ad Apostolorum usque principem ascendit: ergo.

Secundo: quatuor recensitae notae inveniuntur in *sola* romana Ecclesia. Revera *protestantes* imprimis carent — a) nota *unitatis;* quod vel *a priori* statui potest, cum in se habeant principium *divisionis* h. e. *liberum* ac *privatum* examen — *Confirm. a posteriori* sc. ex ipsa protestantismi historia: quo enim *meliores* sunt protestantes, eo magis inter se dissentiunt; sicut Catholici quo meliores sunt filii Ecclesiae, eo maiorem fidei et caritatis unitatem retinent. Carent — b) nota *sanctitatis*. Nam — α) si ex fructibus cognoscere licet qualitatem arboris, cum historia testetur, reformationem protestanticam fructus

sanctitatis nullibi gentium protulisse, idcirco protestantes notam sanctitatis suae ecclesiae vindicare non possunt. Imo — β) nullum est flagitium, nulla vivendi licentia, quam reformatorum doctrina non excuset, quam efficaciter non promoveat: ipsi enim promulgant, solam fidem sufficere, hominem in praesenti statu libero arbitrio destitui, ita ut nihil ipsi imputari possit ad meritum vel demeritum, opera bona ad salutem non esse necessaria. Quis mente sanus censere poterit, luridam hanc doctrinam coelitus allatam esse, a perfectissimo, a sanctissimo Deo, cuius oculi tam mundi sunt, ut ad iniquitatem respicere non possint, fuisse traditam? Demum — γ) cum Deus extraordinarios excitat viros ad Ecclesiæ suæ decorem restaurandum, eos vitae sanctimonia et quidem haud communi exornat. At quis Luthero luxuriosior, qui monachus et sacerdos contra fidem Deo datam uxorem duxit monialem, quam ante nuptias defloraverat? Quis magis blasphemus Calvino, qui inter blasphemias, execrationes et daemonum evocationes animam evomuit? Carent — c) nota *catholicitatis* et *apostolicitatis*. Nam — α) si gloriari fortasse possunt aliqua *materiali* catholicitate, nunquam tamen *formalem* catholicitatem sibi vindicare poterunt, cum prorsus destituantur unitatis principio. Item — β) nulla gaudent apostolicitate propter defectum legitimae *missionis:* eorum enim missio non est *ordinaria*, quia a legitimis Ecclesiae pastoribus vel a supremo omnium pastore R. Pontifice nullam legationem acceperunt — non est *extraordinaria*, nempe immediate a Deo accepta, tum quia haec hypothesis missionis extraordinariae a protestantibus invecta omnino *gratuita* est, tum quia protestantes nullis signis, nullis argumentis suæ missionis legitimitatem comprobarunt. Quare ipsos sic interrogare possumus, quemadmodum ss. Patres sui temporis haereticos compellebant: « Qui estis vos? unde et quando venistis? ubi tamdiu latuistis? » [1] — « Unde apparuistis? de qua terra germinastis? ex quo mari emersistis? de quo coelo cecidistis? » [2].

Schismaticos sive *graecos* qui patriarchae constantinopolitano adhaerent — sive *russos* qui supremo suo monarchae obediunt, notis verae Ecclesiae carere, sic breviter suaderi potest. Utraque ecclesia caret *formali* unitate, catholicitate et apostolicitate, si caret principio horum trium. Atqui utraque schismatica communio caret legitimo unitatis principio necnon fonte omnis legitimæ missionis: ergo — *Prob. min.* Ecclesia schismatica *graeca* ante suam ab Ecclesia romana separationem vel fruebatur principio unitatis, vel non. Si *primum*, hoc principium aliud non erat, quam R. Pontifex, cui antea obediebat: cum igitur modo eidem non amplius subsit, idcirco legitimo unitatis principio nunc caret. Si *alterum*, multo magis nunc principio unitatis

1. Tertull. *De praescr.* — 2. S. Aug. *De bapt.* l. 3. c. 2. cont. Donat.

destituitur: neque enim post separationem potuisset ex sese principium huiusmodi sibi confingere. Eiusdem conditionis est communio *russiaca:* haec enim nec ante separationem a patriarcha constantinopolitano principio unitatis fruebatur, cum nec Ecclesia *graeca* illud haberet: nec post separationem hoc unitatis principio potitur, quia non ad Episcopum Romanum, sed ad laicam potestatem accessit, cui Christus nullam sacram potestatem contulit.

Appendix I.

De decretis doctrinalibus romanarum Congregationum.

221. **Quaestio I.** — *Quotuplex distingui potest auctoritas docendi in R. Pontifice?* (n. 417) — Duplici modo R. Pontifex doctrinam aliquam vel proponere potest ut sequendam, vel damnare ut non sequendam, idest vel ex intentione ultimo ac definitive quaestionem *decidendi* — vel citra hanc intentionem, et ex sola intentione et necessitate *prospiciendi doctrinae securitati.* In prima hypothesi doctrina definita est infallibiliter *vera,* proscripta infallibiliter *falsa,* et haec auctoritas dicitur auctoritas *infallibilitatis* — in altera hypothesi doctrina proposita non est infallibiliter *vera,* sed infallibiliter *secura,* et haec dici solet auctoritas *providentiae doctrinalis.*

222. **Quaestio II.** — *An auctoritas providentiae doctrinalis in aliis praeter R. Pontificem resideat?* (n. 418) — Dum auctoritas *infallibilitatis* non potest a Pontifice aliis communicari veluti suo nomine agentibus; e contra auctoritas *providentiae doctrinalis* communicabilis est, et reapse communicatur maiori aut minori extensione romanis Congregationibus, unde et harum Congregationum decreta dici solent decreta *Sanctae Sedis* — residet quoque in episcopis pro suis gregibus, in subordinatione tamen et unione cum supremo pastore R. Pontifice — imo in foro conscientiae et in ordine ad directionem vitae spiritualis haec auctoritas sacra competit suo modo animarum quoque directoribus, adeo ut fideles in dubiis conscientiae rebus possint, et ubi alia via tuta non pateat, teneantur suum iudicium practicum auctoritati ministrorum Dei conformare [1].

223. **Quaestio III.** — *Quae vis inest decretis doctrinalibus romanarum Congregationum?* (n. 419) — Hisce decretis — a) debetur non modo *obsequium silentii,* sed etiam *mentis obsequium;* procedunt enim ab iis, quos Deus speciali institutione magistros constituit quosque certum est speciali providentia regi, ut munere suo rite fungantur. Quare Pius IX. [2]: « Sapientibus catholicis haud satis est, ut dogmata

1. cfr. Franzelin De trad. th. 12. schol. 1. coroll. 4. - cfr. S. Alphonsus l. 1. n. 12 e 13. — 2. Epist. ad Archiep. monach. 21 dec. 1863.

« recipiant, verum etiam opus est, ut se subiiciant decisionibus, *quæ* « *ad doctrinam pertinentes* a pontificiis congregationibus proferun- « tur »: idemque Pontifex [1] agens de decreto S. I. C., quo libri Antonii Günther proscripti fuerant, declarat ipsum decretum sufficere debuisse, ut Catholici non modo persuasum haberent, nemini deinceps fas esse doctrinam iis libris contentam tueri ac propugnare (quod est reverentiale silentium), sed etiam « *sinceram haberi non posse doctrinam Güntherianis libris contentam* ». Hic assensus — b) non est fidei *divinae* nec *ecclesiasticae* seu *mediate divinae*, sed dicitur assensus *religiosus* quia praestatur propter motivum *sacræ* auctoritatis providentiae doctrinalis. Non est tamen *metaphysice* certus ideoque non absolute *irreformabilis* non existente ex parte rei certitudine infallibilitatis; sed est *valde prudens*, utpote solido motivo innixus, et quousque nihil est, quod suspensionem prudenter suadeat, dici quoque potest *moraliter certus*. Nec — c) obiici potest, solam auctoritatem infallibilem posse ad assensum obligare: haec enim necessaria quidem est ad assensum *firmissimum* et absolute *irreformabilem*, minime vero ad assensum inferioris ordinis, qualis est assensus *religiosus*.

224. **Quaestio IV.** — *An decreta doctrinalia ss. Congregationum specialem Pontificis approbationem praeferentia sint infallibilis auctoritatis?* (n. 420) — Non conveniunt Doctores: *negant* Franzelin [2], Gotti [3], Hurter [4], Mazzella [5], Palmieri [6] — *affirmant* Bouix, Sceeben, Zacharia, Cardenas et Lacroix, quos citat Franzelin (l. c.). Patet totam quæstionem in eo esse, quamnam vim Pontifex tribuere intendat suae approbationi, an sc. per eam intendat Pontifex decretum Congregationis *suum* facere ac si ipsemet illud ederet et universae Ecclesiae imponeret. « In praxi ergo, uti optime advertit Hurter « (l. c. in nota), quæstionis decisio pendebit a diligenti adiunctorum « consideratione, utrum sc. decretum censeri debeat pontificium ideo- « que definitio *ex cathedra*, an tantum Congregationis sententia « potestate sibi comunicata edita ».

Appendix II.

De dogmatico valore Syllabi Pii IX.

225. **Syllabus est documentum dogmaticum quoad materiam** (n. 421-422) — Non desunt qui Syllabo nonnisi humanam auctoritatem tribuunt, quia, ex eorum sententia, eos characteres non

1. Epist. ad Archiep. colon. Card. Geissel 15 iun. 1857. — 2. De Trad. th. 12. sch. 1. — 3. De locis t. I. q. 3. dub. 9. § 2. n. 12. — 4. Tom. 1. n. 680. — 5. De virt. d. 2. a. 10. § 1. — 6. De R. P. th. 32 § 2.

praesefert, qui ex Conc. Vatic. ad infallibilem locutionem requiruntur. Nos vero cum pluribus iisque gravibus viris, quos inter Card. Mazzella [1], Hurter [2], Ruffoni [3], Schrader, Dumas, Feré, Borgognoni, tuemur, Syllabum, saltem *quoad materiam,* esse documentum infallibile. Sane – a) impletur conditio ex parte *materiae,* cum nulla sit ex 80. propp. Syllabi, quae directe vel indirecte doctrinae fidei et morum non adversetur. Impletur — b) conditio ex parte *formae;* intentio enim Pontificis easdem propositiones proscribendi ultimâ ac definitivâ sententiâ patet tum ex ipso Syllabi titulo [4], tum ex verbis Card. Antonelli [5]: « *quo (Syllabo) iidem Antistites prae oculis habere* « *possint omnes errores ac perniciosas doctrinas, quae ab ipso repro-* « *batae ac proscriptae sunt* ». Impletur — c) conditio ex parte *termini,* quia Syllabus, una cum Encycl. *Quanta cura,* ad universam Ecclesiam missus est « *ut omnes prae oculis habere possint errores* » certe cavendos. At — d) impleturne conditio ex parte *Pontificis?* Syllabus (aiunt adversarii) per Card. Antonelli ad episcopos missus est: atqui epistola, quacum Cardinalis Syllabum transmisit, non est actus Pontificis ideoque impar est ad constituendum Syllabum actum dogmaticum: ergo.

Resp. – In documento pontificio infallibili distinguendus est actus *iudicativus* ab actu *missivo* seu melius *communicativo.* Actus *iudicativus* est iudicium definitionis vel damnationis doctrinae in documento

---

1. De Eccl. n. 1052 in nota. — 2. De R. P. n. 677. in nota. — 3. In effem. *La Scuola Cattolica* an. 1878-1879 fasc. 69. — 4. « *Syllabus complectens praecipuos nostrae aetatis errores, qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in encyclicis aliisque apostolicis litteris SS. D. N. Pii Papae IX.* ». — 5. En tenor epistolae, qua Em.^{mus} Cardinalis Syllabum communicavit omnibus Orbis Catholici Ordinariis. — « Ill.^{me} ac Rev.^{me} Domine — SS. D. N. Pius IX. P. « M., de animarum salute et de sana doctrina maxime sollicitus, vel ab ipso « sui pontificatus exordio nunquam destitit suis epistolis encyclicis et allocutio- « nibus in Consistorio habitis et apostolicis aliis litteris in vulgus editis, prae- « cipuos huius praesertim infelicissimae aetatis errores ac falsas doctrinas pro- « scribere et damnare. Cum autem forte evenire potuerit, ut omnia haec Pon- « tificia Acta ad singulos Ordinarios minime pervenerint, idcirco idem S. P. « voluit, ut eorundem errorum Syllabus ad omnes universi Catholici Orbis sa- « crorum Antistites mittendus conficeretur, quo iidem antistites prae oculis ha- « bere possint omnes errores ac perniciosas doctrinas, quae ab Ipso reprobatae « ac proscriptae sunt. Mihi vero in mandatis dedit, ut hunc Syllabum typis edi- « tum ad Te perferendum curarem hac occasione ac tempore, quo idem P. M. « pro summa sua de Catholicae Ecclesiae ac dominici gregis sibi divinitus com- « missi incolumitate et bono sollicitudine etiam Encyclicam Epistolam ad cunctos « Catholicos sacrorum Antistites scribendam censuit. Eiusdem igitur Pontificis « iussa omni certe alacritate et, uti par est, obsequio efficiens, Tibi, Ill.^{me} ac « Rev.^{me} Domine, eundem Syllabum his Litteris adiunctum mittere propero ».

contentae: actus *communicativus* est communicatio actus *iudicativi* per transmissionem documenti pontificii ad episcopos. Actus *iudicativus* a solo Pontifice procedere potest: actus vero *communicativus* duplici modo perfici potest, vel immediate ab ipso Pontifice, et tunc erit actus Pontificis *personaliter* — vel ab alio ex mandato Pontificis, et tunc actus erit Pontificis *moraliter*. Sic ex. gr. decretum *Sanctissimus Dominus*, quod U. S. I. edidit 24 aug. 1690, continens duas propositiones ab Alexandro VIII. damnatas, quoad actum *iudicativum* vere fuit a Pontifice *personaliter;* quoad actum vero *communicativum* fuit *personaliter* a s. Congregatione, *moraliter* autem a Pontifice. Porro ad rem nostram actus *iudicativus* Syllabi est iudicium, quo 80. Syllabi propositiones a Pontifice damnatae sunt: quod quidem iudicium Pontifex diversis in occasionibus tulit, idest in allocutionibus, encyclicis litterisque apostolicis, ut ex ipso Syllabi titulo patet, necnon ex epistola Card. Antonelli. Actus *communicativus* fuit communicatio eiusdem iudicii facta episcopis per Syllabi transmissionem ope illius organi, quo Pontifex uti non solet tamquam persona privata, qualis est Secretarius Status. Syllabus ergo — α) est documentum *pontificium* quia iussu Pontificis confectus est atque ad omnes Ordinarios transmissus: — β) est documentum *dogmaticum*, quia quoad actum *iudicativum* est a Pontifice *personaliter*, quoad actum *communicativum* est a Pontifice *moraliter* tantum, idcirco saltem *quoad materiam* est *infallibile*.

226. **Quorundam sententia de Syllabo documento dogmatico quoad formam** — Alii ulterius progredientes contendunt Syllabum esse documentum dogmaticum etiam *quoad formam*, quorum explicatio ad haec reducitur — a) Syllabus *adaequate* sumptus non excludit, sed includit, tamquam partem, solemnia illa acta Pii IX. idest allocutiones, encyclicas, litteras apostolicas *quoad eam partem*, in qua damnatae propositiones continentur: atqui in illis actis continetur iudicium damnationis: ergo. Accedit — b) universi episcopatus sensus et consensus. Vix enim Pontifex Syllabum ad cunctos Ecclesiae pastores transmiserat, ut ex toto orbe catholico episcopi una voce unoque corde ad Petrum, qui per Pium locutus fuerat, se converterint, ut grati animi sensus Pontifici panderent. Accedit denique — c) explicita Pontificis declaratio vivae vocis oraculo prolata ad S. R. E. Cardinales et complurimos episcopos die 17 iulii 1867: « Encyclicam *Quanta Cura* necnon et Syllabum coram Vobis nunc « confirmo et Vobis *iterum* tamquam *regulam docendi* propono » [1].

1. In eph. *Acta S. Sedis* Romæ edit. a. 1867 vol. 4. append. 16.

Appendix III.

De temporali Romani Pontificis potestate.

227. **Quaestio I.** — *An et quo iure R. Pontifex plena gaudeat personali immunitate?* (n. 424) — Praenota *personalis immunitatis* nomine intelligi ius exemptionis a quavis laica iurisdictione. Hoc *ius exemptionis* asserimus *essentiale* esse primatui *ex iure divino-naturali* sc. illo iure quod ab aliqua divina institutione dimanat, sicut ex. gr. supposita institutione confessionis, ius ipsum naturale sacerdotem obligat ad sigillum servandum. Et sane — a) ex iure canonico [1] omnis Clericus, ideoque Pontifex ipse, personali immunitate gaudet. Atqui R. Pontifex non potuisset pro se lege canonica ius immunitatis statuere, nisi iam ex iure divino saltem naturali fuisset immunis: qui enim auctoritati alicuius subiectus est, non potest iure se subducere sola voluntate a subiectione debita. Ergo lex canonica eo tantum spectat, ut hoc ius authentice declaret novaque auctoritate constituat. Praeterea — b) cum potestas civilis spirituali potestati *positive* subiiciatur, Pontifex ius habet tum prohibendi principibus ea, quæ Ecclesiæ noxia forent, tum præcipiendi quæ necessaria vel maxime utilia sunt Ecclesiae. Atqui maxime utile est Ecclesiae, ut in Pontificem nulla exerceatur legalis vis coactiva. Pone enim ex. gr. Pontificem in carcerem detrudi auctoritate iuris, aliisque poenis mulctari, non secus ac quivis civis vel scelestissimus malefactor: nonne id maxime officeret existimationi, qua Christi Vicarius penes omnes gaudere debet? Nonne id vehementer noceret recto ac tranquillo Ecclesiæ regimini? Nonne spirituale fidelium bonum exinde maximum detrimentum acciperet? Iure ergo poterit Pontifex huiusmodi actus coactivae potestatis impedire: quod idem est ac dicere Pontificem a laica iurisdictione esse exemptum ex iure divino-naturali. Quare statuit Tridentinum (l. c.) « personarum ecclesiasticarum immunitatem *Dei ordinatione* et canonicis sanctionibus esse constitutam »: et pr. 30. Syll.: « Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit ».

228. **Quaestio II.** — *An exercitium iuris immunitatis personalis sit essentiale R. Pontifici?* (n. 425) — a) *Ius* exemptionis personalis essentiale est pontifici, ut patet ex dictis: — b) exercitium vero huius iuris non est Ecclesiae necessarium ut ipsa *simpliciter sit*, uti constat ex primis Ecclesiae seculis, quibus Pontifex minime gaudebat huius iuris exercitio, et tamen Ecclesia stabat: tamen — c) necessarium

1. Conc. Lat. Sess. 9. de Reform. - Trid. Sess. 25. de Reform.

est ut Ecclesia *bene sit*. Nam ut Ecclesia vitam suam socialem perfecte explicare possit, necesse est — α) ut supremum eius caput *actu* possit suam potestatem magisterii et regiminis exercere — β) ut pax et tranquillitas ecclesiastici regiminis ex se stabilis ac firma sit — γ) ut liberum exercitium potestatis capitis Ecclesiae omnibus fidelibus certo innotescere possit — δ) ut primatus sensibili quoque splendore cultus et honoris apud homines honestetur. Atqui haec omnia obtineri nequeunt absque *actuali* personali immunitate Pontificis: ergo [1].

229. **Quaestio III.** — *An et quatenus civilis principatus sit medium necessarium ad actuandam Romani Pontificis immunitatem?* (n. 426) — Si spectetur — a) quod *absolute* requiritur ad immunitatem Pontificis actuandam, patet eam obtineri posse absque civili principatu, dummodo princeps, in cuius territorio Pontifex versetur, eius independentiam *practice* agnoscat idque omnibus fidelibus certo constet. Si tamen — b) spectetur quod *moraliter* requiritur, idest spectata hominum indole et ordinaria humanae societatis conditione, patet civilem principatum esse necessarium. Nam independentia Pontificis esse debet ex se *tuta* et *stabilis* universoque catholico orbi omnino *certa*. Atqui ad haec obtinenda necessarius est civilis principatus: ergo — *Prob. min.* ex his quæ sequuntur quæque nemo prudens negabit: — α) principes, ut experientia testatur, proni admodum sunt ad amplificandum dominium suum: — β) quicumque in territorio alicuius regis versatur, sensim sine sensu connumeratur cum ceteris subditis, quia apud vulgares ratio, cur hi subditi sint huius regis, est quia in eius territorio sunt: — γ) in hac hypothesi exemptio R. Pontificis habitura esset rationem privilegii ex illius regis voluntate pendentis: — δ) haud infrequenter continget ut Pontifex ea praecipiat principibus, quae iisdem non placeant: idcirco — ε) proximum periculum semper extiturum est, ut vel princeps potestate sua physica abutatur in Pontificem, si hic officio suo deesse nolit, et sic exercitium primatus impediat; vel suspicentur fideles ceterarum nationum, R. Pontificem vi coactum aut gratiâ illius principis allectum, suas leges et decreta condere. Atqui hisce concurrentibus, quomodo firma et tuta et apud omnes certa constabit independentia Pontificis, illius nempe, in cuius manibus sunt conscientiae totius terrarum orbis? Quam doctrinam, hisce rationibus innixam, semper tradidere SS. PP., ut e. g. Nicolaus III. (a. 1278) in Const. *Fundamenta militantis Ecclesiæ* — Pius IX. in Alloc. *Quibus quantisque* 20 apr. 1849 — in Encycl. *Cum catholica Ecclesia* a. 1860 — In Encycl. dat. 8 iun. 1859 — in Alloc. *Novos* — *Iamdudum* — *Maxima quidem* 20 sept. 1860 — 18

1. Cfr. Alloc. Pii IX. *Quibus quantisque* 20 apr. 1849.

mart. 1861 — 9 iun. 1862 — et Leo XIII. pluribus in Allocutionibus. Hinc merito Pius IX. damnavit prop. 75. Syllabi: « De temporali regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii » [1].

230. **Corollarium** — Ex proxime disputatis sequitur, civilem Pontificis principatum dici posse necessarium *ex iure divino-naturali secundario*. Necessarius quidem est — a) ex iure *divino-naturali*, quia huiusmodi necessitas divinam primatus institutionem consequitur. Addimus — b) hoc ius esse *secundarium:* ius enim naturale *primarium* illud est, quod praecipit id, quod est indispensabile ad finem consequendum; *secundarium* vero, quod praecipit vel suadet id quod ad finem melius conducit. Atqui civilis principatus necessarius tantum est ut Ecclesia *melius* sit: ergo.

231. **Quaestio IV.** — *Quinam est certitudinis gradus statutae doctrinae?* (n. 429) — Vera nobis videtur gravium quorumdam Theologorum sententia [2] quod sc. declarationi Summi Pontificis de necessitate civilis principatus S. Sedis *nihil desit ad infallibilem definitionem,* cum impleri videantur conditiones requisitae a Conc. Vatic. ad definitionem *ex cathedra*. Et revera impletur — a) *prima* conditio sc. ex parte *Pontificis:* tunc enim Pontifex in docendo munere fungitur omnium Christianorum pastoris et doctoris, quum vel immediate universam Ecclesiam alloquitur, vel pro universa loquitur Ecclesia. Atqui SS. Pontifices civilis principatus necessitatem declararunt vel in litteris encyclicis, quae per episcopos ad omnes Christi-fideles diriguntur, vel in allocutionibus consistorialibus, quas non tantum pro praesentibus, sed et pro omnibus christianis Pontifices habent: ergo. Impletur — b) *secunda* conditio sc. ex parte *materiae:* veritas enim de necessitate civilis principatus Pontificis connectitur cum dogmate de eiusdem Pontificis independentia, quae *de via ordinaria* aliter obtineri nequit, quam per temporale dominium Apostolicae Sedis. Hinc Pius IX. in cit. Encycl. *Cum catholica:* « R. Ecclesiae « principatus, licet suapte natura temporalem rem sapiat, *spiritualem* « tamen induit indolem vi *sacrae,* quam habet, destinationis et arctis- « simi illius vinculi, quo cum maximis Rei Christianae rationibus « coniungitur ». Impletur — c) *tertia* conditio sc. ex parte *formae:* quid enim magis definitivum verbis Pii IX. in Encycl. 8. iun. 1859: « Necessarium esse *palam edicimus* Sanctae huic Sedi civilem prin- « cipatum, ut in bonum religionis sacram potestatem sine ullo impe-

1. Cfr. Brunengo *Orig. della sovran. temp. dei Papi* - De Maistre (l. 2. c. 3.). — 2. Palmieri *De R. P.* th. 24. - P. Bonaventura a S. Bernardino *Del R. P. c.* 3. *a* 7. *concl.* 1. - Steccanella *Del valore della dichiaraz. pontif. sopra il dominio temp. della S. Sede p.* 1. *c.* 21.

« dimento exercere possit? ». Hinc Leo XIII. in Brevi ad Episc. « Brixiensem 31 mart. 1889, occasione opusculi cui titulus « *Roma e* « *l'Italia e la realtà delle cose* », quod proscripsit S. I. C. (13 apr. 1889) ait: « Ab ipso Pontifice *iudicata causa est:* is enim quid et sentiat « ipsemet, et sentire ceteros oporteat, non semel neque obscure « significavit ». Impletur — d) *quarta* conditio sc. ex parte *termini:* ridiculum enim ac omnino frustraneum foret, S. Pontificem actibus solemnibus necessitatem civilis principatus declarare voluisse, et tamen noluisse ad consensum obligare universam Ecclesiam [1].

1. Iuxta instructionem S. Pœnitentiariæ (15 ian. 1866.) pro Confessariis tempore Iubilaei a Leone XIII. illo anno concessi, absolvi non poterant ecclesiastici illi viri, qui libellos (vulgo *indirizzi*) dederant aut eisdem subscripserant contra temporale dominium S. Sedis, nisi prius hac formula se retractassent. « Io con- « fesso ed affermo essere errore e temerità contraddire alle dottrine manifestate « dalla Chiesa, e non potersi senza grave peccato ricusare ossequio e sincera « sottomissione all'autorità della S. Sede: e perciò rispetto e mi uniformo a tutte « le dichiarazioni della medesima, e *specialmente a quelle, che risguardano il do-* « *minio temporale del S. Pontefice, alle quali ha fatto eco l'Episcopato Cattolico* ». Cfr. Opusculum B. O. S. typis vaticanis editum a. 1889. apud Ephem. *La Scuola Cattolica* a. 1889.

TRACTATUS III.

De fontibus divinae revelationis

232. **Ecclesiae doctrina** (n. 430-431) — Quaestioni *ex quibus fontibus* infallibile Ecclesiae magisterium veritates, quas definit, hauriat, respondet Conc. Vatic. [1]: « Supernaturalis revelatio secun- « dum universalem Ecclesiae fidem a s. Trid. Synodo declaratam « continetur in libris scriptis et sine scripto Traditionibus, quae « ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae aut ab ipsis Apostolis « Sp. Sancto dictante quasi per manus traditae ad nos usque perve- « nere ..... Libri Sp. Sancto inspirante conscripti ipsi Ecclesiae tra- « diti sunt ». Quare duplex est *fons* revelationis sc. Traditio et Scriptura. Hinc duplici distincto capite de utroque fonte singillatim agendum imprimis est — cui tertium addemus de divinae revelationis progressu deque habitu inte rationem et revelationem necnon de munere rationis in fidei negotio.

CAPUT I.

De divinis traditionibus.

ARTICULUS I.

Traditionis conceptus et existentia.

233. **Conceptus genericus et partitiones** (n. 432-434) – Traditio *christiana* secundum *genericum* conceptum est modus conservandi et ad alios derivandi christianam religionem. Dividitur – a) ratione *materiae* in *dogmaticam, moralem, disciplinarem* et *ritualem* — b) ratione *modi* in *scriptam, oralem* et *practicam* — c) ratione *temporis* in *perpetuam* et *temporalem* — d) ratione *loci* in *universalem* et *localem* seu *particularem* — e) ratione *obligationis* in *necessariam* seu *praecepti* et *liberam* seu *consilii* — f) ratione

1. Const. *Dei Filius* c. 2.

originis in *divinam*, *apostolicam* et *ecclesiasticam;* ubi adverti debet, inter traditiones *divinas* et traditiones tum mere *apostolicas,* tum *ecclesiasticas* magnum interesse discrimen: istae enim versantur circa *solam disciplinam* ideoque *mutabiles* sunt, illae vero circa *ipsa dogmata* ac proinde *immutabiles* — istae non semper loco et tempore universales sunt, illae autem sunt universales et perpetuae — Regulae autem ad discernendas traditiones divinas ab apostolicis, praesertim sunt *indoles materiae — modus quo doctrina proponitur — Ecclesiae iudicium.* Ad discernendas vero traditiones apostolicas ab ecclesiasticis optima est regula, quam assignat Augustinus [1]: « Quod universa « tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, « nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur ».

234. **Specificus traditionis conceptus** (n. 435) — Sensu *specifico* Traditionis nomine significatur modus transmissionis et conservationis a s. Scriptura diversus: quae significatio ita communis est, ut semper praesumi debeat, nisi *latior* significatio pateat ex contextu. Reapse — a) in Scriptura nomen *tradere* duodecies occurrit in *strictiori* significatione [2] nec nisi semel in sensu latiori [3]: « *Fratres, state, et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram* ». Patres quoque — b) traditionem habent, tamquam alterum revelationis fontem, eiusdem tamen cum Scriptura auctoritatis; quandoque enim illam a Scriptura distinguunt — quandoque cum Scriptura coniungunt — quandoque docent traditionem *latius* patere Scripturâ, adeo ut universa doctrina christiana ex utroque fonte sit haurienda. Est autem animadvertendum, traditionem distingui a Scriptura, non ad exclusionem *omnis scriptionis,* sed tantum scripturae *divinitus inspiratae:* itemque traditionem dici *oralem,* non quasi ipsa *ore* tantum *semper* fuerit propagata, sed quia ab Apostolis non *scripto,* sed *oretenus* fuit fidelibus proposita.

235. **Traditio constitutiva - inhæsiva - declarativa** (n. 436). Porro in praesentiarum traditionem accipimus in hac specifica significatione, eaque definiri potest: « *modus conservandi et transmittendi christianam doctrinam, a Scriptura divinitus inspirata diversus* ». Talis traditio divina *triplex* esse potest sc. — a) est *constitutiva,* si doctrinam proponit non in Scriptura contentam — b) est *inhaesiva,* si doctrinam tradit etiam in Scriptura clare contentam, quae propterea in confirmationem Scripturae adhiberi potest — c) est *declarativa,* si doctrinam in Scriptura brevius vel minus clare contentam declarat et sensum determinat a Sp. Sancto intentum — Protestantes libenter quidem admittunt traditiones *inhaesivas* et *declarativas,* at traditiones *constitutivas* omnes reiiciunt.

---

1. De bapt. l. 4. c. 24. — 2. Cfr. Matth. XV. 2. sqq. - Marc. VII. 3. sqq. - 1. Cor. XI. 3. 23. - 1. Pet. I. 18. — 3. 2. Thess. II. 14.

236. **Conclusio I.** « *Nullo pacto demonstrari potest omnes fidei veritates necessario contineri in Scriptura* » (n. 438). Revera — a) non probatur *ex rei natura:* spectatâ enim naturâ rei, Scriptura non est *unicum* medium aptum ad verbum Dei incorruptum servandum quum praeter ipsam apta sit Traditio. Non probatur — b) *ex ordinaria Dei providentia:* constat enim in religione *patriarchali* nullam fuisse canonicam Scripturam, sed universa fidei dogmata per oralem tantum traditionem conservata et propagata fuisse — item in religione *mosaica* seu *scripta* multa per solam traditionem credebantur: ex. gr. quod esset remedium ad tollendum peccatum originale tum in feminis, tum in masculis ante octavum diem decedentibus [1] — item Ecclesia *christiana* in suo exordio omnia credebat absque Scripturis. Non probatur — c) *ex facto, quod verbum Dei fuit scriptum:* id enim unice probat, Deum voluisse Scripturam esse medium transmittendae revelationis, minime vero *unicum*. Non denique — d) *ex ipsa Scriptura,* quæ e contra favet oralibus traditionibus: ait enim Apostolus [2]: « *State, et tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram* »: in quae s. Chrysost. [3]: « non omnia ergo « per epistolam tradiderunt Apostoli, sed multa etiam *sine litteris*. « Eadem ergo fide digna sunt tam illa, quam ista. Traditio est: nihil « quaeras amplius ».

237. **Conclusio II.** « *Plura sunt fidei dogmata quae in Scripturis haud continentur* » (n. 439-440). *Prob.* — a) *ex sensu practico* Ecclesiae in quibusdam dogmatibus constabiliendis. Sic e. g. Augustinus [4] de necessitate baptismi pro parvulis ait: « *Consuetudo* matris Ecclesiae « in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo « superflua deputanda, nec omnino credenda, *nisi apostolica esset* « *traditio* » — item de valore baptismi ab haereticis collati ait: « Consuetudo illa, quae opponebatur Cypriano, ab eorum *traditione* « exordium sumpsisse credenda est; sicut sunt multa, quae universa « tenet Ecclesia, et propter hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, « quamquam scripta non reperiantur » [5] — Pari modo Conc. Nicæn. II. ex traditione potissimum hausit dogmata de cultu Sanctorum eorumque imaginum — Athanasius quoque in Conc. Nicaen. I. sic arianos compellebat Christi divinitatem negantes: « Ecce nos quidem a Patribus « ad Patres *per manus traditam* fuisse hanc regulam (fidem nempe « in Christi divinitatem): vos autem, novi Iudaei et filii Caiphæ, quem « auctorem doctrinae vestrae nominare potestis? » — Origenes vero sic *quatuor* esse evangelia comprobat [6]: « Sicut *traditione accepi* de « quatuor evangeliis, quae *sola* in universa Dei Ecclesia citra contro- « versiam admittuntur »: et Tertullianus, pluribus recensitis ad fidem

1. cfr. Deut. XXXII. 7. — 2. Thess. II. 14. — 3. hom. 4. — 4. De gen. ad litt. l. 10. c. 25. — 5. De bapt. l. 5. c. 23. — 6. apud Euseb. h. e. l. 6. c. 25.

et mores pertinentibus, concludit: « Harum et aliarum huiusmodi « disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies. « *Traditio* tibi praetenditur *auctrix*, consuetudo conservatrix, fides « observatrix » [1]. *Prob.* — b) *ex ipsis protestantibus* qui imprimis plura dogmata *nobiscum* admittunt, quae ex solis Scripturis probari nequeunt, ut e. g. divinitas Scripturae — valor baptismi parvulorum necnon ab haereticis collati — Dominicam loco Sabbati esse sanctificandam — abstinentiam a sanguine et suffocato in N. L. non esse obligatoriam [2] — pedum lotionem non esse de praecepto [3]. Quinimmo in ipsis fundamentis sui systematis sibi contradicunt. Nam docent solos libros in suum canonem receptos esse sacros et divinos — non esse credendum, nisi quod in Scriptura continetur — admittendum esse privatum examen et internam Sp. Sancti inspirationem ad Scripturae sensum assequendum — distinguendum esse inter articulos *fundamentales* et *non fundamentales* — solam fidem sufficere ad salutem. Atqui harum assertionum nullum fundamentum in Scripturis: ergo vere hic habemus confitentem reum.

238. **Solvuntur difficultates** (n. 441-442). *Obiectio I. — Christus remisit Iudaeos ad Scripturas dicens:* « Scrutamini Scripturas, in quibus creditis vitam aeternam habere: illae sunt, quae testimonium perhibent de me »: *ergo.*

Resp. — dist. antec. in casu illo particulari et veluti argumentando *ad hominem* contra iudaeos *conc.* in omni casu et excludendo alium fontem *nego.*

239. *Obiectio II. — Quae de ore ad os transeunt, facile corrumpuntur: ergo oralis traditio non est aptum medium revelationis conservandae.*

Resp. — dist. antec. nisi specialis Dei providentia agnoscatur, qua omnis corruptio impediatur *conc.* si haec admittitur *nego.* Sicut speciali Dei providentiæ tribuendum est — a) quod libri divini nobis integri servarentur, ita quoad divinas traditiones de speciali hac Dei protectione dubitari non potest, cum constet, Deum voluisse traditionem constituere tamquam alterum revelationis fontem. Praeterea — b) supra iam advertimus, traditionem nuncupari *oralem* in oppositione ad Scripturam divinitus *inspiratam*, non vero ad excludenda alia scripta et adiumenta conservationis.

ARTICULUS II.

Traditionis monumenta.

240. **Quid et quot sint** (n. 443) — Media, quibus divinae traditiones conservatae sunt et ad nos usque pervenerunt, appellantur

1. De Cor. c. 3. — 2. Act. XV. 28. — 3. Io. XIII. 14.

monumenta traditionis. Praecipua sunt: *fidei professiones* et conciliorum ac Pontificum *definitiones* — *liturgia* et generatim *cultus externus* — Ecclesiæ *praxis* — *martyrum acta* — *Patrum scripta* — *historia ecclesiastica*, praesertim historia *haeresum* — *monumenta artis christianæ* — *christianarum scholarum doctrina et communis fidelium sensus*. Porro, quia persaepe in quæstionibus fidei ad Patrum ac Theologorum auctoritatem appellatur, necnon pluries ad fidelium sensum et consensum, idcirco ad haec tria quaestionem nostram restringimus.

241. **Patres** (n. 444-448) — Licet *vulgo* appellentur Ecclesiae *patres* quicumque christiani scriptores doctrina et antiquitate conspicui, tamen *propriissimo sensu* intelliguntur « viri qui doctrina eminent, sanctitate florent, antiquitate vigent atque expressa vel tacita Ecclesiæ designatione gaudent ». Quoad patrum *auctoritatem* in rebus fidei et morum, imprimis duplex excessus vitandus est; hinc quidem error protestantium, qui vel flocci faciunt Patrum auctoritatem, vel *vetustissimos* tantum primorum saeculorum Patres in honore habent; inde vero error iansenistarum, qui tanti facere visi sunt vel unius Patris auctoritatem, praesertim s. Augustini, ut eam Ecclesiae auctoritati praeferrent: unde damnata est ab Alexandro VIII. (7 dec. 1690) prop. 30.: « Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad « ullam Pontificis Bullam ». Contra ad rem s. Thomas [1]: « Ipsa « doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet: « unde magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam vel Augustini « vel Hieronymi, vel cuiuscumque doctoris ».

Recta igitur doctrina haec statuit: — a) Patrum auctoritas, si *singuli seorsum* spectentur, quamvis *gravis* sit nec spernenda, tamen non est *infallibilis*. Si — b) plures Patres aliquid affirmant vel docent, ceteris reclamantibus, maior quidem vel minor probabilitas pro una vel altera parte esse potest, at ex neutra desumi potest *irrefragabile* argumentum. Demum — c) si Patrum consensus est *moraliter unanimis*, irrefragabile exhibet divinae traditionis testimonium. Et sane: Patres quadrupliciter considerari possunt sc. *literarie* seu *historice*, ut viri docti magnaque pietate insignes — *hierarchice*, cum plerique membra fuerint corporis pastorum Ecclesiae — *formaliter*, ut qui singulis aetatibus plures fideles per evangelium Christo genuerint — *iuridice* seu *theologice* seu *supernaturaliter*, ut qui disponente Christo depositum revelationis custodirent, aperirent Scripturas, doctoratus charismate fulgerent tamquam mundi luminaria et christiano populo tamquam duces praeirent. Atqui — α) si *literarie* spectentur, *humana* et *historica* auctoritate gaudent, sicut plures docti in idem consen-

1. 2. 2. q. 10. a. 12.

tientes, aut plures historici idem testantes. Si — β) *hierarchice*, eorum auctoritas est *divina*, quia est auctoritas illius corporis doctorum, cui Christus charisma infallibilitatis promisit. Si — γ) *formaliter*, eorum auctoritas eadem est ac Ecclesiae docentis auctoritas, cum Ecclesia magisterium suum ad fideles extenderet operâ Patrum praesertim. Si denique — δ) *iuridice*, non immerito dici potest Deum ipsum per Patres loquentem docuisse, tamquam sui legatos veluti *extraordinarios* idest singulari providentia suscitatos extra ordinarios Ecclesiae pastores, his tamen subordinatos: atque ideo *divina* gaudent auctoritate. Merito igitur Conc. Trid. [1] et Vatic. [2] anathema dicunt in eos, qui « contra unanimem consensum Patrum Scripturam sacram interpretari audent ».

242. Advertatur tamen non requiri ut unanimis Patrum consensus semper *directe* demonstretur, sed sufficit ut *indirecte* colligatur. Quod fieri potest *tripliciter* sc. — a) unanimis Patrum consensus optime infertur ex explorato Patrum *occidentalium* suffragio: quare ad rem s. Augustinus: « Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua « primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio « coronare ..... Non est ergo, cur provoces ad Orientis antistites, « quia et ipsi utique christiani sunt, et utriusque partis terrarum « fides ista una est, quia et fides ista christiana est [3]. Item — b) hic idem unanimis consensus rite infertur ex *plurium* Patrum testimonio, qui diversis aetatibus floruerint, ceteris non reclamantibus. Aliorum enim silentium est consensionis signum. Imo — c) ex *paucorum* testimonio inferri potest ceterorum consensus, si illi fuerint in iis rerum adiunctis, ut communem Ecclesiae fidem referre visi sint. Tales fuere Athanasius, Hilarius, Augustinus, Basilius pro mysterio Trinitatis; Cyrillus Alex., Sophronius, Leo M. pro mysterio Incarnationis; Augustinus, Prosper, Fulgentius pro divina gratia.

243. **Theologi** (n. 449-451) — Patrum periodum, quæ cum s. Bernardo clausa est (a. 1153), secuta est Scholae institutio, cuius est doctrinam a Patribus acceptam nova ac accuratiori methodo proponere et docere. Porro de Scholarum auctoritate duplex regula servanda est. I^a *regula:* « Consensus unanimis et constans Theologorum in doctrinam aliquam tamquam revelatam et de fide tenendam, certissimum est traditionis seu doctrinæ revelatæ criterium » — II^a *regula:* « Consensus unanimis et constans Theologorum in conclusionem aliquam, tamquam propositionem ex revelatis deductam vel cum iis connexam, talis est auctoritas, a qua sine nota temeritatis vel etiam erroris dissentire nefas sit ». Et revera — a) consensio Scholae in christiana institutione aequivalet singulis aetatibus ipsi Ecclesiae doctrinae. « Nam si

1. sess. 4. — 2. Const. *Dei Filius* c. 2. — 3. adv. Iulian. l. 1. c. 4. n. 3.

« qua in quaestione, ait Canus [1], universi theologi eadem inter se « concinunt, profecto si in eo errant, Ecclesiam item errandi periculo « exponunt. Sive enim qui confessionem audiunt, sive qui ad populum « conciones habent, utrique plebem instituunt, ut a Theologis acce- « perunt. Ita fit ut Ecclesia eorum in fide communem errorem dissi- « mulando, Christi fideles suo silentio deciperet ». Cuius argumenti crescit vis, si consideretur connexio inter Scholas et Ecclesiam: nam a saeculo XII. ad XVIII. nonnisi Ap. Sedis auctoritate Academias erigere fas erat, quae subinde sub iugi Ecclesiae tutela et vigilantia erant. Praeterea — b) Scholarum auctoritatem ipsamet Ecclesia magni facit: si quas enim damnavit haereses, si qua de fide et moribus decreta tulit, scholasticorum studio et diligentia plurimum adiuta fuit. Quare historiâ docemur, numquam fuisse unanimi consensioni in christiana institutione pertinaciter repugnatum, quin serius ocius incurreretur haeresis labes. Quapropter Martinus V. [2] damnavit prop. in Viclepho: « Universitates, studia, collegia, graduationes et magisteria in iisdem « sunt vana gentilitate introducta: tantum prosunt Ecclesiae, sicut « diabolus » — item Pius VI damnavit ut *falsas*, *temerarias* et debitae apostolicis constitutionibus obedientiae *derogantes* duas propp. Pistoriensium hac de re — item Gregorius XVI. damnavit opera Hermesii, et Pius IX. libros Guntherii, « eo quod *iniuriosas propositiones in catholicas scholas* continerent ».

244. **Sensus et consensus fidelium** (n. 452) — Hic quoque est tutum traditionis argumentum. « Fieri enim nequit, ad rem Hurter « (th. 28.) ut universi populi christiani sensus et consensus in fide « dissonus sit a praedicatione magisterii, quin — α) pereat indefectibi- « litas Ecclesiæ, quæ non ex pastoribus tantum, sed etiam ex ovibus « adhaerentibus praepositis suis coalescit: quin — β) fraudetur mini- « sterium ecclesiasticum eo fine, ad quem divinitus institutum est: « quin — γ) defuerit Christus suis promissis, quibus promisit Spiritum « veritatis, qui non sineret Ecclesiam aliter intelligere, aliter credere, « quam ipse per Apostolos praedicasset ». Hinc Pius IX. in Bulla *Ineffabilis Deus* de immaculato B. V. conceptu, inter divinae traditionis criteria recenset « singularem catholicorum antistitum ac *fidelium* conspirationem ».

CAPUT II.

De Sacra Scriptura.

245. **Scripturæ notio et divisio** (n. 454) — Scripturæ nomine intelligitur complexus quorundam librorum qui *divini* perhibentur

1. De locis l. 8. c. 4. — 2. Const. *Inter cunctas*.

quatenus divinitus inspirati *Deum habent auctorem*. Scriptura dividitur — a) ratione *temporis* in libros V. et N. T., quatenus ante vel post Christum scripti sunt — b) ratione *materiae* in libros *legales, historicos, sapientiales* et *propheticos*, quatenus vel leges continent — vel historias referunt — vel ad ingerendam hominibus veram sapientiam ordinantur — vel futura praedicunt.

246. Porro ex V. T. — α) libri *legales* quinque sunt nempe *Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri* et *Deuteronomium*, qui a Moyse conscripti *Pentateuchus* appellantur: — β) *historici* sunt *Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esther, Tobias, Iudith, duo Esdrae, Iob* et *duo Machabaeorum libri:* — γ) *morales* seu *sapientiales* sunt *Proverbia, Psalmi, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Liber Sapientiae, Ecclesiasticus:* — δ) *prophetici* sunt *Isaias, Ieremias, Baruch, Ezechiel, Daniel, Osee, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias.*

Ex N. T. — α) libri *legales* sunt *evangelia Matthaei, Marci, Lucæ, Ioannis:* — β) *historicus* est liber *Actuum Apostolorum* a s. Luca conscriptus: — γ) *morales* sunt 14 epistolae s. Pauli, nempe *ad Romanos*, duae *ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses*, duae *ad Tessalonicenses*, duae *ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos* — epistola una s. Iacobi, duae s. Petri, tres s. Ioannis, una s. Iudae: — δ) liber *propheticus* unus est sc. Apocalypsis s. Ioannis.

ARTICULUS I.

De humana Scripturæ auctoritate.

247. **Auctoritas humana** (n. 457) — Auctoritas *humana* seu *historica* ea est quae competit Scripturae quatenus est documentum fide dignum sicut cetera. Ad eius conceptum tria pertinent sc. *genuinitas — authentia — integritas*. Est *genuinitas* illa dos libri, qua reapse eum habet auctorem, cuius nomen praeseferat vel cui vulgo tribuitur, aut saltem conscriptus ea circiter aetate, ad quam refertur — *authentia* est illa qualitas libri, qua vera sunt quae in ipso narrantur propter scientiam et sinceritatem auctoris — *integritas* est illa dos libri, qua ipse immunis est a quavis sive interpolatione, sive mutilatione, sive simplici corruptione. Integritas autem esse potest *substantialis* vel *absoluta*, quatenus liber immunis est a quavis corruptione vel solum quoad rerum substantiam, vel etiam quoad accidentalia — Quoniam vero ad divinam revelationem constabiliendam Pentateucho potissimum et Evangeliis utuntur Theologi, idcirco in horum auctoritate propugnanda breviter hic immoramur.

248. **Conclusio I.** « *Pentateuchus historica auctoritate gaudet* » (n. 460-462). Nam — a) est *genuinus*. In omnibus enim codicibus et versionibus nomen Moysis in fronte scriptum constanter refert — semper tum a Iudaeis, a Moyse ad nostra usque tempora, tum a Samaritanis, tum a Christianis et a gentilibus Moysi adscriptus est — nonnisi post 30. et amplius saecula a quibusdam intemperantibus criticis, omni solido fundamento destitutis, dubitari coeptum est. Item — b) est *integer*, cum nullius corruptionis, saltem *substantialis*, argui possit, nec ulla corruptio possibilis fuerit. Nam — α) agitur de libro publico, in quo leges continentur formantes vitam domesticam, religiosam et civilem populi iudaici et in quo iura et officia privatorum, non secus ac magistratuum et sacerdotum continentur. Quare diversae hominum classes se invicem observasse credi debent, ne in sui detrimentum corruptio aliqua induceretur. Nec — β) post Christum corruptio aliqua facta fuit: a primis enim Ecclesiae saeculis in diversas linguas translatus est; et tamen omnes tum versiones, tum codices et exemplaria, ex diversissimis fontibus ad nos usque conservata, *quoad substantiam* inter se adamussim concordant. Item — c) est *authenticus:* Moyses enim — α) *probe novit, quae narrat:* factis enim quae narrat vel interfuit, vel a testibus fide dignis ea rescire potuit. Quae quatuor postremis libris narrat, ipsemet testis oculatus fuit; quae autem in Genesi et initio Exodi continentur, facile rescire potuit ab Aram patre suo, qui partim ea viderat, partim a Levi, cum quo plures annos vixit, doctus fuerat. Levi autem partim propria scientia didicerat, partim traditione accepta ab Isaac, cum quo 40 annis vixit: et ita porro Isaac a Sem, cum quo vixit 40 annis: Sem a Mathusalem, qui mortuus est, quando Sem iam ferme centesimum aetatis annum attigerat; Mathusalem ab Adam, cum quo plusquam duobus seculis vixit. Item — β) *noluit decipere:* maximum enim veracitatis argumentum apud criticos habetur, quando auctor nihil eorum occultat, quae in sui detrimentum vel in suae causae praeiudicium cedere possunt. Atqui Moyses eodem candore omnia patefacit, etiam personales suos defectus populique a se tantopere amati delicta et infamiam: ergo. Item — γ) *non potuit decipere.* Nam facta quae narrat, ita publica sunt et cum populi israëlitici institutione et fatis connexa, ut impossibile ipsi fuerit universum hunc populum, eorundem testem factorum, suis mendaciis in errorem inducere. Praeterea tota eius narratio eo tendit, ut populus ex consideratione mirabilium, quae Deus fecerat, sponte se submittat ad legem per se durissimam sectandam et cui observandae eius indoles quam maxime repugnabat. Quis ergo dicet, populum illum adeo stupidum fuisse, ut durissimam legem recipere voluerit ea consideratione factorum, quae in adversariorum hypothesi nunquam vidisset et quorum tamen uti testis invocabatur?

249. **Conclusio II.** « *Quatuor I. C. evangelia historica auctoritate gaudent* » (n. 465-470). Nam — a) sunt *genuina:* conspirant enim codices et versiones antiquissimae iam a saec. II. toti Ecclesiae notae, ut testatur Irenæus [1], quæ titulos secundum Matthæum, Marcum .... praeseferunt — item patres apostolici et saec. II. ut Clemens Rom., Ignatius, Hermas, Barnabas, Papias, qui evangelia Matthæi, Marci .... expresse nominant — haeretici antiquissimi necnon philosophi pagani, uti Celsus et Iulianus apostata, qui eandem genuinitatem admisere — suppositionis impossibilitas: Ecclesia enim, apostolicae traditionis religiosissima custos, minime passa esset spurias scripturas, ut Sp. Sancti oracula, circumferri, multoque minus sua auctoritate confirmasset. Item — b) sunt *integra.* Conspirant enim concordantia antiquorum codicum et versionum tum inter se, tum cum exemplaribus quae nunc habemus — consonantia doctrinae et factorum in ipsis libris in se spectatis — concordantia citationum, quae iam antiquis temporibus factae reperiuntur, cum exemplaribus adhuc extantibus — corruptionis impossibilitas. Si enim Catholici corrupissent, reclamassent haeretici; et si haeretici, reclamassent Catholici, sicut reapse reclamarunt contra Marcionitas, qui hoc sacrilegum opus aggredi ausi sunt. Item — c) sunt *veracia:* sacri enim scriptores — α) *probe noverunt* quod scripsere: Matthaeus quippe et Ioannes testes fuerunt oculares: « *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod manus nostrae contrectaverunt, et testamur et annuntiamus vobis* » [2]: Lucas vero et Marcus ea quae narrant, ab iis qui ab initio viderunt acceperunt [3]. Nec — β) *voluerunt decipere.* Nam eorum narratio adeo simplex et ingenua procedit, adeo a partium studio est aliena, adeo sibi cohaerens, et quae ipsius auctoribus dedecori essent necnon Magistri ignominiam non secus ac gloriam ita in palam profert, ut omnes praeseferat veracitatis characteres — Praeterea viri omnino rudes adeo mirabilem Christi vitam excogitare sine maximo miraculo haud potuissent, ut ipse Rousseau fatetur [4] — Adde eorum personalem characterem ab impostura abhorrere eorumque vitam honestissimam patefieri — Quid denique ad mentiendum eos allicere potuisset? Optime sciebant sibi parata esse acerbissima quaeque pro testimonio quod veritati perhibebant: haec de facto intrepide subierunt, at ne transversum quidem unguem ab incepto opere recesserunt. Nec — γ) *decipere potuerunt.* Nam quae ipsi narrant, ad homines dirigunt eventuum non ignaros — narrationes de mirabili Christi vita eo diriguntur ut contemporanei, superstitionibus et Iudaismo relictis, Christi doctrinam amplectantur, sicut reapse ingens hominum multitudo ad Christum conversa est. Quid ergo facilius gentilibus et iudaeis fuisset, quam Apostolos mendaces demonstrare?

1. Cont. haer. l. 3. — 2. ep. 1. Io. I. 2. — 3. Luc. I. — 4. Emile l. 4.

ARTICULUS II.

De divina Scripturarum inspiratione.

250. **Ecclesiae doctrina** (n. 472-473) — Hac de re docet Conc. Vatic. [1] repetens definitionem tridentinam: « Si quis s. Scripturae « libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos s. Tridentina « Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos « divinitus inspiratos esse negaverit A. S. ». Et in eodem cap.: « Eos « (libros) Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola « humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; « nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant: sed « propterea quod Sp. Sancto inspirante conscripti Deum habent « auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt » — Ex quibus liquet s. Scripturae libros censendos esse *divinos* non solum ratione *materiae* — nec solum ratione *modi* — sed etiam ratione *originis* seu *auctoris:* quae quidem Scripturae *divinitas* duplici aequivalenti formula ab Ecclesia exprimitur: *prima* est « Deus est auctor librorum Scripturæ »: *altera* est « Scriptura est divinitus inspirata ».

251. **Expenditur formula: Deus auctor Scripturae** (n. 474-476) — *Auctor* ille dicitur, a quo aliquid originem habet, ut a causa efficiente: si ergo Deus est auctor Scripturae, haec originem habet a Deo, tamquam a causa efficienti. Deus autem dicitur causa efficiens Scripturae non solum ut causa *prima* et *universalis*, quo modo est causa cuiusvis libri — nec tamen uti causa *particularis unica*, quia Deus ita dicitur auctor Scripturae, ut Scriptura simul dicatur divinitus *inspirata*, quod supponit subiectum inspirationem recipiens — sed ut causa particularis *principalis*, quae humano scriptore utitur, tamquam causa *instrumentali*. Haec ergo formula « *Deus est auctor Scripturae* » huic aequivalet: « *Deus est causa principalis Scripturae, humanus vero scriptor causa instrumentalis* ».

At quaeritur: quaenam Deo, causae principali tribui debent, quaenam homini, causae instrumentali? Advertatur — a) in quovis libro considerari posse *veritates* quae exprimuntur — *signa* quibus exprimuntur — *finem* qui ab auctore intenditur. Porro — b) *veritates* (res et sententiae) constituunt elementum *formale* libri, quod necessario tribuendum est auctori — *signa* (verba, stylus et rerum dispositio) *per se* constituunt elementum *materiale* libri, illud sc. quod auctori non est necessario tribuendum ut sit auctor talis libri — utrum vero et *signa* pertineant necne in casu concreto ad elementum *formale*, ex

1. Const. *Dei Filius* cp. 2. cn. 4.

fine auctoris diiudicandum est: sic ex. gr. in libro, cuius scopus esset rethoricus vel aestheticus, verba et stylus essent *per se* ab auctore intenta ideoque pertinerent ad partem *formalem* libri. Iuxta hanc ergo theoriam — c) *res et sententiae* (veritates), quae in Scriptura continentur, pertinent ad partem *formalem* Scripturae atque ideo ita a Deo auctore procedunt, ut *omnes* et *solas* veritates Scriptura contineat, quas Deus scribi voluit — *verba*, quantum est ex conceptu *auctoris libri*, non pertinent ad partem *formalem*, cum Deus ea relinquere potuerit humani scriptoris electioni: quandoque tamen a Deo suppeditari potuerunt, praesertim in mysteriis exprimendis — specialis tamen assistentia agnoscenda est, ut humanus scriptor apta selegerit vocabula.

252. **Expenditur formula: Scriptura est divinitus inspirata** (n. 477) — Uti constat ex nuper dictis, inspiratio ad rem nostram est « *illa actio Dei causae principalis in humanos scriptores causas instrumentales, vi cuius Scriptura habet Deum auctorem* ». Proinde ad eius conceptum *triplex* elementum concurrit sc. — a) *motio efficax voluntatis* humani scriptoris ad scribendum — b) *illustratio intellectus*, vi cuius scriptoris mens ea omnia et ea sola concipiat, quae Deus scribi vult: propterea si revelatio sumitur sensu *lato* pro manifestatione veritatis etiam antea non occultae, ipsa ad inspirationis essentiam pertinet: si vero revelatio sumitur *stricto* sensu pro manifestatione *rei occultae*, non semper cum inspiratione coniungitur: hinc inspiratio alia *revelativa*, alia mere *instinctiva*. Denique — c) *assistentia* divina, ne scriptor vel aliqua omittat ex iis, quae Deus litteris consignata vult, vel aliquid addat, nec praeterea verba inepta adhibeat ad sensa divinitus concepta exprimenda. Sic igitur cum cl. Patrizii [1] inspiratio definiri potest: « *Dei actus hominem excitans ad ipsius sensa scripto excipienda* ».

253. **Conclusio unica** — « *Scriptura V. et N. Testamenti est divinitus inspirata seu Deum habet auctorem* » (n. 478-483) — Conclusio est *de fide catholica*. Ac — a) *quoad libros V. T.* dissertis verbis asseritur eorum inspiratio; universim enim de libris V. L. ait Petrus [2]: « *Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* ». Atqui prophetiae nomine veniunt non solum libri prophetici in sensu *specifico* idest libri *vaticinia continentes*, sed omnes libri V. T. in Iudaeorum canone contenti qui appellantur prophetici in sensu *generico*, quatenus sc. scripti sunt a *prophetis* idest ab hominibus agentibus *sub extraordinaria Dei actione*: « prophetae enim, ait Philo iudaeus [3], sunt inter-

1. *De Divinit. Script.* § 4. — 2. 2. Pet. I. 20. — 1. *De Monarch.* I. pag. 820.

« pretes Dei qui illis utitur tamquam organis ad manifestationem eorum « quae vult »: ergo — Item Apostolus [1] ait: « *Tu vero permane in iis, quae didicisti ..... Ab infantia sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Iesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia* ». Atqui Scripturae nomine intelligit saltem Scripturam V. T. quam Timotheus ab infantia didicerat: ergo. Item — b) *quoad libros quosdam N. T.* res patet. Sic e. g. epistolas s. Pauli esse ispiratas, equivalenter docet s. Petrus, qui de eisdem ait: « *In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem* » [2]. Atqui certum est *Scripturae* nomine penes iudaeos, Christum et Apostolos venire libros quosdam et singulos eorum textus divinitus inspiratos: ergo epistolae Pauli sunt divinitus inspiratae: tunc autem temporis erant vel plane omnes scriptae, vel una 2. Tim. excepta — Item evangelia Matthaei et Lucae esse divinitus inspirata innuere videtur s. Paulus, qui ait [3]: « *Dicit Scriptura: Dignus est operarius mercede sua* »: quae sententia hisce verbis concepta non occurrit, nisi apud Matth. (X. 10.) et Luc. (X. 7.) — Denique — c) *universim quoad libros V. et N. T.* ex traditione constat. Quod enim ubique et semper creditum est, ab Apostolis et Christo descendere censeri debet. Atqui in Ecclesia semper et ubique creditum est libros Scripturae etiam N. T. esse divinitus inspiratos: ergo — *Prob. min.* Patres diserte asserunt Scripturas esse *conscriptas per Sp. Sanctum:* sic e. g. s. Chrysost. [4]: « Scripturae divinae, ut« pote Sp. Sancto conscriptae, magnum continent thesaurum ab« sconditum »: idcirco Scriptura vocat [5] epistolam Omnipotentis Dei: « Deus velut longe absentibus litteras misit, quas quidem litteras « dedit quidem Deus, attulit autem Moyses »: imo diserte explicant Patres Deum esse causam principalem, hominem vero causam instrumentalem scriptionis, adeoque sacrorum librorum scriptionem non humanam, sed divinam esse affirmant: « Quis haec scripserit, ait « Gregorius M. [6], valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor « libri Sp. Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui scri« benda dictavit. Ipse scripsit, qui et in illius opere inspirator extitit « et per scribentis vocem imitanda ad nos eius facta transmisit ».

254. **Corollarium** (n. 484) — Expositus inspirationis conceptus omnino genuinus et completus est, utpote quem adamussim documentorum Ecclesiae expolivimus. Pervertunt autem inspirationis in-

1. 2. Tim. III. 14. - Cf. Franzelin l. c. — 2. 2. Pet. III. 16. — 3. 1. Tim. 1. 4. hom. 21. in Gen. n. 1. — 5. hom. 2. in Gen. n. 2. — 6. Præf. in l. Iob. n. 2.

dolem — a) illi qui cum Ioanne Iahn [1], quem sequi videntur Contenson, Iansens et Calmet, eam reponunt in *mera assistentia divina*, qua scriptores ab omni errore praeservantur immunes, ea ratione qua Sp. Sanctus assistit conciliis oecumenicis vel R. Pontifici, ne errent. Item — b) illi qui cum Haneberg et Movers [2] eam constituunt in solo testimonio divino seu in sola approbatione Ecclesiae librum aliquem solâ humanâ industriâ concinnatum inserentis in canonem Scripturarum; quam approbationem vocarunt *inspirationem subsequentem:* quæ sententiæ post Conc. Vat. tamquam falsæ habendæ sunt. Revera ex datis definitionibus Scriptura ita credi debet divinitus inspirata, ut Deus sit eius *auctor*. Atqui notio *auctoris* importat positivum influxum praevium in effectum producendum, et in re nostra in librorum scriptionem: ergo nec sola Dei assistentia, quae profecto non est *influxus*, nec sola *subsequens* approbatio, quae non est influxus *prævius*, conceptum inspirationis exhaurit.

ARTICULUS III.

De divinae inspirationis extensione.

255. **Prologus** (n. 485) — Duo quæruntur sc. quæ sit inspirationis extensio *in singulis libris*, qui inspirati perhibentur — quae sit inspirationis extensio *quoad numerum* librorum.

256. **Declaratur prima quaestio** (n. 486) — Inspiratio quae extenditur tantum ad res et ad sententias, dicitur *substantialis*, quae quidem esse potest *generalis* vel *particularis*, prouti refertur vel solummodo ad argumentum generale libri, vel etiam ad singulas sententias — inspiratio vero quae ad ipsa verba extenditur, dicitur *verbalis*. Porro duplex excessus hic vitari debet: *primus* est systema quod *schola nova* vel *laxa* nuncupatur [3], quodque statuit Scripturam esse infallibilem *in rebus fidei et morum*, minime autem in rebus mere scientificis et historicis, quia divina inspiratio vel ad has materias non extenditur, vel si extenditur, ad eas tamen non extendit suae infallibilitatis effectum; quod iam opinati fuerant Holden, Grotius, Spinoza, Erasmus, Episcopius et plures inter anglicanos episcopales — *Alter* excessus est quorundam Theologorum et Interpretum, qui defenderunt inspirationem *verbalem* et quidem *perfectam*, nempe quoad omnia Scripturae verba — Nos autem tuemur quidem inspirationem *substantialem* tantum, simul vero eam quae *particularis* appellatur ita

1. *Introd.* in V. T. th. 1. § 29. — 2. apud Franzelin th. 2. et 4. - Cf. Mazzella l. c. — 3. quod systema propugnavit Hulst antistes et contra quod praesertim est epistola encyclica *Providentissimus Deus* Leonis XIII. die 18 nov. 1893 *de studiis Scripturæ Sacræ.*

ut ad res quoque scientificas et historicas extendatur et in iis infallibilitatem importet.

257. **Declaratur altera quaestio** (n. 487) — Quaeritur secundo quinam sit Scripturarum *canon,* quo nomine venit collectio librorum, qui tamquam sacri et divinitus inspirati habentur. Quocirca libri *canonici* intelliguntur libri in Scripturarum canone inserti, et *canonicitas* libri est eiusdem libri inspiratio exterius manifestata eo manifestationis modo, quo iuxta Christi institutionem cetera dogmata authentice declarantur.

At quaenam sunt *criteria* inspirationis? Protestantes nonnulli provocant ad characteres *internos* libris ipsis inspiratis, et quatuor assignant sc. *historicum,* quod constituunt in miraculis et prophetiis in Scriptura comprehensis — *dogmaticum,* quod collocant in sanctitate, sublimitate et consensione doctrinae, quae in sacris libris continetur — *empiricum,* quod repetunt ex miris effectibus, quos animi legentium ex vi et efficacia verbi Dei experiuntur — *aesteticum,* quod situm esse dicunt in sublimitate et simplicitate dictionis. Qui ergo libri hisce characteribus gaudent, iuxta protestantes censendi sunt divinitus inspirati — Alii vero adhuc ex protestantibus, duce Ioanne David Michaëlis [1], statuunt criterium *positivum* et *exclusivum* ad sacros N. T. libros dignoscendos esse *munus apostolatus,* quo scriptores fuerunt instructi — At vera doctrina statuit, medium, a quo integrum Scripturae canonem sumamus oportet, esse *vivum et authenticum magisterium* a Christo institutum ad custodiendum et propagandum christianae revelationis depositum: quo reiecto nulla amplius suppetit via cognoscendi canonem Scripturarum, non quomodocumque, sed *cum omnimoda certitudine — authentice — modo omnibus accomodato — pro omnibus libris omnibusque eorum partibus.* Hunc autem canonem in divino testimonio contentum solemniter proposuit Conc. Trid. [2] confirmavitque Vatic. [3] et ille est, quem supra recensuimus (n. 246).

258. **Conclusio I.** « *Etsi* — 1° *non sit necessario admittenda inspiratio verbalis, tamen* — 2° *admitti debet inspiratio substantialis particularis, atque ita* — 3° *ut vi inspirationis Scriptura infallibilis evadat etiam in rebus ad scientiam et historiam pertinentibus* » (n. 492-495) — Conclusionis 1ª et 2ª pars est *de fide catholica.*

Prob. 1. pars — Ex tradito inspirationis conceptu verba *per se* non pertinent ad elementum *formale* libri: ergo inspiratio, cum factum sit contingens et ex divina voluntate pendens, ad verba non est extendenda, nisi id ex revelatione constet. Atqui ex revelatione minime constat Deum verba quoque inspirasse: ergo.

---

1. Intr. in N. T. t. 1. c. 3. — 2. sess. 4. — 3. Const. *Dei Filius* cp. 2.

Prob. 2. pars — Ecclesiae doctrina hac in re omnino explicita est. Nam — a) Conc. Trid. definitionem florentinam secutum ait [1]: « Sa-« crosancta oecumenica tridentina synodus omnes libros tam V. quam « N. T., cum utriusque unus Deus sit auctor, pari pietatis affectu « et reverentia veneratur. Si quis autem libros ipsos integros, cum « omnibus suis partibus, prouti in Ecclesia catholica legi consueve-« runt, pro sacris et canonicis non susceperit, A. S. ». Quare: omnes Scripturae partes, nulla distinctione facta inter partes dogmaticas vel morales et partes scientificas vel historicas, *pari* pietatis affectu et reverentia vererandae sunt, ac pro sacris et canonicis suscipiendae sunt. Atqui partes dogmaticae et morales ideo dignae sunt pietatis affectu et reverentia et pro sacris et canonicis sunt habendae, quia Deus est earum auctor seu quia sunt divinitus inspiratae: ergo idem dicendum de partibus scientificis et historicis. Quod — b) magis explicite tradit Conc. Vatic. [2]: « Si quis sacrae Scripturae libros inte-« gros *cum omnibus suis partibus*, prouti illos sancta tridentina sy-« nodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut *eos di-« vinitus inspiratos* esse negaverit, A. S. ». Hinc Leo XIII. in cit. epist. encycl.: « Nefas omnino fuerit inspirationem ad aliquas tantum « sacrae Scripturae partes coangustare. Etenim libri omnes atque « integri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, *cum « omnibus suis partibus, Sp. Sancto dictante, conscripti sunt* ».

Prob. 3. pars — Semel admissa extensione inspirationis ad omnes et singulas Scripturae partes, negari nequit immunitas ab errore in omnibus et singulis iisdem partibus, quin vel pervertatur divinae inspirationis conceptus, vel inducatur Deus tamquam auctor mendacii. Reipsa enim, iuxta Ecclesiae documenta, haec duo sc. Scripturam esse divinitus inspiratam et ipsam Deum habere auctorem, omnino convertuntur: ergo quidquid in Scriptura est divinitus inspiratum, Deum habet auctorem; quidquid vero Deum non habet auctorem, nec divinitus inspiratum censendum est. Atqui partes quoque scientificae et historicae sunt divinitus inspiratae, ut nuper probatum est nec concedere recusant auctores *novae scholae:* ergo et harum partium auctor est Deus. Nunc pone in hisce partibus errorem irrepsisse. Nonne auctor erroris ille esset qui est auctor partis sc. Deus? Ad rem monet Augustinus [3]: « In Scriptura si quid veluti absurdum « moverit, non licet dicere: auctor huius libri non tenuit veritatem, « sed aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non in-« telligis »: et alibi [4]: « Admisso semel in tantum auctoritatis fasti-« gium officioso aliquo mendacio (aut errore), nulla illorum librorum

1. Sess. 4. — 2. Const. *Dei Filius* c. 2. cn. 4. — 3. l. 11. cont. Faust. n. 5. — 4. ep. 28. ad Hieron. n. 3.

« particula remanebit, quae non ut cuique videbitur vel ad morum « difficilis, vel ad fidem incredibilis eadem perniciosissima regula ad « mentientis auctoris consilium officiumque referatur ». Advertatur tamen omnia quidem, quae in Scripturis continentur, esse *scripta* ex divina inspiratione, minime vero ex divina inspiratione *dicta*.

259. **Solvuntur difficultates** (n. 496-497). *Obiectio I. — Inspiratio est divinus impulsus ut humanus scriptor litteris consignet quae in mente gerit. Atqui scriptor errorem in mente gerere potest: ergo inspiratio non necessario secum fert infallibilitatem.* Ita Hulst.

Resp. neg. mai. — Talis enim conceptus inspirationis — a) *incompletus* est. Et re quidem vera Conc. Vat. l. c. ait: « Ecclesia pro « sacris et canonicis eos libros habet, non ideo quod solâ humanâ in- « dustriâ concinnati, sua deinde auctoritate sunt approbati; nec ideo « dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant, sed propterea « quod Sp. S. inspirante conscripti, Deum habent auctorem ». Atqui hisce verbis Concilium tradit, requiri quidem ad conceptum inspirationis *divinum impulsum* ad scribendum, at simul docet obiectum scriptionis inspiratae esse res aliquo modo *divinitus revelatas* (n. 252) hasque contineri *sine errore* in libris inspiratis: ergo. Praeterea — b) ille conceptus est *absurdus*. Si enim humanus scriptor errorem gerit in mente, repugnat omnino Deum illum *inspirare* ad scribendum; in tali enim hypothesi Deus esset auctor *scriptionis erroris*, quod aeque repugnat ac ipsum esse auctorem erroris.

260. *Obiectio II. — Extensio inerrantiae in libro inspirato determinanda est a fine inspirationis. Atqui hic fuit dogmaticus et moralis: ergo non extenditur ad res scientificas et historicas.* Ita Hulst.

Resp. neg. suppos. — Auctores enim *novae scholae* supponunt — a) partes sive historicas, sive scientificas Scripturae non conducere ad spiritualem hominis utilitatem. Atqui ex Apostolo [1]: « *Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus* »: ergo. Supponunt — b) res historicas et scientificas nec cum fide connecti, nec esse fidei obiectum. Atqui scite ait Angelicus [2]: « Fidei obiectum *per se* est id « per quod homo beatus efficitur; *per accidens* autem aut *secundario* « se habent ad obiectum fidei omnia quae in sacra Scriptura divinitus « tradita continentur; sicut quod Abraham habuit duos filios, quod « David fuit filius Isai et alia (facta historica) huiusmodi ». Hinc alias [3] concludit: « quidquid in sacra Scriptura continetur, verum « est; alias qui contra hoc sentiret, esset haereticus ».

261. **Conclusio II.** « *Divina librorum inspiratio neque — 1° ex cha-*

1. Rom. XV. 4. coll. 2. Tim. III. 16. — 2. 2. 2. q. 2. a. 5. — 3. Quodlib. 12. a. 26. cf. 1. p. q. 6. a. 1.

racteribus internis: neque — 2° ex munere apostolatus: sed — 3° nonnisi ex divino testimonio addisci potest » (n. 498-502).

Prob. 1. pars — Eatenus — a) characteres interni, a protestantibus assignati, essent certa inspirationis criteria, quatenus eorundem characterum causa alia esse non posset, quam divina inspiratio. Atqui id *gratuito* affirmatur: pone enim illos libros continere doctrinam divinitus revelatam, quamvis non ex divina inspiratione scriptam, et iam illos characteres sufficienter explicaveris. Accedit — b) characteres illos, si *collective* sumantur, non omnibus libris divinitus inspiratis inesse, illis non exceptis quos protestantes in suo canone habent — si vero *distributive* spectentur, sequitur innumerabiles prorsus esse libros inspiratos, cum facile sit illos reperire in aliis quoque scriptis, quae ne a protestantibus quidem habentur ut inspirata: tales ex. gr. sunt epistolae s. Ignatii, s. Polycarpi, s. Clementis.

Prob. 2. pars — Munus apostolatus vel sumitur ut criterium inspirationis *positivum*, quasi charisma inspirationis ad scribendum fuerit *apostolatui adnexum*, vel ut criterium *negativum* et *excludens*, quasi idem charisma *solis Apostolis* concessum fuerit. Atqui — a) *primum* excluditur ex facto ipso, quo videmus non omnes Apostolos scripsisse — b) si *alterum* ponitur, exinde sequitur, e librorum inspiratorum censu contra totius antiquitatis sensum excludenda esse evangelia Marci et Lucae, necnon Actus Apostolorum, quia horum auctores non fuere Apostoli: ergo.

Prob. 3. pars — Inspiratio est factum *supernaturale* et *psycologicum* seu *internum:* ergo cognosci nequit nisi vel ex effectibus externis, idest ex characteribus libro inspirato inhaerentibus — vel ex testimonio ipsius hominis inspirati — vel ex testimonio Dei. Atqui — α) effectus externi nulli sunt, ut ante probavimus: — β) testimonium hominis inspirati, cum sit testimonium *unius* de facto *interno* et *supernaturali,* impar est ut *omnes* fide *divina* credere *teneantur* esse divinitus inspirata quae ab eodem homine conscripta sunt. Quod si testimonium hoc miraculis confirmetur, iam ad *divini* testimonii dignitatem elevatur. Superest ergo divina testificatio vel *mediata* vel *immediata.*

262. **Conclusio III.** « *Divinum testimonium pro integro Scripturarum canone — 1° in sola Scriptura haud continetur, sed — 2° divina traditione nobis conservatum est* » (n. 503-505).

Prob. 1. pars — Qui ex protestantibus interna inspirationis criteria reiiciunt, contendunt — a) canonem V. T. ex testimonio Scripturae N. T. confici posse hoc modo: Scriptura N. T. testatur divinam inspirationem Scripturae V. T. Atqui historice constare nobis potest quinam fuerint libri in Iudaeorum canone comprehensi: ergo. At ceteris omissis, animadvertimus hoc testimonium Scripturae N. T. de inspiratione illorum librorum, qui Christi et Apostolorum tempore

a Iudaeis agnoscebantur tamquam divini, esse quidem *affirmans*, non autem *excludens* i. e. nullos alios esse libros V. T. inspiratos. Eo vel magis quod constat, apud Iudaeos praeter commemoratos libros fuisse in magna veneratione alios, qui dubii manebant, utrum eiusdem essent auctoritatis ac primi, quia « non satis perspecta erat successio prophetarum » idest scriptorum inspiratorum. Deinde — b) pro inspiratione Scripturae N. T. argumentantur ex verbis Petri et Pauli supra n. 253. relatis. Verum animadvertimus testimonium Petri valere pro epistolis Pauli tantum, excepta fortasse 2. ad Tim.: testimonium autem Pauli valere tantum pro evangeliis Matthæi et Lucæ, uti ibi diximus. Unde ergo probabitur divina inspiratio aliorum librorum, qui postea prodierunt?

Prob. 2. pars — Divinum testimonium pro integro Scripturarum canone est particula quaedam divinae revelationis. Atqui ex sola Scriptura non colligitur: ergo ad alterum revelationis fontem recurrendum est sc. ad divinam traditionem.

263. **Scholion** — *De libris deuterocanonicis* (n. 506-508) — Dicuntur *protocanonici* libri illi, de quorum inspiratione nulla unquam in Ecclesia fuit dubitatio: *deuterocanonici* illi, de quorum auctoritate aliquando fuit apud aliquos anceps sententia. Hi autem sunt ex V. T. libri Baruch, Tobiae, Iudith, Sapientiae, Ecclesiastici, I. et II. Machabaeorum: partes quaedam librorum sacrorum, nempe hymnus trium puerorum (Dan. III. 24. — 90.), historia Susannae et destructio Beli et draconis (ibid. XIII. et XIV.), et septem postrema capita Esther — ex N. T. sunt epistolae ad Hebr., Iacobi, II. Petri, II. et III. Ioannis, Iudae et Apocalypsis, caput XVI. Marci a v. 9., historia sudoris sanguinei Christi (Luc. XXII.) et historia mulieris adulterae (Io. VIII.).

Verum haec distinctio inter libros protocanonicos et deuterocanonicos inservit quidem ad historiam cognoscendam; at post Conc. Trid. omnes libri eiusdem auctoritatis habendi sunt: proinde pessime errant nonnulli, qui cum Iahn [1] asserunt per decretum tridentinum eiusmodi distinctionem non fuisse sublatam. Sane — a) Synodus Tridentina testatur se *pari pietate et reverentia* suscipere omnes libros V. et N. T., quos deinde recenset, cum *utriusque testamenti auctor sit Deus*. Atqui postea libros protocanonicos et deuterocanonicos *promiscue* enumerat: ergo. Item — b) decretum sic clauditur: « Si quis autem « libros ipsos (utique recensitos, inter quos deuterocanonici) integros « cum omnibus suis partibus pro sacris et canonicis non susceperit « A. S. ». Item — c) scopus decreti fuit, ut testatur etiam Pallavicini [2] et Sarpi [3], ut « omnes intelligant, quibus potissimum testimoniis ac

1. Intr. in V. T. l. 1. § 30. — 2. l. 6. c. 11. — 3. l. 2. pag. 149.

« praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia « moribus s. Synodus sit usura ». Ergo libri omnes a Tridentino recensiti eiusdem auctoritatis esse asseruntur.

ARTICULUS IV.

De authentia vulgatae.

264. **Decretum tridentinum** (n. 509-510) — Concilium Trid. [1] authenticam declaravit veterem latinam *vulgatam versionem*, aiens: « Eadem s. Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse « Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis versionibus, quæ circumferuntur, « sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, « statuit et declarat, ut haec ipsa *vetus et vulgata editio*, quae longo « tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectio- « nibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro au- « thentica habeatur, et ut nemo eam reiicere audeat vel presumat ». Porro — a) hoc decreto approbatur *vetus vulgata latina editio*, quo nomine intelligitur illa latina versio, quam *maxima ex parte* ad textus originales adornavit s. Hieronymus: — b) eodem decreto approbatur vetus vulgata editio, *quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est:* quae verba significant, approbationem tridentinam non cadere in codicem aliquem particularem, sed in ipsam versionem, quae haberi poterat ex collatione diversorum codicum, qui in Ecclesia adhibebantur: — c) eodem decreto approbatur vetus vulgata *ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur:* ex quibus patet Vulgatam probatam fuisse in comparatione cum *latinis editionibus*, quae tunc temporis circumferebantur, non vero cum *textibus originalibus* nec cum antiquioribus versionibus, quae in sua, qua prius gaudebant, auctoritate manserunt: — d) Concilium non utcumque probavit veterem Vulgatam, sed quatenus declaravit *authenticam;* quod postremum est accuratius perpendendum.

265. **Authentia** (n. 511) — *Authentia* iuxta vim vocis idem est ac *auctoritas:* idcirco liber *authenticus* idem est ac liber auctoritatem faciens. Porro — a) authentia quae competit Vulgatae, non est *originalis* quae competit solis *autographis*, sed *conformitatis* cum textibus originalibus. Haec autem — b) non modo est *interna*, sed etiam *externa* seu *manifestata* et *cognita* per authenticam declarationem auctoritatis publicae h. e. per declarationem tridentinam. At — c) proprie hic quaeritur an authentia Vulgatae sit *absoluta* h. e. quoad partes tum *principales*, tum *minus principales* — an e contra *respe-*

1. Sess. 4. cfr. Conc. vat. Const. *Dei Filius* ep. 2.

ctiva tantum sc. quoad partes *principales tantum*, etsi in rebus *levioris momenti* ab autographo forte recedat. Porro communior sententia tuetur, vi decreti tridentini Vulgatae non esse vindicandam nisi authentiam *respectivam*. In Scripturis scilicet distingui debent textus *simpliciter dogmatici*, in quibus continentur « res fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentes »; et textus *dogmatici secundum quid*, qui continent adiuncta historica, chronologica et geographica resque minoris momenti, quae nonnisi in ordine ad textus *simpliciter* dogmaticos referuntur. Idcirco authentia, quam vi decreti tridentini adscribimus Vulgatae, non est *absoluta* sc. quoad textus dogmaticos tum *simpliciter*, tum *secundum quid;* sed tantum *respectiva* sc. quoad textus *simpliciter dogmaticos* [1].

266. **Conclusio unica** — « *Authentia quae vi decreti tridentini competit Vulgatae non est necessario absoluta, sed solum relativa* » (n. 512-514) — Revera — a) authentia *absoluta* non exigitur *a fundamento et scopo definitionis*. Illud enim fuit universalis et antiquissimus Ecclesiae usus, iste autem, ut nobis constaret de fontium sinceritate, ex quibus depromuntur testimonia ad confirmanda fidei dogmata et instaurandos in Ecclesia mores. Atqui ex hoc utroque colligi quidem potest autentia *respectiva*, non autem necessario exigitur *absoluta:* ergo. Imo — b) *ex adiunctis declarationis* excluditur: Concilium enim agnoscens Vulgatam indigere emendatione, illud negotium Pontifici commendavit; ac deinde constat Sixtum V. et Clementem VIII. manum admovisse ad emendationem Vulgatae. At vero — c) authentia *respectiva* aperte colligitur *ex decreto Concilii*, quod ita habet: « Si « quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout « in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina « editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit A. S. ». Quare: omnes libri (a Tridentino recensiti) omnesque eorum partes, prouti in Vulgata continentur, eatenus sacri sunt et authentici, quatenus vulgata versio textibus originalibus conformis est. Atqui non ita se haberet Vulgata, nisi saltem authentiâ *respectivâ* gauderet: ergo — *Confirm.* ex fundamento et scopo decreti, uti antea diximus.

267. **Scholion.** — *Distinctior comparatio Vulgatae cum textu originali* (n. 515) — Quae nuper exposuimus, ut distinctius explicemus,

1. Aliis verbis: quia ex Conc. Trid. et Vatic. divina inspiratio seu authentia *originalis* extenditur ad omnes partes librorum sacrorum, idcirco authentia *conformitatis* quoad Vulgatam extenditur ad omnes eius partes, quatenus (pro Vulgata) partium nomine intelliguntur *omnes illi textus*, qui iuxta Card. Franzelin (De Deo Trin. th. 4.) — a) certo sunt *per se* dogmatici h. e. ad confirmanda dogmata et christianorum morum regulam pertinentes: quique — b) tamquam verbum Dei scriptum, fuerunt ab Ecclesia longo sæculorum usu suscepti atque in Vulgata legi consueverunt.

haec cum Card. Franzelin [1] ex ordine adhuc notamus — a) Dogma, quod expressum extat in Vulgata, non deerat in textu originali: quo sensu admitti nequit diversitas negativa *discrepantiae*. Iuxta hanc regulam textus Vulgatae [2]: « *Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Sp. Sanctus, et hi tres unum sunt* » omnino genuinus est. At — b) deesse potest in Vulgata textus dogmaticus qui fuerit in originali; ut ex. gr. « *Praeparatur voluntas a Domino* »: et « *Nisi credideritis, non intelligetis* » [3], quae desunt in Vulgata. Nec — c) ullus textus dogmaticus in Vulgata potest aliud dogma exprimere, quam in respondente textu originali: quo sensu admitti nequit diversitas positiva *discrepantiae realis:* hinc textus Vulgatae [4]: « *Ipsa* (Virgo) *conteret caput tuum* » non adversatur textui originali « *Ipse* (Christus, semen mulieris) *conteret caput tuum* ». Concedi potest — d) discrepantia *modalis,* ut dogma in Vulgata non eodem modo sit expressum, quo in originali. Sic ex. gr. dogma de *peccato originali* [5] et de *aeterna Filii generatione* [6] clarius exprimitur in Vulgata, quam in textu primigenio. Multo minus — e) admitti potest diversitas *contradictionis* inter Vulgatam et textum originalem, adeo ut in Vulgata aliquod dogma affirmetur, quod negetur in originali textu vel vicissim. Huc spectat *apparens* contradictio, quae obiicitur ex 1. Cor. (XV. 51.): in Vulgata legimus: « *Omnes quidem resurgemus* (asseritur universalitas mortis et resurrectionis in genere), *sed non omnes immutabimur* (negatur universalitas resurrectionis gloriosae) »: in textu vero originali: « *Non omnes dormiemus* (non negatur universalitas mortis, sed status habitualis mortis), *sed omnes immutabimur* (affirmatur universalitas resurrectionis in genere, quae proinde supponit universalitatem mortis) ».

ARTICULUS V.

De sacrae Scripturae interpretatione.

268. **Protestantes** (n. 516) — Protestantium doctrina hac in re ita habet: — a) Scriptura vel est ita clara, ut interprete non indigeat, vel, si quae adsit obscuritas, ea reperitur in rebus tantum minoris momenti: — b) quibus vero in locis Scriptura obscura est, praesto sunt duo interpretationis media, nempe privatum cuiusque hominis examen et interna Sp. Sancti inspiratio (n. 56).

269. **Ecclesia** (n. 517) — At in catholica doctrina — a) asserta

1. th. 19. — 2. 1. Io. V. 7. - cf. de hoc textu Franzelin *De Trin.* th. 4. - quæstio vero in favorem genuinitatis huius textus soluta est a S. O. C. 13 ian. 1897. — 3. Prov. VIII. 35. - Is. VII. 9. secundum 70 Interpretes. — 4. Gen. III. 15. — 5. Iob. XIV. 4. — 6. Ps. 109.

imprimis Scripturae obscuritate etiam in rebus fidei et morum — b) duplex interpretatio distinguitur sc. *exegetica* et *dogmatica:* exegetica est scientifica Scripturae expositio, quae a privatis doctoribus fit; dogmatica ea est, qua *authentice* de vero Scripturarum sensu constat, adeo ut fideles obsequium fidei ei praestare teneantur — c) Haec ad solum Ecclesiae magisterium pertinet. Qua de re Conc. Trid. [1]: « Ad « coërcenda petulantia ingenia decernit (Synodus), ut nemo suae « prudentiae innixus in rebus fidei et morum ad aedificationem do- « ctrinae christianae pertinentium s. Scripturam ad suos sensus con- « torquens contra eum sensum, quem tenuit ac tenet s. Mater Ec- « clesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scriptu- « rarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum « ipsam Scripturam sacram interpetari audeat [1] ». Hinc

270. **Conclusio I.** « *In rebus quoque fidei et morum Scriptura obscura est* » (n. 518) — Revera constat — a) ex verbis Petri [2], qui de epistolis Pauli ait: « *In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem* ». Atqui hic certe agitur de iis quae ad fidem et mores pertinent; nam qui Scripturas depravant, *perditionem sibi adsciscere* dicuntur: ergo. Profecto — b) causae obscuritatis plures in scripturis occurrunt, quae praesertim sunt: mysteria, vaticinia, locutiones figuratae et allegoriae apud nos minus usitatae, typi, hebraismi, apparentes contradictiones, repentini transitus de litterali ad translatum sensum, de uno ad aliud obiectum, ex. gr. de primo adventu Christi ad secundum, de Christo secundum unam naturam spectato ad eundem Christum secundum alteram naturam inspectum etc.

271. **Conclusio II.** « *Solius Ecclesiae est iudicare de vero Scripturarum sensu* (n. 519-520) — Revera — a) utraque regula protestantica fidei *unitati* adversatur: tum enim interior Sp. Sancti inspiratio, quae valde est illusionibus obnoxia, tum ratio individualis, ad opinio-

1. Sess. 4. — 2. Non defuerunt, præeunte Iahnio, qui hoc decretum prave exponerent, vocem *sensum* accipientes non pro aliquo sensu determinato in peculiari aliquo Scripturæ testimonio, sed generatim pro *doctrina*. Sic e. g. quilibet intelligere potest, prouti vult, verba Iacobi (V. 14.). « *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, etc.....* » dummodo non neget Extremam Unctionem esse verum sacramentum, quamvis constet, textum Iacobi ab Ecclesia intelligi de sacramento Extremæ Unctionis. At Concilium Vaticanum (C. *Dei Filius* c. 2.) hanc falsam decreti intelligentiam proscripsit his verbis: « Nos idem decretum renovantes « hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum ad aedifica- « tionem doctrinæ christianæ pertinentium, is pro vero sensu S. Scripturae « habendus sit, quem tenuit ac tenet S. Mater Ecclesia, cuius est iudicare de « vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum: atque ideo nemini licere « contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam « Scripturam sacram interpretari ». — 3. 2. Pet. III. 16.

num potius diversitates conducunt: quod confirmatur ex ipsa protestantium historia, qui privato examini relicti quotidie in novas sectas dividuntur ac subdividuntur, adeo ut non aliam nunc unitatem retineant, quam *negativam* sc. oppositionis ad Ecclesiam catholicam. E contra — b) medium a Christo institutum ad conservandam doctrinam revelatam est vivum magisterium pastorum Ecclesiae: ergo doctrina quoque, quae in Scriptura continetur, est sub eiusdem magisterii custodia et auctoritate. Atqui doctrina Scripturae non est tantum verbum *materiale*, talibus formulis et theorematis expressum, sed etiam et praesertim *sensus* et *intellectus genuinus* verborum, quem Sp. Sanctus scripturarum auctor intendit. Ergo custos et legitimus interpres Scripturae est magisterium a Christo institutum.

272. **Scholion I.** — *De multiplici Scripturae sensu* (n. 521) — Scripturæ sensus distingui solet in *litteralem, mysticum* et *accomodatitium:* sensus *litteralis* seu *historicus* ille est, quem verba ex intentione Sp. Sancti immediate praeseferunt, et duplex est: *proprius*, quem verba in nativa significatione accepta praeseferunt: *metaphoricus*, quem verba in significatione translata constituunt. Sic e. g. sensus litteralis metaphoricus locutionis « *Christus sedet ad dexteram Patris* » est Christum aequalem cum Patre gloriam habere — Sensus *mysticus* seu *spiritualis* seu *typicus* ille dicitur, quem non verba, sed res per verba significatae fundunt [1]. Triplex est: *allegoricus* qui agit de re pertinente ad fidem, Christum vel Ecclesiam — *anagogicus* qui agit de re spectante ad vitam aeternam seu Ecclesiam triumphantem — *tropologicus* seu *moralis* qui agit de re pertinente ad mores. Ex. gr. vox *Ierusalem* in sensu *litterali* significat urbem Palestinae, *allegorico* Ecclesiam militantem, *anagogico* patriam cœlestem, *tropologico* animam hominis. Diversi recensiti sensus hisce versiculis comprehenduntur: « *litera gesta docet — quid credas allegoria — moralis quid agas — quo tendas anagogia* » — Sensus *accomodatitius* est ille improprius Scripturae sensus non a Sp. Santo intentus, sed ab homine accomodante verba Scripturae ad res significandas, quas verba non exprimunt; quo sensu praesertim utuntur sacri oratores. Ut autem licitus sit, esse debet verus, pius nec pro sensu divino tradendus [2].

273. **Scholion II.** — *De sacrae Scripturae usu in re dogmatica* (n. 522) — a) Ex sensu tum *litterali*, tum *mystico*, semper desumi potest irrefragabile argumentum pro dogmate: uterque enim sensus est a Sp. Sancto intentus: minime vero ex sensu *accomodato*, cum non sit sensus Dei, sed hominis. Verum — b) iuxta regulam Augustini [3] sensus litteralis *proprius* praeferendus est *metaphorico*, nisi in contrarium militet aliqua ratio *gravis*. Porro — c) ad asse-

1. Cf. S. Th. 1. p. q. 1. a. 10. — 2. Cf. Trid. sess. 4. — 3. *De gen. ad litt.* l. 8. c. 7.

quendum genuinum Scripturae sensum sequentes canones inserviunt: — α) canon *dogmaticus* sc. Ecclesiæ iudicium et unanimis Patrum sensus, si extet. Veniunt deinde canones *scientifici* seu *hermeneutici*, et sunt: — β) canon *philologicus* qui sistit in vi verborum et legibus gramaticae et rethoricae: — γ) canon *historicus* qui complectitur exegeticam Patrum interpretationem, fidei christianæ et morum analogiam, historiam sacram V. et N. T., historica adiuncta sermonis, chronologiam — Ars, quae regulas interpretationis tradit, dicitur *hermeneutica sacra* — ipsa autem expositio textus sacri dicitur *exegesis*.

274. **Scholion III.** — *De lectione Scripturae in lingua vulgari* (n. 223) — Quamvis Scripturae lectio in se sancta et utilis sit, tamen propter *abusus* recentiorum praesertim temporum Ecclesia statuit (regulâ 4. *Indicis)* neminem sine facultate ab Episcopo in scriptis, habita cum consilio Parochi vel Confessarii, Biblia sacra in vulgari lingua legere posse. Et merito quidem: ex una enim parte lectio Scripturae ad salutem non est *necessaria*, ex altera vero esse potest *periculosa,* tum propter Scripturae obscuritatem, tum propter mentis imbecillitatem et superbiam: ergo. Illud quoque adverti debet, opus esse ex decr. S. I. C. 13. iun. 1757. ut versiones in vulgari lingua legi possint, ut ab Apostolica Sede fuerint approbatae aut editae cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae patribus vel ex doctis catholicisque viris.

275. **Scholion IV.** — *De habitu inter Scripturam et Traditionem* (n. 524) — Ex disputatis manifestum fit — a) traditionem praecedere Scripturam ordine *chronologico* seu *temporis*. Sequitur — b) ipsam latius patere Scripturâ. Plura enim doctrinae capita quam maxime necessaria ad salutem, in Scripturis haud continentur. Sequitur etiam — c) Traditionem secundum praesentem Christi œconomiam magis necessariam esse quam Scriptura. Plerique enim fideles absque Scriptura, sola praedicationis seu traditionis ecclesiasticae ope ad fidem perducuntur; absque Traditione vero ne uti quidem Scripturis possent.

CAPUT III.

De divinae revelationis progressu.

276. **Progressus obiectivus et subiectivus** (n. 524-525) — Succedit quaestio utrum christiana doctrina successu temporis progressa fuerit vel sit in posterum progressura. Duplex progressus concipi potest sc. *obiectivus* et *subiectivus:* progressus *obiectivus* habetur quando *novae* veritates revelantur — *subiectivus* vero quando iam facta revelatio distinctius explicatur sive per authenticum magisterium, sive per scientificam pertractationem. Quaeritur ergo utrum aliquis revelationis progressus admitti possit ac debeat.

277. **Substantia fidei et quæ ad fidem accedunt** (n. 526) — In obiecto autem revelationis *catholicae* distinguenda sunt ea, quae *fidei substantiam* constituunt, ab iis quae *ad fidem veluti accedunt*. Ad fidei substantiam pertinent duo articuli *generales* nempe Dei existentia et eius providentia circa hominum salutem, in quibus tamquam in primis credibilibus reliqui fidei articuli implicite continentur [1]: necnon duo articuli *particulares*, qui sunt Trinitatis et Incarnationis mysteria [2] — Ceterae veritates ad fidei substantiam accedere et cum ea connecti censentur. Quaestio ergo de revelationis progressu institui potest vel de veritatibus pertinentibus ad substantiam fidei, vel de veritatibus ad fidei substantiam accedentibus.

278. **Status revelationis patriarchalis et mosaicae** (n. 527-528) — Ut cum ordine procedamus, distinguere oportet triplicem statum pro triplici tempore, quo revelatio considerari potest sc. status revelatio *patriarchalis* et *mosaicae* — status revelationis *apostolicae* — status revelationis *post Apostolorum tempora:* qui tres status considerari possunt vel singuli *absolute* in se, vel *relative* ad invicem — Porro in statu revelationis *patriarchalis* et *mosaicae* in se spectato — a) revelatio *quoad duos articulos generales* nunquam crevit: Apostolus enim absolute et pro omni tempore affirmat [3]: « *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit* ». At — b) revelatio *quoad mysterium Incarnationis* quadamtenus crevit. Huius enim mysterii quadruplex gradus fidei cum Suarez [4] est distinguendus sc. quod Deus sit humani generis salvator — quod sit salvator per mediatorem aliquem — quod hic mediator sit Deus-homo — quod modus redemptionis sit per eius passionem et mortem. Porro revelatio Incarnationis quoad *primum* et *secundum* gradum numquam crevit, cum includatur in revelatione et fide de Deo remuneratore supernaturali — quoad *tertium* et *quartum* gradum per successivas revelationes obiective crevit. *Trinitatis* mysterium — c) censeri quidem potest contentum in deposito revelationis veteris et fortasse etiam notum maioribus populi: at in communi fidelium fide non continebatur, ac proinde huius mysterii revelatio et fides in nova oeconomia comparative ad veterem *obiective* crevisse dicenda est. Denique — d) *quoad reliquas veritates* successu temporis revelatio *obiective* crevit.

279. **Status revelationis apostolicæ** (n. 529) — Si hic status — a) comparetur cum praecedenti, revelatio vere in N. T. *obiective* crevit, quatenus plures veritates per Christum et Sp. Sanctum Apostolis revelatae sunt, quae antea vel nullo modo erant revelatae, vel saltem

1. Cfr. S. Th. 2. 2. q. 174. a. 6. — 2. cf. s. Th. l. c. — 3. ad Hebr. XI. 6. — 4. disp. 12. s. 3. n. 16.

non poterant ab omnibus sine nova revelatione cognosci et credi. Si — b) *in se* spectetur, dicendum pariter est revelationem successu temporis obiective crevisse. Idest Christi promissio Apostolis facta: « *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* »: non fuit perfecte impleta in die Pentecostes, sed paulatim et per gradus usque ad mortem Apostolorum, prouti necessitas exigebat [1].

280. **Status revelationis post Apostolos** (n. 530) — Ad *tertiam* quaestionem accedentes triplicem errorem innuimus confutandum — *Primus* est eorum qui triplicem oeconomiam distinguunt, idest *œconomiam Patris* (quae fuit V. T.) — oeconomiam *Verbi* (quae est praesens) et tertiam futuram, quam dicunt *Sp. Sancti*, quaeque per *pleniorem revelationem* succedet praesenti, sicut haec primae successit. — *Secundus* est quorumdam auctorum Germaniae [2], qui admittunt quidem solum progressum *subiectivum*, sed illum in eo reponunt, quod successu temporis ob naturalium disciplinarum profectum intrinseca mysteriorum fidei ratio possit intelligi et rationaliter explicari — *Tertius* est Güntherii, cuius theoria hac in re ad haec reducitur: — a) progressus revelationis situs est in maiori dogmatum explicatione et intelligentia: — b) Ecclesia est infallibilis in eo dogmatis sensu definiendo, qui tempori definitionis aptissimus est, ratione habita status scientiarum eo tempore: — c) fieri autem potest ut dogmatibus fidei secundum scientiae progressum alius sensus sit tribuendus ab eo, quem Ecclesia antea definierat.

281. **Conclusio I.** « *Christiana revelatio adeo completa fuit in Apostolis, ut* — 1° *neque expectanda sit post praesentem nova tertia œconomia* — 2° *neque in praesenti œconomia ullus progressus obiectivus admittendus sit* » (n. 531-533).

Prob. 1. pars — Si tertia œconomia post praesentem expectanda esset, haec se haberet ad praesentem, sicut præsens se habuit ad veterem: idest sicut N. T. multipliciter fuit praedictum et praefiguratum in veteri, ita haec futura œconomia deberet praenuntiari et adumbrari in praesenti. Atqui huius praedictionis et praefigurationis nullum habemus vestigium: ergo. Ad rem s. Bruno Asten. [3]: « Primum tabernaculum est Synagoga, secundum Ecclesia, tertium « coelum. Primum in umbra fuit et figura: secundum in figura est « et veritate: tertium in veritate sola ».

Prob. 2. pars — Non est admittendus in praesenti œconomia ullus obiectivus progressus, si soli Apostoli novarum revelationum organa fuere — si Apostolorum successores sunt tantum custodes depositi revelationis apostolicae — si fideles non aliam fidem credere iubentur praeter eam, quam Apostoli docuere. Atqui *primum* constat ex Io. [4]:

1. Act. X. 10-34. — 2. apud Perrone *De locis p.* 3. *c.* 3. *prop.* 2. — 3. hom. 31. cfr. s. Ambros. in Ps. 38. n. 25. — 4. Io. XVI. 13. cfr. XIV. 26. - XV. 15.

« *Cum venerit Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem* » — *secundum* constat ex Apostolo [1]: « *Tu autem assecutus es meam doctrinam..... permane in iis, quae didicisti et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris* » — « *formam habe sanorum verborum, quae a me audisti..... bonum depositum custodi* » — *tertium* constat ex eodem [2]: « *Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis praeter quamquod evangelizavimus vobis, A. S.* »: ergo.

282. **Conclusio II.** « *Duplex recensita theoria de progressu revelationis subiectivo pariter reiici debet* » — Sane — a) si humana ratio rite exculta universa fidei dogmata e naturalibus principiis intelligere et demonstrare posset, sequeretur vel pro humano intellectu et generatim pro creato intellectu nulla esse mysteria — vel saltem nulla vera mysteria in divina revelatione contineri. — Atqui *primum* admitti non posse patet ex iis, quae in tractatu I. c. 2. de existentia mysteriorum disputavimus — *alterum* adversatur tum Ecclesiae doctrinae, quam ibidem retulimus, tum iis quae communiter docent TT. de praecipuis christianae revelationis mysteriis: ergo. Item — b) si sensus dogmatis ab Ecclesia definitus non esset infallibiliter verus, Ecclesia in rebus fidei definiendis non esset infallibilis. Atqui iam supra probavimus, Ecclesiam in materia fidei infallibilitatis charismate donari, adeo ut eius magisterium, utpote ipsius Christi et Dei magisterium, sit prorsus immutabile: ergo. Quare Conc. Vat. [3]: « Si quis « dixerit fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando « secundum progressum scientiae sensus tribuendus si alius ab eo, « quem intellexit et intelligit Ecclesia, A. S. ».

283. **Conclusio III.** « *Progressus revelationis subiectivus situs est in pleniori revelationis explicatione et intelligentia* » (n. 536) — Revera ex una parte certum est in deposito revelationis veritates aliquas contineri, quae nonnisi *implicite — minus clare — minus instanter* proponuntur. Atqui ex alia parte constat eas posse *explicari — declarari — instantius proponi:* ergo — *Prob. min.* Apostolus ait [4]: « *Ipse Christus dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios autem pastores et doctores* ». Ex quibus sic: qui in Ecclesia constituti sunt *pastores,* iidem sunt etiam *doctores.* Atqui *doctoris officium est,* ut quae sunt implicita in revelatione, explicet, et quae minus clara, clariora faciat et definiat — *pastoris* autem officium est, ut quae antea minus instanter proposita erant, urgente opportunitate vel necessitate, instantius proponantur: ergo. Hic vero progressus recte dicitur ab Alberto M. [5] « potius profectus fidelis in fide quam fidei in fideli ».

284. **Corollaria** (n. 537-539) — Ex dictis patet — a) quoad plura

1. 2. Tim. III. 10. sqq. - 1. Tim. I. 13. — 2. Gal. I. 8. — 3. Const. *Dei Filius* c. 4. cn. 3. — 4. Eph. IV. 2. — 5. 3. dist. 25. a. 1. ad 1.

fidei dogmata triplex stadium distingui posse sc. stadium *simplicis fidei*, sed *implicitae*, quando nulla adhuc mota quaestione dogma aliquod *implicite* creditur in universo revelationis deposito — stadium *controversiae* et *inquisitionis*, quando caput aliquod doctrinae in dubium et investigationem vocatur — stadium *certitudinis*, quando per consensum invalescentem, vel per solemne Ecclesiae iudicium, quod erat in quaestione evadit certum. Patet — b) quo sensu verus sit canon quem tradit s. Vincentius Lirinensis: « In ipsa catholica Ec« clesia magnopere curandum est, ut id teneamus *quod ubique, quod* « *semper, quod ab omnibus* creditum est: hoc est enim vere proprieque « catholicum » Scilicet duo sunt characteres veritatis apostolicae sc. *universitas* consensionis praesentis, eo scilicet tempore quo oritur quaestio — *antiquitas* consensionis Ecclesiae in praecedenti aliqua aetate. Tamen advertatur hunc canonem verissimum esse in sensu *affirmante:* minime vero in sensu *negante*, quasi nempe ad fidem pertinere non possit id quod non semper ab omnibus creditum est, saltem si de fide *explicita* sermo est. Si enim canon sumendus esset in sensu *negante,* Ecclesia definire non posset nisi id, quod iam omnibus creditur, et a definitione abstineret quando maior esset necessitas.

CAPUT IV.

De habitu rationis ad revelationem.

285. Quae multa hic essent dicenda, distinctis punctis vix innuemus et declarabimus.

I. — *Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem dissensio esse potest* (n. 541) — In mente enim divina esse nequit contradictio. Atqui si veritas revelata rationali alicui veritati adversaretur, iam in mente increata contradictio poneretur, cum tam ratio, quam revelatio sint duo radii, duplex irradiatio et participatio rationis increatae: ergo. Hinc monet s. Doctor [1]: « Si « quid in dictis philosophorum inveniatur contrarium fidei, hoc non « est philosophiae, sed magis philosophiae abusus ex defectu rationis. « Et ideo possibile est ex principiis philosophiae eiusmodi errorem « repellere, vel ostendendo illud esse omnino impossibile, vel non « esse necessarium ».

II. — *Fidei christianæ obiectum latius patet quam naturalis rationis obiectum, quatenus in christiana revelatione plures continentur veritates, quae humanae rationis captum excedunt* (n. 542) — Est haec

1. in Boëth. de Trin. proëm. q. 2. a. 3. - cfr. c. g. l. 1. c. 7. - Const. *Dei Filius* c. 3. - Encycl. Pii IX. 9. nov. 1846.

veritas definita in Conc. Vat. [1]: « Si quis dixerit in revelatione di-
« vina nulla vere et proprie dicta mysteria contineri, sed universa
« fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus prin-
« cipiis intelligi et demonstrari, A. S. » Unde sequitur « duplicem
« esse ordinem cognitionis, non solum *principio*, sed etiam *obiecto*
« distinctum: *principio* quidem, quia in altero naturali ratione, in
« altero fide divina cognoscimus: *obiecto* autem, quia praeter ea, ad
« quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur
« mysteria abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non
« possunt » [2].

III. — *Fides non modo sanae rationi non adversatur, sed potius est secundum rationem* (n. 543). Revera — a) fides iura rationis non laedit, quae sunt, ut ratio in eas veritates inquirat, quae rationis ambitu continentur — ut nihil citra rationem sufficientem admittat — ut errorem reprobet, quoties illum evidenter vel certo cognoscit. Simul vero — b) ratio omnia approbat fidei *postulata*, ut ratio sese submittat divinae auctoritati, quo nil dignius, nil iustius, nil pro humana ratione magis salutare — ut ratio assensum praestet supra omnia firmum pro motivi pondere, quo nil magis rationi consonum — ut veritates superrationales credat ob divinam auctoritatem, quo nihil honorabilius.

IV. — *Fides praeterea rationem multipliciter iuvat* (n. 544) — Et revera — a) auget patrimonium nostrarum cognitionum — b) liberat rationem a tot erroribus, adeo ut homo christianus vere dicere possit: [3] « *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi, quia mandata tua quaesivi* » — c) ducis instar dirigit inquisitionem rationis ad citius, securius et plenius veritatem inveniendam — d) veri cupidinem excitat et stimulos addit ad nova semper investiganda.

V. — *At vicissim plura rationi munera competunt in fidei utilitatem* (n. 545) — *Primo* quidem quoad religionem *inveniendam* recta ratio fidei christianae fundamenta imprimis demonstrat, ut ait Conc. Vat. [4]. Rationis enim est Dei existentiam — revelationis possibilitatem, necessitatem certamque cognoscibilitatem probare — characteres assignare, quibus vera revelatio a falsa secernatur — hosce characteres diversis religionibus applicare atque ita ostendere christianam religionem esse unicam veram et in Ecclesia romana inveniri — *Secundo* quoad religionem *illustrandam* et *tradendam* munus rationis est *terminos explicare*, quibus revelatae veritates enunciantur — revelatas veritates aptis argumentis ex propriis fontibus haustis stabilire et comprobare — apte disponere et in harmonicum systema redi-

1. l. c. cn. 1. — 2. Conc. Vat. l. c. cp. 4. — 3. Ps. 118. — 4. Const. *Dei Filius* c. 4.

gere — in aliqualem mysteriorum intelligentiam niti et multiplici analogia lucem ipsis affundere — *Tertio* quoad religionem *defendendam* munus rationis est errores convellere et ea retundere, quae ex humanis disciplinis adversus fidei dogmata obiiciuntur. Haec tria rationis munera in fidei utilitatem sic breviter exponit s. Thomas [1]. « In « sacra doctrina possumus philosophia tripliciter uti: *primo* ad de- « monstrandum ea, quae sunt praeambula fidei; *secundo* ad notifican- « dum per aliquas similitudines ea quae sunt fidei: *tertio* ad resi- « stendum iis, quae contra fidem dicuntur, sive ostendendo esse falsa, « sive ostendendo non esse necessaria ».

VI. — *In hypothesi dissidii ratio per revelationem, scientia per fidem, philosophia per theologiam corrigi debet* (n. 546) — Fides enim est superior, scientia autem inferior — fides est falli nescia, scientia est errori obnoxia — illa domina, haec ancilla. Ergo scientia cedere debet fidei, ratio revelationi, philosophia theologiae. Hinc Pius IX. in Litteris ad Card. Coloniens. (15 iun. 1857) statuit, humanam rationem « in religionis rebus non dominari, sed ancillari omnino de- « bere »: et in Syllabo plures propp. hac de re damnatae sunt [2].

A. M. D. G.

1. In. Boëth. *De Trin. proëm. q.* 2. *a.* 3. — 2. Cf. hac. de re Epist. Pii IX. ad Archiep. Monacens.. (11. dec. 1862).

TRACTATUS IV.

De Deo Uno et Trino

286. **Prologus** (n. 1-2) — Deum esse humanae cognitionis nobilissimum obiectum, ipso rationis lumine evidens est. Quocirca divina eloquia testantur, aeternam hominis beatitudinem in sola Dei cognitione esse repositam: « *Haec est autem vita aeterna ut cognoscant te, solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum* » — « *Nosse enim te consummata iustitia est, et scire iustitiam et virtutem tuam radix est immortalitatis* » [1] — Summa autem catholicae professionis de Deo, ex symbolis fidei, ad hanc formulam reducitur: *Credo unum Deum Patrem, Filium et Spiritum Sanctum:* quae formula sibi vult, in divinis credi oportere *unitatem* secundum naturam, *trinitatem* vero secundum personas Patris, Filii, et Sp. S. Idcirco praesentis disputationis duplex est pars, sc. de *Deo uno secundum naturam* — de *Deo trino secundum personas.*

PARS PRIOR

De Deo uno secundum naturam.

287. **Quaestionum distributio** — Primae huius partis quinque erunt capita: 1° de demonstrabilitate divinae existentiae — 2° de divinae essentiae cognoscibilitate — 3° de divinae essentiae constitutivo deque divinis attributis in communi — 4° de divinis attributis *quiescientibus* — 5° de divinis attributis *actuosis.*

CAPUT I.

De demonstrabilitate divinæ existentiæ.

288. **Dei notio** (n. 4) — Heic tradere non intendimus accuratiorem Dei definitionem, quae a nobis fieri potest: haec enim fructus erit sequentium de Deo disputationum; sed eam tantum Dei notionem

1. Io. XVII. 3. - Sap. XV. 3. coll. - Ierem. IX. 23. - Philipp. III. 8.

hic sufficit exhibere, quae a communi hominum sensu, licet rudiorum, dictatur. Haec autem ea est qua nomine Dei omnes intelligunt ens, quo maius et melius excogitari non potest, quodque, a nulla causa productum, ipsum est per creationem principium huius spectabilis universi. Scilicet iuxta communem sensum Deus est « *ens infinite perfectum omniumque causa rerum* ».

289. **Natura quæstionis — sententiæ** — (n. 5) — Porro præsens quaestio est, utrum facultas homini insit Dei existentiam cognoscendi absque positivae revelationis auxilio. Huic quaestioni *affirmative* respondet Angelicus [1]: « Naturalis nostra cognitio a sensibus « principium sumit: unde tantum se nostra naturalis cognitio exten- « dere potest, quantum manuduci potest per sensibilia ..... Et quia « (sensibilia) sunt effectus a causa dependentes, ex eis in hoc per- « duci possumus, ut cognoscamus de Deo an est, et ut cognoscamus « de ipso ea, quae necesse est ei convenire, secundum quod est « prima omnium causa, excedens omnia sua causata » — At aliter *traditionalistae*, qui, statuto principio quod humana ratio vi sua insita et naturali, absque divino-positivae revelationis subsidio, nullam veritatem cognoscere potest, ad ordinem moralem et religiosum pertinentem, inferunt supremi Numinis existentiam absque revelatione cognosci non posse. Cui quidem hominis indigentiae Deus vel ab hominis creatione prospexit, has veritates scitu necessarias Adamo revelando, quae deinceps ope humanae traditionis et institutionis in totum humanum genus propagatae sunt. Hinc inferunt hominem externo magisterio ac traditione destitutum has veritates perpetuo ignorare — Ad quam eandem conclusionem fere deveniunt lutherani et calvinistae, quorum errorem a iansenianis susceptum reperies quoque inter propositiones in Quesnello damnatas a Clemente XI [2]: sic ex. gr. prop. 48. « Quid aliud esse possumus nisi tenebrae, nisi aber- « ratio, nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo et sine chari- « tate? » cf. prop. 41. His accedit ex hodiernis Bautain, qui absque fide divinitus infusa Deum ab homine cognosci posse negavit.

290. **Ecclesiæ doctrina** (n. 6) — Angelici vero Doctoris sententia a Conc. Vatic. in dogma fidei erecta est [3]: « Si quis dixerit, Deum « unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quae facta « sunt naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse « A. S. »: quo quidem canone Concilium definivit Deum esse naturaliter cognoscibilem sub conceptu *primi principii* ac *ultimi finis*, Deum propterea *personalem* ab hac rerum universitate distinctum. Sint igitur seqq. conclusiones.

---

1. 1. p. q. 12. a. 12. — 2. B. *Unigenitus* 8 sept. 1713. — 3. Const. *Dei Filius* cp. 2. et cn. 1. Cfr. propp. notatas a S. I. C. contra traditionalistas 3 iun. 1843 et 15 iun. 1855.

291. **Conclusio I.** « *Deum esse naturaliter cognoscibilem docent — 1° Scripturae — 2° Patres — 3° ipsa humana ratio* » (n. 7-13) — Conclusio est *de fide catholica.*

Prob. 1. pars — Scriptura duplicem praesertim ordinem spectandum proponit, *physicum* et *ethicum* simulque docet humanam mentem ex utriusque ordinis consideratione ad Deum assurgere posse. Revera — a) legimus: « *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset eorum artifex: sed aut ignem, aut solem et lunam rectores orbis terrarum deos putaverunt. Quorum si specie delectati, deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est; speciei enim generator haec omnia constituit. Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui haec fecit, fortior est illis. A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri. Iterum autem nec his debet ignosci. Si enim tantum potuerunt scire, ut possent aestimare saeculum, quomodo huius dominum non facilius invenerunt?* » [1]: et Apostolus [2]: « *Quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas; ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicuti Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum* ». Ex quibus sic: ex utroque sacro scriptore duplex terminus accurate distinguitur sc. terminus *a quo* ratio progredi debet. quae sunt *bona quae videntur — opera — species* seu pulchritudo creaturarum — earum *virtus — ea quae facta sunt:* et terminus *ad quem* humana ratio assurgere debet, sc. ille *qui est* — rerum omnium *artifex* — omnis pulchritudinis *generator — dominus mundi — invisibiles* perfectiones Dei — *sempiterna eius virtus et divinitas.* Atqui inter utrumque terminum *nexus causalitatis* exhibetur, ita ut a praecognito termino *a quo* humana ratio pervenire possit in notitiam termini *ad quem:* concludit enim auctor Sapientiae, omnia veluti paucis colligens: *a magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter* (i. e. *concludendo,* ut explicat s. Hilarius) *poterit creator horum videri* »: nec minus clare Apostolus, ex cuius sententia *invisibilia Dei per ea quae facta sunt* intellecta conspiciuntur: ergo.

Praeterea — b) ordo *ethicus* seu *moralis* sic proponitur ab Apostolo [3]: « *Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter quae legis sunt faciunt; eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis: testimonium*

1. Sap. XIII. 1. sqq. — 2. Rom. I. 19. — 3. Rom. II. 14.

reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus in die, cum iudicabit Deus occulta hominum secundum evangelium meum per I. C. ». Paucis imprimis textus paulinus exponendus est. *Lex*, de qua Apostolus, est lex *naturalis;* consequenter *opera legis* sunt actus a lege naturali praecepti ideoque boni. Porro gentes dicuntur *legem non habere* non *quoad substantiam*, sed *quoad modum*, quatenus scilicet eam non cognoscunt per positivam Dei revelationem, sicut Iudaei cognoscebant, sed solummodo *naturaliter* h. e. rationali natura docente. Quo eodem sensu *ipsi sibi sunt lex*, quatenus nempe ipsa naturalis ratio legem homini manifestat et veluti promulgat, quæ legis promulgatio non consistit nisi in naturali obligationis cognitione. Hanc vero legis cognitionem gentes in eo manifestant, quod eorum conscientia mala opera accusat, bona autem defendit et approbat: quae accusatio et approbatio valebit quoque in die « *cum iudicabit Deus occulta hominum secundum evangelium* ».

Hisce declaratis, en argumentum: homines ope rationis, absque positiva Dei revelatione, legem naturalem eiusque absolutam obligationem cognoscere possunt. Atqui huiusmodi cognitio vel supponit vel infert confusam saltem Dei cognitionem: ergo — *Prob. min.* Lex *obligans* sine *legislatoris* conceptu non apprehenditur: et lex *absolute* et *omnes* obligans non intelligitur absque *supremo* legislatore, cui *absolutum* obsequium et *ab omnibus* debeatur. Atqui hic Deus est: ergo. Neque dicas cum Kantianis et Hermesianis rationem ultimam huius obligationis esse humanae naturae dignitatem. Per huius enim obligationis cognitionem homo non cognoscit suam dignitatem, quae imperet, sed suam dependentiam a Superiore aliquo, cui hominem ipsum subesse necesse est.

Prob. 2. pars — Scripturis consonant Patres, quorum doctrina ad haec reducitur: — a) Deus ex operibus creationis *cognoscibilis* est: « Deum esse, et omnium creatricem et conservatricem causam, tum « oculi ipsi, tum lex naturalis docent: illi quidem, dum rebus visi- « bilibus et pulchre compositis et progredientibus, atque, ut ita dicam, « sine motu motis et actis adspectum advertunt; haec autem, dum « per res visibiles et ordinatas harum auctorem ratiocinando concludit. « Quomodo namque substitisset unquam et constitisset hoc universum, « nisi Deo omnia creante et conservante? » [1]. Imo — b) notitiâ saltem confusâ ab omnibus cognoscitur: « Dic testimonium, o anima rudis « et simplex et non christiana. Non eam te advoco, quae scholis « formata sapientiam ructas; te simplicem et rudem et idioticam « appello, qualem habent, qui te solam habent, illam ipsam de

1. Nazianz. *or.* 28. *al.* 34. *n.* 5. 6.

« compito, de trivio, de textrino totam ..... Nam te quoque domi et « foris ita audimus pronuntiare: *Quod Deus dederit* — et — *Si Deus « voluerit*. Ea voce et aliquem esse significas, et omnem illi confiteris « potestatem, ad cuius spectas voluntatem » [1].

Prob. 3. pars — Ad rem argumentatur s. Thomas [2]: « Ex quolibet « effectu potest demonstrari propriam causam eius esse, si tamen « effectus sint magis noti quoad nos (quam ipsa causa); cum enim « effectus dependeant a causa, posito effectu necesse est causam « praeexistere. Unde Deum esse, secundum quod non est per se « notum quoad nos, demonstrabile est per effectus nobis notos ». Que principio *causalitatis* innixa, humana ratio duplici argumentorum genere existentiam Dei demonstrat, *metaphysicis* scilicet et *physicis*. Ex metaphysicis quidem praecipuum est, quod ex rerum mundanarum *contingentia* desumitur quodque ita habet. Res mundanæ contingentes sunt, idest indifferentes ad existendum vel secus. Atqui ens naturâ suâ indifferens ad existendum et ad non existendum, supponit ens *necessarium*, quod tamquam causa ipsum ad existentiam determinet: ergo admitti debet ens *necessarium* quod est Deus [3] — Argumentum *physicum* petitur ex miro ordine *theleologico*, quem in mundo cerninus. Quilibet enim ordo auctorem intelligentem prodit. Atqui causa ordinis mundani esse debet infinite intelligens. Hic enim ordo constans et immutabilis viget non obstantibus contrariis in natura viribus, contrariis vicissitudinibus et eventibus: quamobrem qui praesentem ordinem constituit constantibus legibus regendum, hos omnes eventus, has vicissitudines praevidere debuit, imo et omnes possibiles eventus, ut eas leges seligeret et constitueret, quae vel nullo adverso eventu subverterentur, vel saltem per oppositam rerum vicissitudinem ad pristinam dispositionem redirent: ergo.

292. **Conclusio II.** « *Dei existentia est quoque veritas divinitus revelata ideoque fide divina tenenda* (n. 11-16) — Revera quidquid *implicite* vel *explicite* in Dei locutione continetur, est veritas revelata ideoque per fidem credenda. Atqui talis est Dei existentia: ergo. *Prob. min.* Dei existentiam in quavis locutione divina *implicite* contineri patet ex ipsa locutionis natura. Nam dum ex. gr. Deus revelat se creasse coelum et terram, iam eo ipso necessario revelat se existere. At praeterea Dei existentia *explicite* revelata exhibetur. Sic. ex. gr. Exod. [4]: « *Ego sum qui sum, ... hoc nomen mihi est in æternum* »: et Hebr. [5]: « *Accedentem ad Deum credere oportet, quia est* »: in quo Apostoli testimonio sermonem esse de fide supernaturali, de illa nempe quae est fundamentum iustificationis et salutis quaeque innititur auctoritati Dei revelantis, authentice declaravit Tridentinum [6].

---

1. Tertullianus *De testim. anim. c.* 1. — 2. 1. q. 2. a. 2. — 3. cfr. S. Th. 1. q. 2. a. 3. — 4. Exod. III. 14. 15. — 5. Hebr. XI. 6. — 6. Sess. 6. cp. 6.

Neque dicas — a) non posse de eodem obiecto et in eodem homine dari scientiam et fidem [1]. Quando enim adest duplex *medium* specifice distinctum ad veritatem aliquam cognoscendam, ibi adest quoque duplex *cognoscibilitas* eiusdem veritatis, ideoque duplex *cognitio* de eadem veritate haberi potest, specifice diversa sc. determinata ex duplici respondente *formali motivo* cognoscibilitatis; ita tamen ut dum veritas sic comparata tenetur ex uno formali motivo, in eo assensu eliciendo mens præscindat ab alio motivo, sub quo eadem veritas cognoscibilis est. Neque pariter opponas — b) cognitionem Dei existentis *praerequiri* tamquam fundamentum ad omnem actum fidei. Hac enim supposita cognitione, quid postea prohibet, quominus actus fidei in eandem veritatem elici possit propter auctoritatem Dei revelantis, si forte huiusmodi veritas revelata sit? Sic ergo cognitio Dei existentis *naturaliter* comparata est fundamentum omnis actus fidei ac propterea illius quoque, quo eadem Dei existentia creditur.

293. **Scholion I.** — *An idea Dei innata* (n. 17) — Opinio nonnullorum quod idea Dei sit nobis *innata*, si *philosophice* spectetur, est *gratuita* quia nullo argumento fulcitur, ac praeterea *falsa* quia *conscientiae adversatur* — si *theologice* vero inspiciatur, Scripturis ac Patribus contradicit: est enim doctrina ab ipsis tradita, animam nostram in statu unionis nonnisi a cognitione sensibilium ad cognitionem intellectualium, et nominatim Dei ipsius, progredi posse in rationali suo processu. Quod si quandoque Patres ideam Dei appellant *innatam*, eo sensu intelligendi sunt quo explicat Angelicus [2]: « Dei cognitio « nobis innata esse dicitur, in quantum *per principia nobis innata* « et *de facili* percipere possumus Deum esse ».

294. **Scholion II.** — *An adprobanda demonstratio Anselmiana de demonstratione quasi a priori vel a simultaneo divinæ existentiæ* (n. 18) — Sic argumentatur s. Anselmus [3] apud Angelicum [4]: « Illa dicuntur esse « per se nota, quae statim cognitis terminis cognoscuntur. Scito enim « quid est totum et quid est pars, statim scitur, quod totum est « maius sua parte. Sed intellecto quid significet hoc nomen *Deus*, « statim habetur, quod Deus est. Significatur enim hoc nomine id « quo maius significari non potest: maius autem est, quod est in re « et in intellectu, quam quod est in intellectu tantum: unde cum « intellecto hoc nomine *Deus*, statim sit in intellectu, sequitur etiam, « quod sit in re: ergo Deum esse est per se notum ». Verum respondet

1. Hanc sententiam non amplius probabilem censemus post Conc. Vat. quod Const. *Dei Filius* cp. 3. docet: « fide divina et catholica ea *omnia* credenda sunt quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur ». — 2. super Boëthium proëm. q. 1. a. 6. ad 6. - cfr. *de verit.* q. 10. *a* 12. *ad* 1. — 3. Proslog. c. 2. — 4. S. Th. 1. q. 2. a. 1. videtur 2.

idem Angelicus in c. a. « Dico quod hæc propositio, *Deus est*, quantum « in se est, per se nota est, quia praedicatum est idem cum subiecto: « Deus enim est suum esse (seu esse est de essentia Dei). Sed quia « nos non scimus de Deo, quid est (nisi a posteriori et ex rebus « sensibilibus), non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari « per ea, quæ sunt magis nota quoad nos, et minus nota quoad na- « turam, scilicet per effectus ».

295. **Scholion III.** — *An possibilis sit ignorantia invincibilis Dei* (n. 19-20) — Hac de re sequentia cum probatis auctoribus statuimus — a) *Homo rationis moralis usum assecutus absque culpa Deum penitus ignorare nequit* — Ille enim, qui inter honestum et turpe iam discernere valet atque ita moralem obligationem iam persentit, eoipso iam iudicat se naturali obligatione adstringi ad bonum appetendum malumque vitandum. Atqui hoc iudicium implicitam habet notionem Dei ut summi boni et legislatoris. Ergo qui legi morali se subiectum sentit, Deum cognoscit, etsi nondum ut Creatorem, tamen ut summum bonum et legislatorem. Qua de causa theologi docent, fieri non posse ut actus sit moraliter malus, et tamen non sit simul offensa Dei ideoque peccatum. Prostat hac de re prop. 2. damnata ab Alexandro VIII. [1]: « Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus « disconveniens naturae rationali et rectae rationi: theologicum vero « et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum, « quantumvis grave, in illo qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu « non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei neque « peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena « dignum » — b) *Homo post rationis moralis usum potest ad breve tempus invincibiliter ignorare Deum sub expresso conceptu Creatoris* — Nam, ut recte disserit cl. Palmieri [2] « veritas mediata, ad « quam proinde obtinendam requiritur reflexio, sive comparatio « principiorum cum facto, et animadversio quid ex ea consequatur, « potest ab humano intellectu ignorari. Atqui talis est veritas exi- « stentiae Dei: ergo — *Prob. mai.* Reflexio est actus, qui determi- « natur ultimo vel a certis adiunctis, in quibus cognoscens reperitur, « vel a voluntate: atqui deesse possunt ea certa adiuncta, voluntas « potest illam etiam impedire: ergo » — c) *Haec tamen ignorantia nonnisi ad breve tempus potest esse invincibilis.* Id patet — α) ex facilitate cognoscendi Deum sub conceptu Creatoris. « Media enim « quibus Dei cognitio comparatur, sunt obvia omnibus, principia « prima et existentia rerum — Requiritur quidem reflexio, sed haec « abesse nequit longo tempore, quia eam excitant tum obiecta cognita « sub ratione effectus aut ordinis, tum naturalis aviditas cognoscendi

1. Decr. *Sanctissimus Dominus* 24 aug. 1690. — 2. Inst. philos. Theol. nat. c. 1. th. 7.

« causas rerum et quaedam exigentia naturae, quae hanc notitiam « flagitat. Ergo fieri non potest, quod per longum tempus mens non « excitetur ad reflectendum. Posita autem reflectione, comparante « principium (puta causalitatis) cum facto existentiae alicuius, nequit « non efflorescere notitia existentiae Dei, sub conceptu saltem entis « supremi, a quo cuncta dependent » [1]. Praeterea id patet — β) ex necessitate cognitionis Dei. « Nam agnoscere Deum sub tali « expresso conceptu Auctoris et Domini rerum omnium est plane « necessarium, ut vero et non superstitioso cultu ei reverentia exhi- « beatur, et humanae actiones ad ultimum finem dirigantur. Atqui « huiusmodi cultus et humanarum actionum ordinatio est homini « magis necessaria, quam ipse cibus corporalis, quo alitur et aër « quem adspirat; pertinet autem ad suavitatem divinae providentiae « ut non deficiat in necessariis. Ergo dicendum est hominibus fuisse « provisum, ut, si per ipsos minime obstet, talem de Deo cognitionem « adipiscantur: ac propterea ex eorum culpa fieri, si longam vitam « vivant in ignoratione veritatis adeo necessariae » [2]. Ex quibus omnibus patet — d) *atheos* quidem *negativos*, eos sc. qui usum rationis adepti in omnimoda Dei ignorantia versantur, sensu mox exposito possibiles esse; minime vero atheos *positivos*, eos nempe qui notionem Dei consecuti, eum existere serio et ex animo negant vel dubitant.

CAPUT II.

De divinae essentiae cognoscibilitate.

296. **Prologus** (n. 21) — Praesens quaestio duplex est, sc. quinam sit *modus* quo divinam essentiam eiusque perfectiones *naturaliter* cognoscimus in statu vitae praesentis, et quomodo, ut statim hanc doctrinam compleamus, Deum cognoscemus in statu vitae futurae.

ARTICULUS I.

De modo cognitionis Dei in via.

297. **Cognitio intuitiva et abstractiva** (n. 22-24) — Quaestio praesens est, qua cognitione, *intuitivâ* an *abstractivâ*, homo *naturaliter* Deum cognoscat — Cognitio perficitur per quamdam unionem rei cognitae cum intellectu cognoscentis [3], ad quam intellectualem unionem duo requiruntur sc. praesentia non *physica*, sed *intellectualis* obiecti, et virtus cognoscitiva proportionata obiecto cognoscendo. Ex hac unione generatur *verbum*, quo mens sibi exprimit rem cognitam.

1. Palmieri l. c. — 2. Schiffini *Disp. metaph.* vol. 2. n. 408. — 3. 1. q. 12. a. 4.

Unio autem inter intellectum et rem cognoscibilem esse potest *immediata* vel *mediata*, prouti res cognoscibilis, nullo interposito medio, per seipsam cum intellectu unitur, vel per aliquam sui similitudinem in intellectu receptam, quae vices gerat eiusdem obiecti, quae similitudo *species intelligibilis* (impressa) a Scholasticis appellatur. Porro si unio rei cognitae cum intellectu est *immediata*, cognitio ipsa dicitur *immediata*, et communiter *visio intuitiva* — si unio est *mediata*, cognitio ipsa dicitur *mediata* seu *abstractiva*, quia fit per species ex rebus abstractas. Idcirco visio *intuitiva* definiri potest: « *cognitio obiecti per immediatam unionem eiusdem cum intellectu* » — visio *abstractiva* est « *cognitio obiecti per speciem ab eodem abstractam* ». Ex hac theoria patet, quid sit cognitio Dei *intuitiva*, quid *abstractiva*. Cognoscere Deum cognitione *abstractiva* est cognoscere Deum per species a Deo derivatas sc. est intellectum uniri cum Deo per species creatas — cognoscere Deum *intuitive* est intellectum *immediate* uniri cum divina essentia, adeo ut species quaelibet impressa excludatur et ipsa divina essentia sit *principium quo* cognitionis.

298. **Ontologismus** (n. 25) — Porro qui *ontologi* audiunt, hanc propositionem tuentur: « *Immediata et directa Dei cognitio homini naturalis est* ». Summa enim systematis, quod per vocis abusum *ontologismus* appellatur, huc redit: « Deus est prima veritas non modo in ordine *ontologico*, sed etiam in ordine *logico humanae cognitionis*, quatenus est primum intelligibile actuque cognitum ab humano intellectu sub ratione supremi *entis*, *veri* et *boni* simpliciter. Ex hoc fit ut in luce huius visionis humanus intellectus cognoscat quaecumque cognoscit, ea ratione qua lux corporea oculis nostris affulgens obiecta ipsis exhibet et visibilia efficit. » Quod systema nil aliud est quam renovatio haeresis *eunomianae*, contra quam decertarunt Patres saec. IV. et V. — Recentius hoc systema instauravit Rosminius, cuius doctrina ad haec redit — a) Humanus intellectus *naturaliter* et *immediate* videt aliquid *divinum* — b) hoc *divinum* non sumitur in sensu *improprio* pro eo quod est tale *per participationem*, sed sensu *proprio* pro eo quod est tale *per se* et *formaliter* — c) hoc *divinum* est esse *indeterminatum*, quod in Deo est *Deus*, in ente finito est *creatura* — d) hoc *divinum* tandem est *Deus*, est *Verbum* ipsum, quod mens humana intuetur.

299. **Ecclesiæ doctrina** (n. 26) — At Ecclesia ontologistarum doctrinam proscribit. Iam quidem S. R. C. U. I. die 18 sept. 1861 septem propositiones ontologismum continentes declaraverat tuto tradi non posse. Recentissime vero hanc doctrinam damnavit in Rosminio, cuius priores septem propositiones ex 40 proscriptis [1] continent ontologismum prouti antea exposuimus — Sit ergo sequens

1. Decr. *Post obitum* editum 14 dec. 1887, promulg. 8 mart. 1888.

300. **Conclusio unica** — « *Ontologismus sub quoris respectu spectatus reprobandus est* » (n. 27-33) quae conclusio saltem est *fide certa* — Ontologorum doctrina tripliciter spectari potest sc. *quoad factum* — *philosophice* — *theologice*. Atqui sub omni respectu patet eam esse falsam: ergo.

Prob. 1. pars min. -- Si homo nobilissima Dei sui intuitione frueretur, procul dubio, saltem vi reflexionis, eam sibi conscire deberet, praesertim cum agatur de cognitione *prima* et *necessaria*, quippe quæ est lumen ad reliqua quæque cognoscenda. Atqui omnes quidem Deum esse fatentur pluraque de Deo praeter eius existentiam cognoscunt: at, si ontologos excipias, nemo est qui dicat horum omnium notitiam se haurire ex intuitione ipsius Dei, quam nemo in se ipso experitur; e converso omnes respondent, non a Deo ad creaturas se descendere, sed a creaturis ad Creatorem conscendere: ergo.

Prob. 2. pars min. — Videre Deum intuitive significat intellectum videntem immediate uniri cum divina essentia, seu excludi quamlibet speciem intelligibilem creatam, adeo ut divina essentia ad modum speciei intelligibilis sit principium *formale* seu *quo* cognitionis. Atqui nullus creatus intellectus exigit habere divinam essentiam tamquam principium *formale* (quo) naturalis suae cognitionis: ergo visio intuitiva Dei non est homini *naturalis* — *Prob. min.* Ordo naturalis postulat, ut principium *formale* cognitionis proportionatum sit virtuti cognoscitivae, iuxta illud: *quidquid recipitur*, *secundum modum recipientis recipitur:* ideoque principium formale *naturalis* cognitionis erit infinitum aut finitum, prouti virtus intellectiva infinita vel finita existit: imo in ordine finitarum intelligentiarum principium formale cognitionis diversum erit pro diversitate specifica intellectuum. Ergo sequitur principium *formale* cognitionis pro *divino* intellectu esse divinam essentiam — pro intellectu *angelico* esse vel angeli essentiam vel species infusas — pro intellectu *humano* in statu unionis esse species abstractas a phantasmatibus rerum sensibilium — Quod si iuxta fidem beati Deum intuitive vident, hoc probat tantum Deum intuitive visum esse obiectum *adaequatum* seu *terminativum* humani intellectus, ideoque hunc posse *supernaturaliter* elevari posse ad Deum videndum, prouti in seq. art. videbimus [1].

Prob. 3. pars min. Ac — a Scriptura docet Deum esse nobis *invisibilem:* sic ex. gr. Apostolus [2]: « *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur* » — « *Lucem inhabitat inaccessibilem quem* (Deum) *nullus hominum vidit sed nec videre potest* »: et Ioannes [3]: « *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo,*

1. cfr. s. Th. 1. p. q. 12. a. 4. — 2. Rom. I. 20. - 1. Tim. VI. 16. — 3. Io. VI. 46.

hic vidit Patrem ». Atqui hisce in locis Deus eo sensu dicitur nobis invisibilis, quod non sit obiectum visionis intuitivae: ergo — *Prob. min.* Quatuor gradus visionis distinguuntur sc. visio *corporea* — *intellectualis mediata* seu *abstractiva* — *intuitiva* — *comprehensiva*. Inter hos autem gradus hic habitus interest, ut visioni *corporeae* opponatur visio *intellectualis* — visioni intellectuali *mediatae* opponatur intellectualis *intuitiva* — utrique vero visioni intellectuali *imperfectae* opponatur *comprehensiva*. Atqui Apostolus invisibilitati Dei opponit visionem intellectualem *mediatam* sc. *per ea quae facta sunt*, quam possibilem esse dicit: ergo eo sensu docet Deum esse invisibilem, quod non sit obiectum *intuitionis* [1]. Nec — b) aliter *Patres* et *Doctores scholastici*. Sic e. g. Laurentius Iustinianus [2]: « Quemadmodum in « patria Deus speculum est, in quo relucent creaturae, ita in via « creaturæ sunt speculum, in quo Creator videtur »: item s. Thomas [3]: « Non aliter Deum notum habere possumus, nisi ex creaturis ad eius « notitiam veniamus » — « Tripliciter nomina de Deo dicuntur: primo « quidem *affirmative*, ut dicamus: *Deus est sapiens*, quod quidem de « eo oportet dicere propter hoc, quod in eo est similitudo (exemplar) « sapientiae ab eo fluentis. Quia tamen non est in Deo sapientia, « qualem nos intelligimus et nominamus, potest vere *negari* ut « dicatur: *Deus non est sapiens*. Rursus, quia sapientia non negatur « de Deo, quasi ipse deficiat a sapientia, sed quia supereminentius « est in ipso, quam dicatur aut intelligatur, ideo oportet dicere, quod « *Deus est supersapiens* » [4]. Quam doctrinam — c) tradit Ecclesia. Sic. e. g. Concilium Viennense sub Clemente V. (a. 1300) Beguardos damnavit, qui dicebant: « Quaelibet intellectualis natura in se ipsa « naturaliter est beata, et anima non indiget lumine gloriae ipsam « elevante ad videndum Deum ». Atqui si visio intuitiva Dei esset homini naturalis, reapse anima humana non amplius indigeret lumine gloriae ipsam elevante ad videndum Deum, atque esset in semetipsa naturaliter beata: ergo — Item Benedictus XII. [5] et Conc. Flor. (a. 1439-45) definierunt, uti in seq. art. videbimus, visionem intuitivam divinæ essentiæ esse in præsenti ordine providentiæ *ultimum hominis finem*, seu præmium in futuram vitam reservandum pro bonis operibus: sequitur ergo hominem iam in hac vita Dei intuitione non gaudere.

301. **Solvuntur difficultates** (n. 34-37). *Obiectio I. — Dei visio beatifica est visio clara. Atqui nos* (aiunt ontologi) *dicimus intuitum naturalem Dei in hac vita esse obscurum, ideoque non beatificum: ergo.*

Resp. — ad rem Angelicus [6]: « Quidam dixerunt, quod Deum per « essentiam videre non solum contingit in patria, sed etiam in via,

1. cfr. s. Th. 1. q. 12. a. 1. ad 1. et in 4. dist. 49. q. 2. a. 1. — 2. De casto connubio Verbi c. 18. — 3. qq. dd. de Verit. q. 18. a. 2. — 4. De pot. q. 7. a. 5. ad 2. — 5. Const. *Benedictus Deus*. — 6. De verit. q. 18. a. 1.

« quamvis non ita perfecte in via, sicut in patria .... Sed istud dictum « contrarium est Scripturae testimoniis, quae concorditer *in divina* « *visione* beatitudinem ultimam hominis ponunt. Unde *ex hoc ipso* « *quod aliquis Deum per essentiam videt, beatus est.* Non est autem « possibile, ut ultimus terminus perfectionis humanae accipiatur se- « cundum aliquem *modum* intelligendi, quia in istis modis intelli- « gendi possunt considerari infiniti gradus, quo unus alio perfectius « intelligit. Unde oportet quod ultimus terminus humanae perfectionis « sit in intelligendo aliquod perfectissimum intelligibile, quod est di- « vina essentia — In hoc igitur unaquaeque rationalis creatura beata « est, quod essentiam Dei videt, non ex eo quod ita *limpide*, vel « plus, vel minus eam videt. Non igitur visio beati a visione viatoris « distinguitur per hoc, quod est *perfectius* et *minus perfecte* videre, « sed per hoc, quod est *videre* et *non videre* ».

302. *Obiectio II. — Visio, quae est homini supernaturalis et beatifica, est illa qua Deus videtur quatenus est ipsum esse subsistens in se spectatum, seu esse absolutum, reale, internum Dei. Atqui visio qua homo naturaliter nunc fruitur, ea est qua Deus videtur quatenus est exemplar rerum, quae sunt vel esse possunt, seu esse relativum, ideale, externum : ergo.*

Resp. — Non negamus, Deum reapse spectari posse sub hac duplici ratione esse *absoluti* et *relativi, realis* et *idealis, interni* et *externi :* « Cum enim Deus sit similitudo et species omnium rerum, duplex « conversio intellectus potest fieri in ipsum, vel *absolute* secundum « quod est res quaedam, vel in quantum est *similitudo* omnium re- « rum : et utroque modo Deus seipsum cognoscit et supra se conver- « titur, quamvis non diversa, sed una operatione » [1]. Tamen « non « est possibile quod aliquis videat *rationes creaturarum* in ipsa di- « vina essentia (seu esse divinum *relativum*) ita quod *eam* non videat « (sc. esse *absolutum*), tum quia ipsa divina essentia est ratio om- « nium eorum, quae fiunt ; ratio autem idealis non addit supra di- « vinam essentiam nisi respectum ad creaturam : tum etiam quia prius « est cognoscere *aliquid in se*, quod est cognoscere Deum ut est « obiectum beatitudinis, quam cognoscere illud per comparationem « ad alterum, quod est cognoscere Deum secundum rationes rerum « in ipso existentes » [2].

303. *Obiectio III. — Augustinus ait :* « Omne verum quod videmus, « in ipsa, quae supra mentes nostras est, incommutabili veritate vi- « demus » — « Deus est lumen mentium ad discenda omnia, a quo « facta sunt omnia » [3].

Resp. — « Omnia dicimur in Deo videre et secundum ipsum de

1. S. Th. 1. dist. 27. a. 1. — 2. 2. 2. q. 173. a. 1. — 3. Confess. l. 12. c. 25. et de civ. Dei l. 8. c. 7.

« omnibus iudicare, in quantum per participationem sui luminis omnia « cognoscimus et iudicamus. Nam et ipsum lumen naturale rationis « participatio quaedam est divini luminis; sicut etiam omnia sensibilia « dicimur videre et iudicare in sole, idest per lumen solis. Sicut ergo « ad videndum aliquid sensibiliter non est necesse quod videatur « substantia solis, ita ad videndum aliquid intelligibiliter non est ne- « cessarium quod videatur essentia Dei » [1]. Idcirco idem s. Augustinus [2]: « Mens humana *prius haec quae facta sunt, per sensus cor-* « *poris experitur*, eorumque notitiam pro infirmitatis humanæ modulo « capit: et deinde quaerit eorum causas, si quomodo possit ad eas « pervenire principaliter et incommutabiliter permanentes in Verbo « Dei, ac sic invisibilia eius per ea quae facta sunt conspicere ».

304. **Ontologismi consectaria** (n. 38) — Ontologismus viam sternit — a) *rationalismo:* nam si vera esset ontologorum sententia, sequeretur nullas esse veritates *excedentes vires nativas humanae intelligentiae*, ac mentem humanam intuendo divinam essentiam intueri in ipsa tres divinas personas, ac propterea mysteria omnia esse reiicienda. Viam sternit — b) *pantheismo:* rerum enim intelligibilitas nil aliud est quam earum realitas: atqui iuxta ontologos res non sunt intelligibiles in seipsis, sed in Deo: ergo res non habent in seipsis realitatem sibi propriam, sed habent in Deo, quod est *pantheisticum*. Sequitur — c) etiam *ecclectismus*. Nam si omnia in Deo cognoscimus, mens nostra erroris capax esse nequit, et diversae ac oppositae philosophorum opiniones non sunt nisi totidem partes ac veluti facies veritatis; quod aiunt Ecclectici. Imo — d) vel in ordine practico pessimae consequentiae inferuntur. Semel enim admissa immediata hominis cum Deo communicatione, aperitur aditus ad theosophiam quamdam mysticam et occultam, qua facile persuaderi possunt et a culpa liberari actiones quaelibet: necnon superbus cuiuslibet auctoritatis contemptus sequitur, non sine magno moralis et socialis ordinis detrimento.

ARTICULUS II.

De modo cognitionis Dei in patria.

305. **Ecclesiae doctrina** (n. 39) — Docet hac de re Benedictus XII. [3]. « Animae Sanctorum vident divinam essentiam visione « intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti « visi se habente, sed divinâ essentiâ immediate se nude, clare et

1. S. Th. 1. q. 12. a. 11. ad 3. — 2. De gen. l. 4. n. 40. 45. 49. — 3. Const. cit. n. 15.

« aperte se ostendente; et sic videntes eâdem divinâ essentiâ per-
« fruuntur, et ex tali visione et fruitione sunt vere beatae et habent
« vitam et requiem aeternam » — Idem Pontifex hunc errorem proscripsit in *palamitis* (duce Gregorio Palama a. 1341): « Animæ pue-
« rorum baptizatorum et multorum perfectorum non vident Dei es-
« sentiam, quia nulla creatura eam videre potest, sed claritatem Dei
« quae ab eius essentia manat, sicut lux solis emanat a sole et tamen
« non est sol: et in hoc dicunt quod consistit beatitudo » — Item concil. Florentinum (a. 1439-45) declaravit « animas sanctorum intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est ». Ex quibus documentis colligitur, visionem Dei intuitivam esse in praesenti providentiae ordine ultimum hominis finem seu eius *beatitudinem*.

306. **Beatitudo** (n. 40-41) — Beatitudo, praeeunte Boëthio [1], definiri solet: « Status omnium bonorum congregatione perfectus ». Distingui solet — a) in *obiectivam* et *subiectivam* seu *formalem*: obiectiva est ipsum obiectum *beatificans* — formalis est ipsa possessio et fruitio obiecti. Utraque — b) diducitur in *essentialem* et *accidentalem*: illa est, quae, secluso quovis alio, facit *simpliciter* beatos; haec vero est quoddam veluti beatitudinis additamentum. Beatitudo *formalis* dividitur — c) in *naturalem* et *supernaturalem*, prouti vel proportionatur viribus et exigentiis naturae, vel naturae vires et exigentiam excedit.

Porro vel ipsa naturalis ratio docet, Deum tantum esse beatitudinem nostram *essentialem* obiectivam fierique subiectivam et *formalem* per actus cognitionis, amoris et consequentis fruitionis. Docet autem fides, uti nuper retulimus, actum quo Deum beate cognoscimus, esse *visionem intuitivam* divinae essentiae, actum propterea *supernaturalem* quem consequuntur amor et gaudium eiusdem ordinis; quod idem est ac dicere Deum esse in praesenti ordine providentiae beatitudinem nostram *supernaturalem*.

307. **Lumen gloriae** (n. 42) - At si visio intuitiva Dei est actus supernaturalis, necesse est, ut intellectus humanus per aliquod auxilium potens fiat ad illam eliciendam. Hoc auxilium *lumen gloriae* a theologis appellatur, cuius luminis necessitatem definivit Conc. Viennense sub Clemente V. (a. 1300), hunc proscribens inter errores Beguardorum et Beguinarum (n. 5): « Quaelibet intellectualis natura
« in se ipsa naturaliter est beata, et anima non indiget lumine gloriae
« ipsam elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum » — Quod quidem lumen, iuxta Theologos, non consistit in quodam divino *auxilio transeunte* seu in iugi influxu Dei in intellectum beati, sed situm est in qualitate *permanente* per modum *habitus*, intellectum

1. De cons. l. 3. pros. 2.

informante et cum intellectu constituente *unum principium proximum* et *adaequatum* visionis intuitivae; haec propterea habet ab intellectu ut sit actus *vitalis*, a lumine gloriae ut sit actus *supernaturalis*. Sic ergo lumen gloriae definiri potest: « *Virtus quaedam creata supernaturalis, a Deo infusa per modum habitus, intellectum elevans eumque reddens proxime potentem ad Deum intuitive videndum* ».

308. **Potentia obedientialis** (n. 43) — Ut autem possit creatus intellectus lumen gloriae in se recipere ac postea cum ipso concurrere ad visionem intuitivam producendam, habere debet ad haec capacitatem: haec capacitas, qua generatim natura creata potest in se recipere dona supernaturalia iisque receptis concurrere cum ipsis ad actus supernaturales eliciendos, appellatur *potentia obedientialis*, quae sic recte definitur a Ripalda [1]: « *Aptitudo rerum creatarum, ut pro arbitrio superioris agentis nempe Dei, eiusque auxilio ipsis indebito, munus impleant, quod nativa virtute et concursu sibi debito implere non possent* ». Haec igitur potentia simul est *passiva* et *activa* — est *passiva* in ordine ad recipienda dona supernaturalia — *activa* vero in ordine ad actus supernaturales producendos. Eadem dicenda est *naturalis* quatenus non est aliquid naturae superadditum — *supernaturalis* vero quatenus terminus, ad quem ordinem dicit, sunt actus et bona supernaturalia — Sit ergo sequens

309. **Conclusio unica** — « *In præsenti providentiæ ordine* — 1° *suprema hominis beatitudo sita est in intuitiva visione Dei* — 2° *ad quam requiritur lumen gloriae* » (n. 44-47).

Prob. 1. pars — Ratione ipsa edocemur, Dei possessionem et fruitionem esse ultimum hominis finem, qui in sacris litteris appellatur *vita aeterna* — *regnum Dei* — *gloria* — *gaudium Domini* [2]. Atqui in iisdem sacris litteris modus possessionis et fruitionis Dei describitur esse per intuitivam Dei visionem: ergo — *Prob. min.* Ac — a) Apostolus comparans nostram de Deo cognitionem in praesenti vita cum futura ait: « *Videmus nunc per speculum et in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* » [3]. Ex quibus sic: praesens nostra de Deo cognitio est *per speculum* — *aenigmatica* — *ex parte:* e contra futura de Deo cognitio erit *facie ad faciem* — similis illi qua Deus nos cognoscit. Atqui cognitio *per speculum* — *aenigmatica* — *ex parte*, est cognitio *abstractiva* sc. cognitio per creaturas, quae sunt *speculum Dei* [4],

1. De ente supern. d. 23. cfr. s. Th. 3. q. 11. a. 1. — 2. Rom. VI. 22. - 1. Io. V. 20. coll. XV. 11. - XVII. 13. 22. - cfr. Io. I. 4. - XIV. 6. - Coloss. III. 4. - Matth. XIII. 43. - cfr. V. 3. 10. - VIII. 11. - XXV. 21. 23. 34. - 1. Cor. VI. 9. - XV. 28. - 2. Tim. IV. 18. - 2. Pet. I. 11. - Apoc. XXII. 5. - 2. Cor. IV. 17. - Rom. VIII. 18. coll. V. 2. - Coloss. III. 4. - 1. Pet. V. 4. — 3. Cor. XIII. 12. — 4. cfr. testimon. s. Laurentii supra relatum.

et *ænigmata* h. e. res habens sub se absconditam notitiam Dei [1]. Ergo cognitio *facie* ad *faciem*, quæ opponitur *abstractivæ*, alia non est quam *intuitiva* — *Confirm.* ex eo quod phrasis illa, *facie ad faciem*, ex hebraico loquendi usu derivata, significat immediatam præsentiam personae ad personam: ac etiam ex eo quod cognitio, qua ipse Deus nos cognoscit et cui comparatur futura nostra de Deo cognitio, est cognitio *intuitiva*. Idem patet — b) ex pollicitationibus Christi, qui mundis corde promisit visionem Dei [2]: « *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* ». Ideirco etiam — c) plena adoptio filiorum Dei et consummatio nostrae assimilationis ad Deum in Scriptura exhibetur esse in visione intuitiva Dei: « *Nunc filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus: scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* » [3]. Ad rem igitur s. Gregorius M.: « Fuere nonnulli, qui Deum dicerent etiam in illa regione « beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime « videri. Quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit: neque « enim illi simplici et incommutabili essentiae aliud est claritas et « aliud natura; sed ipsa eius natura sua claritas, ipsa claritas natura « est. Quia enim suis dilectoribus haec Dei sapientia se quandoque « ostendet, ipse pollicetur dicens: qui diligit me, manifestabo me « ipsum illi (Io. XIV. 21.): ac si patenter dicat: qui in vestra « (humana natura) me cernitis, restat ut in mea (divina) me « natura videatis » [4].

Prob. 2. pars — Ad rem argumentatur Angelicus [5]: « Omne quod « elevatur ad aliquid quod excedit suam naturam, oportet quod di- « sponatur aliqua dispositione, quae sit supra suam naturam. Cum « autem intellectus creatus videt Deum per essentiam, ipsa essentia « Dei fit forma intelligibilis intellectus. Unde oportet quod aliqua « dispositio supernaturalis ei superaddatur ad hoc quod elevetur ad « tantam sublimitatem. Cum igitur virtus naturalis intellectus creati « non sufficiat ad Dei essentiam videndam, oportet quod ex divina « gratia superaccrescat ei virtus intelligendi. Et hoc augmentum vir- « tutis intellectivae illuminationem intellectus vocamus, sicut et ipsum « intelligibile vocatur lumen et lux » — Quod quidem lumen concipi debere per modum *qualitatis permanentis* instar *habitus*, in hunc modum suaderi potest. Pertinet ad suavem Dei providentiam dare unicuique agenti principium intrinsecum, quod sit suae operationi proportionatum. Atqui principium intrinsecum magis connaturale intellectui beato ad visionem intuitivam eliciendam est auxilium supernaturale

1. αἴνιγμα idem est ac sermo habens sub obvio suo sensu profundiorem sensum absconditum; ideirco creaturae dici possunt *ænigmata* quoad Deum, cuius notitiam sub se absconditam continent. — 2. Matth. V. 8. — 3. 1. Io. III. 2. — 4. Moral. l. 18. — 5. 1. q. 12. a. 5.

intellectum informans, ideoque qualitas supernaturalis in ipso permanens. Ergo sicut nunc infunduntur nobis *habitus* fidei, spei et charitatis ad connaturalius eliciendos respectivos actus supernaturales, sic ad analogiam horum habituum censendum est, Deum infundere in intellectum beatorum *habitum supernaturalem* ad connaturalius eliciendum actum visionis beatificae.

310. **Scholion I.** — *In quonam actu nostro sita sit essentia beatitudinis* (n. 48) — Quia beatitudo *formalis* triplicem actum complectitur sc. *visionem intuitivam, amorem* et *gaudium*, idcirco quaeritur in quonam actu essentia beatitudinis consistat. Angelicus ita disserit [1]: formalis beatitudo essentialiter consistit in consecutione ultimi finis. Atqui nullus actus voluntatis est consecutio ultimi finis: ergo — *Prob. min.* Actus voluntatis bonum prosequentis vel tendit in bonum *absens*, et est *desiderium* — vel fertur in bonum *praesens*, et est *gaudium* — vel est simplex *complacentia*, quae praescindit a praesentia vel absentia, et est *amor*. Atqui *desiderium* nondum dicit boni possessionem — *gaudium* iam possessionem boni supponit — *amor* per se nec eam includit, nec excludit: ergo. E contra per *visionem* vere possidetur Deus: ergo *in sola visione* essentia beatitudinis formalis collocanda est — Verum probabiliter dici posse videtur, *essentiam* beatitudinis *adaequate* sitam esse in actibus intellectus et voluntatis, *radicaliter* quidem in visione, *formaliter* in amore et gaudio. Essentia enim beatitudinis in eius definitione continetur. Atqui beatitudo communiter definiri solet per respectum quoque ad voluntatem (summum bonum appetitus rationalis adaequate satiativum): ergo.

311. **Scholion II.** — *An possibilis sit substantia creata, cui lumen gloriae debitum sit* (n. 49) — Negamus omnino contra Ripalda [2]. Et sane: ultima dispositio ad formam aliquam nequit esse *naturalis*, nisi naturalis sit ipsa forma; ponit enim exigentiam ut infundatur forma. Atqui lumen gloriae est ultima dispositio ad visionem Dei; intellectus enim lumine gloriae perfusus necessario videt Deum. Ergo nequit esse intellectui alicui naturale, nisi naturalis sit ipsa visio. Atqui nullus intellectus finitus postulat ex sua natura informari a divina essentia tanquam principio *quo* cognitionis, seu nulli creato intellectui naturalis est visio intuitiva Dei; hoc enim proprium est intellectus infiniti: ergo [3].

312. **Scholion III.** — *Utrum homo naturaliter appetat visionem beatificam* (n. 50) — Non datur — a) in homine appetitus *innatus exigentiae* visionis beatificae: hoc enim appetitu homo non fertur nisi in bona *naturalia* sibique *debita*. Admitti debet — b) appetitus in-

---

1. 1. 2. q. 3. a. 4. — 2. De ente supern. t. 1. d. 23. et t. 2. d. 132. s. 40. — 3. cfr. s. Th. 3. q. 12. a. 5. ad 3.

natus *aptitudinis* visionis intuitivae, quia hic appetitus nil aliud est quam *potentia obedientialis*, quam habet natura humana, ut ad ordinem supernaturalem a Deo elevetur. Item — c) homo potest *naturaliter* appetere appetitu *elicito conditionato* visionem beatificam, sicut generatim bona supernaturalis ordinis: sed per se patet ex huiusmodi desiderio nullam oriri exigentiam ad bonum desideratum. E contra talis exigentia oriretur, si desiderium esset *absolutum:* ergo appetitus naturalis *elicitus absolutus* visionis beatificae admitti nequit.

ARTICULUS III.

De obiecto visionis beatificae.

313. **Ecclesiae doctrina** — Conc. Vat. [1], confirmans definitionem Conc. Lat. [2], definivit: « Sancta catholica, apostolica, romana Ecclesia « credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, creatorem « ac dominum coeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, « *incomprehensibilem*, intellectu et voluntate omnique perfectione in- « finitum, qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommu- « tabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo « distinctus, in se et ex se beatissimus et super omnia, quae praeter « ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus ». Item Florent. [3] habet: « Definimus animas perfecte mundas in coelum mox recipi et « intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro merito- « rum autem diversitate alium alio perfectius » — Duplex est ergo caput doctrinae heic vindicandum sc. Deum esse *incomprehensibilem* et tamen *totum* a beatis videri.

314. **Genuinus comprehensionis conceptus** (n. 52) — *Comprehensio*, ait Angelicus [4] « dicitur dupliciter: uno modo stricte et « proprie, secundum quod aliquid includitur in comprehendente »: scilicet « illud comprehenditur quod perfecte cognoscitur: perfecte « autem cognoscitur, quod tantum cognoscitur, quantum est cogno- « scibile » [5] — « alio modo comprehensio largius sumitur, secundum « quod comprehensio insecutioni opponitur (seu est simplex conse- « cutio sc. quaecumque veritatis assecutio).... Hoc modo comprehensio « est una de tribus dotibus animae (beatae), quae respondet spei, « sicut visio fidei et fruitio charitati » [6]. Porro heic suminus comprehensionem in *stricta* significatione, quo in sensu comprehensio Dei definiri potest: « *cognitio divinae essentiae intrinsecam eiusdem co-* « *gnoscibilitatem exhauriens* ».

315. **Visio intensiva et extensiva** (n. 53) — Divina autem essentia

1. Cap. *Firmiter*. — 2. Const. *Dei Filius* c. 1. — 3. Decr. *Unionis*. — 4. 1. p. q. 12. a. 7. ad 1. — 5. ibid. in corp. — 6. ibid. ad 1.

dupliciter spectanda est sc. secundum id quod est *formale* in Deo, et secundum id quod est *virtuale:* dicuntur esse *formaliter* in Deo quaecumque sunt Deus ipse *qua talis,* videlicet ipsa divina essentia, divinae perfectiones ac tres divinae personae; sunt autem *virtualiter* in Deo ea quae extra Deum existunt vel existere possunt quaeque sunt in Deo tamquam in causa *exemplari* et *efficienti.* Quare distinguitur in beatis visio Dei *intensiva* et *extensiva:* illa est, qua cognoscitur divina essentia secundum id quod est *formale* in ipsa (quod dicitur obiectum *primarium* visionis): ista vero, qua noscitur secundum id quod est *virtuale* (obiectum *secundarium* visionis). Inter utramque visionem hic nexus intercedit, ut — a) pro maiori vel minori visione *intensiva* divinae essentiae maior quoque vel minor sit visio *extensiva:* si — b) visio *intensiva* est *comprehensiva,* secum ferat comprehensionem quoque *extensivam;* et vicissim incomprehensibilitas *intensiva* necessario secum ducat *extensivam* incomprehensibilitatem. Idcirco — c) *ratio formalis* incomprehensibilitatis Dei in eo sita est, quod nullus creatus intellectus, quomodocumque etiam supernaturaliter elevetur, possit Deum *intensive* cognoscere quantum ipse in se cognoscibilis est: ex quo fit etiam ut nullus creatus intellectus possit Deum *extensive* cognoscere, quantum cognoscibilis est. Sint ergo seqq. conclusiones.

316. **Conclusio I.** « *Beati nec comprehendunt, nec comprehendere possunt divinam essentiam* » (n. 56-58) — Conclusio est *de fide catholica.* Prob. — a) *ex Scripturis,* quae *tripliciter* exhibent Deum ab humana mente incomprehensibilem: — α) *explicite,* ut ex. gr. Ierem. [1]: « *Magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu* »: — et Rom. [2]: « *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius!* » Quandoque — β) *aequivalenter,* ut ex. gr. Eccli. [3]: *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc et admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis; maior est enim omni laude.... Ne laboretis, non enim comprehendetis. Quis videbit eum, et enarrabit? Et quis magnificabit eum sicuti est ab initio?* » Quandoque — γ) *a fortiori,* quum nempe Scriptura docet, nos ne opera quidem Dei comprehendere posse: ut ex. gr. Iob. [4]: « *Forsitan vestigia Dei comprehendes et usque ad perfectum Omnipotentem reperies?* » Prob. — b) *ex ratione.* Comprehensio enim est cognitio exhauriens intrinsecam rei cognoscibilitatem. Atqui divina cognoscibilitas est *infinita:* ergo ad eam exhauriendam necessaria est virtus intellectiva infinita [5] — Quod argumentum ut plenius intelligatur,

1. Ier. XXXII. 19. — 2. Rom. XI. 33. — 3. Eccli. XLIII. 32. — 4. Iob. IX. 10-XI. 7. — 5. cfr. s. Th. 1. p. q. 12 a. 7.

advertatur — a) comprehensionem in quadam *aequalitate* consistere inter actum comprehensivum et obiectum, per quam cognitio adaequat intrinsecam cognoscibilitatem obiecti. Propterea — b) quantum est de conceptu comprehensionis, non requiritur aequalitas *ontologica* seu *in ratione entis,* sed sufficit aequalitas *intentionalis,* quae in eo sita est, quod cognitio exhauriat obiecti cognoscibilitatem. Si autem — c) de comprehensione Dei sermo est, requiritur aequalitas *ontologica* seu actus comprehensivus esse debet *infinitus* ideoque *substantialis,* quemadmodum *substantia infinita* est Deus: est enim impossibilis aequalitas *intentionalis* inter actum comprehensivum Dei ipsumque Deum, quin eoipso actus ille sit *infinitus* ideoque substantialis. Actus enim, qui exhaurit *infinitam* cognoscibilitatem obiecti, a virtute intellectiva infinita procedat oportet; idcirco infinitus esse debet et substantialis. Hinc patet Deum solum seipsum comprehendere posse.

317. *Obiectio — Ea est rei simplicis conditio ut vel penitus ignoretur, vel tota perspiciatur* (n. 59).

Resp. — *dist.* tota quidem, sed non *totaliter* conc. etiam *totaliter* subdist., ab intellectu capaci, *conc.* incapaci, *nego.* Difficultas haec ex eo exurgit quod hinc quidem certum est, videntes divinam essentiam videre omnes divinas perfectiones, inde vero iuxta Augustinum « illud comprehenditur, quod ita videtur, ut nihil eius lateat videntem »: quid ergo in beatis deest ad Dei comprehensionem? Optima responsio datur a s. Thoma [1]: « Non propter hoc Deus « incomprehensibilis dicitur, quasi aliquid eius sit, quod non videatur « (*totus* quippe videtur) sed quia non ita perfecte videtur, sicut « visibilis est (non videtur *totaliter*). Sicut cum aliqua demonstrabilis « propositio per aliquam probabilem rationem cognoscitur, non est « aliquid eius quod non cognoscatur, sed tota non ita perfecte co- « gnoscitur sicut cognoscibilis est. Unde Augustinus definiendo com- « prehensionem dicit, quod totum comprehenditur videndo, quod ita « videtur, ut nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumspici « seu circumscribi possunt: tunc enim fines alicuius circumspiciuntur, « quando ad finem in modo cognoscendi illam rem pervenitur ». Idcirco, quamvis beati divinas omnes perfectiones videant, tamen Deum non comprehendunt, *formaliter* quidem quia ad singularum perfectionum profundum pervenire non possunt, seu comprehensione *intensiva* carent — *consequenter* quia omnia possibilia haud cognoscunt, seu comprehensione *extensiva* destituuntur.

318. **Conclusio II.** « *Beati videntes divinam essentiam, primario vident eoipso omnes divinas perfectiones necnon divinas personas* » (n. 60). Conclusio est *de fide catholica* et sic probatur ex summa Dei simplicitate. Beati vident divinam essentiam *prouti est in se.* Atqui — a)

1. q. 12. a. 7. ad 2.

una simplicissima divina essentia absque ulla in se distinctione est omnis perfectio: ergo videntes divinam essentiam necessario vident omnes et singulas Dei perfectiones. Atqui iterum — b) eadem divina essentia *prouti in se est*, ex intima sua perfectione est *Pater* idest intellectus exprimens Verbum — est *Filius* idest Verbum a Patre expressum — est *Pater* et *Filius*, qui diligendo habent amorem procedentem tamquam immanentem sibi terminum, qui *Spiritus Sanctus* appellatur. Qui ergo divinam essentiam intuetur *prouti est in se*, necessario divinas personas videt.

319. *Obiectio — Si valeret hoc argumentum, sequeretur beatos videre in Deo tum omnia possibilia, tum occulta Dei decreta* (n. 61).

Resp. — neg. parit. Quoad *primum* distinguatur in rebus contingentibus duplex esse sc. *formale* et *eminens:* esse *formale* est illud quod res *creatae* habent in se ipsis, et quod *possibilia* haberent, si a Deo producerentur — *eminens* est illud, quod habent in Deo sc. est divina essentia quatenus est imitabilis *ad extra* atque ideo aeternum *exemplar* omnium quae sunt vel esse possunt. Porro videntes divinam essentiam, vident quidem — a) eam esse in indefinitum imitabilem ad extra, nihilque extra Deum esse posse nisi secundum causam illam *exemplarem:* seu vident esse *eminens* creaturarum. At — b) inde non sequitur eos videre totum esse *creabile* et *creatum* seu omnia entia secundum quae divina essentia est imitabilis: haec enim, quamvis in divina essentia cognoscibilia sint, tamen non cognoscuntur nisi ab intellectu qui eam *comprehendit*.

Quoad *alterum* advertatur, divina decreta nil esse aliud quam divinam voluntatem quatenus *connotat* seu relationem habet ad obiecta extrinseca ut existant in aliqua temporis differentia. Huiusmodi vero connotatio nihil superaddit Deo ideoque ex parte Dei est *relatio rationis*. Quemadmodum ergo videntes divinam essentiam, non idcirco vident omnia possibilia, ita pari ratione videntes divinam voluntatem non idcirco vident omnes eius effectus *ad extra*.

320. **Conclusio III.** « *Beati secundario vident — 1° quae in statu viæ sunt obiectum fidei — 2° quae ex intuitiva visione causae primae pro vi luminis gloriae videri possunt — 3° quae ad singulorum statum et gradum pertinent* » (n. 62-64).

Prob. 1. pars — Sane — a) visio Dei est dos animae succedens fidei eamque consummans, iuxta illud Pauli [1]: « *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est ..... Videmus nunc per speculum in aenygmate, tunc autem facie ad faciem* »: ergo. Praeterea — b) quilibet fidelis desiderat videre quae fide credit: atqui beatitudo est perfecta quies iustorum et desideriorum omnium satia-

1. 1. Cor. XIII. 10. coll. - 2. Pet. I. 19.

tiva: ergo. Quare s. Augustinus [1] explicans illud Isaiae [2]: « *Videbitis et gaudebit cor vestrum* » ait: « Hic creditis, ibi videbitis ».

Prob. 2. pars — Profecto divinam essentiam intuentes, eam necessario vident tamquam causam *exemplarem* omnium rerum — causam *efficientem* et *conservantem* eorum quae actu existunt — causam *finalem* ad quam omnia ex necessariis rerum naturis ordinantur. Hinc — a) pro maiori vel minori perfectione luminis gloriae vident plura vel pauciora possibilia *in rationibus aeternis:* item — b) censeri debent videre totum universum creatum, saltem quoad genera et species rerum permanentium secundum earum rationes in Deo existentes: ad haec enim cognoscenda naturalem habent appetitum, qui, nisi satiaretur, eorum beatitudinem impediret [3].

Prob. 3. pars — Sane singuli beati sunt cives Ierusalem cœlestis, in qua in diverso statu et gradu constituti sunt, et diversum habent ordinem diversasque relationes ad Ecclesiam triumphantem, purgantem et militantem, quae communione sociantur. Atqui ipsa perfectio spirituum consummatorum exigit, ut singuli omnia videant quae ad statum suum pertinent. Ergo — a) « singuli vident omnes beatorum « angelorum et hominum ordines, numerum, merita, dignitatem et « gloriam: par enim est ut civitatem suam et domum patris sui et « fratres suos et cives optime norint, et bonitatem Dei et misericor- « diam in singulis admirentur et laudent » [4] — b) singuli cognoscunt quae ad ipsorum ministerium pertinent in commodum Ecclesiae purgantis et militantis, ac proinde vident preces quas viventes ad ipsos dirigunt. Imo — c) ipsorum perfectio postulat, ut eas cognitiones retineant quas in via acquisierunt, necnon eas relationes ad parentes et amicos quas natura ipsa suggerit.

321. **Rosminii doctrina** (n. 65) — Prostant propositiones tres damnatae, quas oportet singillatim expendere — Prop. 38: « *Deus est obiectum visionis beatificae in quantum est auctor operum ad extra* ». Vitium huius propositionis duplex est: *primum* quod Deus dicatur obiectum visionis beatificae non secundum esse *absolutum* et *internum*, sed *relativum* et *externum* (cfr. n. 302) — *alterum* quod Deus sit obiectum visionis solummodo uti est *unus* in natura, non vero uti est *trinus* in personis, quod est contra fidem (n. 318). Deus enim est auctor operum *ad extra* non ut personis trinus, sed ut naturá unus — Prop. 39: « *Vestigia sapientiae et bonitatis,* « *quae in creaturis relucent, sunt comprehensoribus necessaria; ipsa*

1. *De civ.* XX. 21. — 2. Is. LXVI. 14. — 3. Distinguunt Theologi, praeeunte Augustino, duplicem cognitionem in beatis, ***matutinam*** et ***vespertinam***: dicunt ***matutinam*** eam qua vident possibilia et actu existentia in divina essentia tamquam in causa exemplari — ***vespertinam*** appellant eam qua vident res in se ipsis idest in propria intelligibilitate. — 4. Lessius *De sum. bono* l. 2. c. 9. n. 61.

« *enim, in æterno exemplari collecta, sunt ea ipsius pars quæ ab* « *illis videri potest* (*che è loro accessibile*), *ipsaque argumentum præ-* « *bent laudibus quas in æternum Deo beati concinunt* ». Porro tria hic affirmat Rosminius, quae cum sana doctrina conciliari non possunt. Ac — a) quidem vestigia divinarum perfectionum in creaturis relucentia necessaria esse comprehensoribus. At quanam de causa? Non ut a creaturis ad Deum ascendant, quia Deum immediate vident in seipso — neque ut exinde beatitudinem nanciscantur: « etiamsi « enim *solus Deus videretur*, ait Angelicus [1], qui est fons et princi- « pium totius esse et veritatis, ita repleret naturale desiderium sciendi « quod nihil aliud quaereretur et beatus (homo) esset ». Affirmat — b) eadem vestigia in divino exemplari collecta esse eam ipsius partem, quae a beatis videri possit: quibus quidem Rosminius confirmat ea quae docet in praecedenti propositione. Affirmat — c) eadem vestigia a beatis visa argumentum eisdem praebere laudandi et glorificandi Deum. At si res ita se habet, gloria quam beati Deo tribuunt, erit tantum *extrinseca*, non *intrinseca* — item *amor* quo Deum diligunt, erit tantum *concupiscentiae*, non *benevolentiae*, non *caritas* quae nunquam excidit — Prop. n. 40: « *Cum Deus non possit nec per lumen* « *gloriae totaliter se communicare entibus finitis, non potuit comprehen-* « *soribus essentiam suam revelare et communicare nisi eo modo, qui* « *finitis intelligentiis sit accomodatus: scilicet Deus se illis manifestat* « *quatenus cum ipsis relationem habet ut eorum creator, provisor, re-* « *demptor, sanctificator* ». Porro hac propositione — a) orthodoxe quidem docet Rosminius Deum non posse ab intellectu creato et elevato per lumen gloriae comprehendi. Idcirco — b) « non potuit Deus essen- « tiam suam revelare et communicare (beatis) nisi eo modo, qui finitis « intelligentiis sit accomodatus ». At — c) quis iste modus? Iuxta catholicam doctrinam est visio non comprehensiva divinae essentiae prouti *est in se* sc. secundum esse *absolutum*: e contra iuxta Rosminium est visio Dei « *quatenus cum creaturis relationem habet ut earum creator, provisor, redemptor, sanctificator* » sc. secundum esse *relativum*. Rosminius ergo supponit visionem divinae essentiae secundum esse *absolutum* idem esse ac visionem comprehensivam, ac propterea ipsum comprehensionis conceptum pervertit.

ARTICULUS IV.

De proprietatibus visionis beatificae.

322. **Prologus** (n. 66) — Tres sunt visionis beatificae proprietates, *supernaturalitas* de qua iam egimus — *inaequalitas* — *perpetuitas*,

1. 1. p. q. 12. a. 8. ad 4.

quacum connectitur beatorum *impeccabilitas* — hisce adnectitur quæstio de tempore quo visio beatifica confertur.

323. **Inaequalitas** (n. 67-68) — *Inaequalitatem* visionis negavit Iovinianus saec. IV. qui stoicorum placita secutus, sicut merita et peccata, ita etiam praemia et supplicia *æqualia* esse contendit. Lutherus ad eandem illationem pervenit ex sua opinione ductus, quod iustificatio nil aliud sit quam Christi iustitia nobis imputata. At Conc. Flor. [1] definivit « sanctorum animas mox in cœlum recipi et intueri « clare ipsum Deum trinum et unum, *pro meritorum diversitate alium* « *alio perfectius* ». Quae definitio ita ex Angelico illustratur [2]: « Intellectus plus participans de lumine gloriae perfectius Deum videbit. « Plus autem participabit de lumine gloriae, qui plus participabit de « charitate, quia ubi est maior charitas, ibi est maius desiderium, et « desiderium facit quodammodo desiderantem aptum et paratum ad « susceptionem desiderati »

324. **Perpetuitas** (n. 69) — De visionis beatificae *perpetuitate* haec habet Benedictus XII. [3]: « Postquam inchoata fuerit talis intuitiva « et facialis visio et fruitio in eisdem, eadem visio et fruitio sine « aliqua intercessione seu evacuatione praedictae visionis et fruitionis « continuata existit et continuabitur usque ad finale iudicium, et ex « tunc usque in sempiternum ». Quam quidem perpetuitatem dicimus esse repetendam *ab intrinseco:* quod est contra Scotum, qui censet ex sola Dei voluntate ipsam procedere.

325. **Impeccabilitas** (n. 70) — Hinc sequitur beatos esse *impeccabiles,* quam beatorum praerogativam Origenes negasse fertur. Non conveniunt tamen Theologi in assignanda radice impeccabilitatis seu *formâ* illâ beatis inhaerente, per quam impeccabiles redduntur. Nobis statui posse videtur iuxta dicta n. 310) *radicem* huius prærogativæ sitam esse in visione Dei, quatenus haec necessitat ad amandum et amor ad non peccandum — *formaliter* vero in actibus amoris et gaudii, uti ex ipsis argumentis infra afferendis patebit.

326. **Tempus collationis visionis beatificæ** (n. 71) — Fuit error quorundam, saeculo superiore renovatus a Burneto [4], quod animabus quibus nihil luendum superest, visio beatifica usque ad diem universalis iudicii differatur. Ecclesiae autem doctrina tenet, animas perfecte mundas vel purgatas ex hac vita decedentes *statim* assequi beatitudinem: ita quidem Benedictus XII. in Const. cit. — item Conc. Flor. (l. c.) et implicite Tridentinum [5] damnans eos qui negant « Sanctos aeterna felicitate in Cœlo fruentes invocandos esse ». Sint ergo seqq. conclusiones.

1 Decr. *unionis.* — 2. s. Th. 1. p. q. 12. a. 6. coll. ad 3. et a. 8. et 1. 2. q. 5. a. 2. — 3. Const. *Benedictus Deus* saepius citata. — 4. apud Muratori *De parad.* c. 15 — 5. Sess. 25. decr. de invoc. SS.

327. **Conclusio I.** « *Visio beatifica in diversis comprehensoribus pro meritorum diversitate inaequalis existit* » (n. 72-74) — Haec conclusio est *de fide catholica* et probatur — a) ex *Scripturis* simul et *Patribus*. Sic e. g. Christus dixit [1]: « *In domo Patris mei mansiones multae sunt. Si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum* ». In quae s. Ambrosius [2]: « Sicut incrementa virtutum, ita « etiam incrementa praemiorum..... Cum fueris in regno coelorum, « tunc processus est mansionum; etsi unum regnum, diversa tamen « merita sunt in regno coelorum » — Item Apostolus [3]: « *Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate. Sic et resurrectio mortuorum* ». In quae Chrysostomus [4]: « Ut in terrestribus, sic in coelestibus quoque di- « versitas quaedam est non parva, prorsus ad extrema usque per- « vandes » — Denique haec veritas ex iis omnibus Scripturae effatis colligitur, in quibus Deus dicitur *redditurus unicuique secundum opera eius* [5] — vel gloria exhibetur ut *merces, corona, praemium* [6]. Hinc Apostolus [7]: « *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet* ». Item — b) ex ratione iustitiae commutativae. Pertinet enim ad sapientem legislatorem iustumque remuneratorem, ut in decernendis praemiis non secus ac poenis proportionem cum meritis et demeritis servet: secus nullum esset incitamentum ad perfectiora bona opera prosequenda. Atqui visio intuitiva est praemium iustis promissum: ergo proportione respondere debet meritorum diversitati.

328. **Solvuntur obiectiones** (n. 75-76). *Obiectio I. — Iuxta parabolam evangelicam* [8] *paterfamilias omnibus operariis eundem denarium retribuit, quamvis inaequaliter laboraverint: ergo.*

Resp. s. Thomas [9]: « Unitas denarii significat unitatem beatitu- « dinis ex parte obiecti: sed diversitas mansionum significat diversi- « tatem beatitudinis secundum diversum gradum fruitionis » — Aliter s. Grysost. (in h. l.): « Undique ergo manifestum est nobis, tum ad « illos qui ex prima aetate, tum ad illos qui tardius et in senectute « virtutem (aut fidem) amplectuntur, dictam fuisse parabolam. Ad « illos ne superbirent, neve exprobrarent iis qui circa undecimam » horam venerunt: ad hos autem ut discerent totum brevi tempore « acquiri posse ».

329. *Obiectio II. — Inaequalitas beatitudinis esset causa invidiae, moeroris, desiderii: ergo.*

---

1. Io. XIV. 2. — 2. in Luc. l. 5. c. 6. — 3. 1. Cor. XV. 41. — 4. Hom. 41. — 5. Matth. X. 41. XVI. 27. - Luc. XIX. 16. - Rom. II. 6. - 1. Cor. III. 8. - 2. Cor. IX. 6. - Apoc. XX. 12. — 6. 2. Tim. IV. 8. — 7. 2. Cor. IX. 6. — 8. Matth. XX. 1. — 9. 1. 2. q. 5. a. 2. ad 1.

Resp. — recte Iulianus Pomerius [1]: « Sicut corporalis saturitas « omnes saturos aequaliter habet, quamvis singuli non aequaliter, « sed pro possibilitate perceperint: ita sancti omnes, etsi fuerint aliqua « graduum suorum diversitate distincti, una tamen beatitudine per- « fecti erunt, quia et una perfectione beati futuri erunt ».

330. **Conclusio II.** « *Visio intuitiva — 1° inamissibilis est ac propterea — 2° beati impeccabiles evadunt* » (n. 77-80). Haec quoque conclusio est *de fide catholica.*

Prob. 1. pars — a) ex Scriptura ubi beatitudo nostra dicitur *vita aeterna — haereditas aeterna — gloria aeterna — aeternum gloriae pondus — regnum aeternum* [2] *- gaudium non auferendum — thesaurus non furandus — perpetua cum Deo commoratio — corona immarcescibilis* et *incorruptibilis* [3]. Item — b) ex ratione: « Cum beati- « tudo sit perfectum bonum et sufficiens, oportet quod desiderium ho- « minis quietet et omne malum excludat. Naturaliter autem homo « desiderat retinere bonum quod habet, et illud retinendi securitatem « habere: alioquin necesse est quod timore amittendi vel dolore de « certitudine amissionis affligatur. Requiritur igitur ad veram beati- « tudinem quod homo certam habeat opinionem bonum quod habet, « nunquam se amissurum: quae quidem opinio si vera sit, consequens « est quod beatitudinem nunquam amittat. Si autem falsa sit, hoc « ipsum est quoddam malum falsam opinionem habere: nam *falsum* « est malum intellectus, sicut *verum* est bonum ipsius. Non igitur « iam vere erit beatus, si aliquod malum ei inest » [4].

Prob. 2. pars — a) ex *Scriptura* ubi e. g. legitur [5]: « *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt* ». Atqui peccatum causa est lacrymarum compunctionis — causa doloris — mors animae: ergo a beatitudine excluditur. Item — b) ex ratione: « Cum divina essentia, ait Angelicus [6], sit ipsa beatitudo, « hoc modo se habet intellectus videntis divinam essentiam ad Deum, « sicut quilibet homo ad beatitudinem. Manifestum est autem quod « nullus homo potest per voluntatem a beatitudine averti. Naturaliter « enim et ex necessitate homo vult beatitudinem et fugit miseriam. « Unde nullus videns Deum per essentiam potest voluntate averti a « Deo seu peccare ».

331. **Conclusio III.** « *Visio beatifica sine mora confertur animabus perfecte mundis* » (n. 81-82): quae quoque conclusio est *de fide*

1. *De vit. contempl.* l. 1. c. 4. — 2. Io. X. 28. - 2. Cor. IV. 17. - Hebr. IX. 15. - 1. Pet. V. 10. - 2. Pet. I. 10. — 3. Io. XVI. 22. coll. - Matth. VI. 20. - 1. Thess. IV. 16. - Dan. XII. 3. - 1. Pet. 1. 4. et 1. Cor. IX. 25. — 4. s. Th. 1. 2. q. 5. a. 4. — 5. Apoc. XXI. 4. — 6. 1. p. q. 94. a. 1. - cfr. q. 82. a. 2. et 1. 2. q. 5. a. 4. c. g. l. 4. c. 92.

catholica. Probatur — a) ex Apostolo qui ait [1]: « *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus et non per speciem. Audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore et praesentes esse ad Deum. Et ideo contendimus, sive absentes, sive praesentes, placere illi* ». Ex quibus sic: anima quousque est in corpore, peregrinatur a Domino: cum separatur a corpore, præsens fit Deo (utique, si non obsit culpa vel pœna). Atqui peregrinari a Domino est ambulare per fidem — esse praesentem ad dominum est ambulare per speciem, quod in doctrina Apostoli idem est ac *videre facie ad faciem*. Ergo animae iustorum, si nil luendum superest, statim admittuntur ad beatificam visionem. Idcirco idem Apostolus cupiebat « *dissolvi et esse cum Christo* » [2]: profecto nec mori desiderasset, si visio Dei nonnisi in fine mundi obtineri posset. Nec — b) deest egregia ratio ex Angelico [3]: « Tam praemium quam « poena convenienter ab anima derivatur ad corpus, non autem « animae convenit propter corpus. Nulla igitur ratio est quare in « punitione vel praemiatione animarum expectetur resumptio corpo- « rum, quin magis conveniens videtur ut animae, in quibus per prius « fuit culpa et meritum, prius etiam puniantur vel praemientur ».

332. **Scholion I.** — *De dotibus animæ beatæ* (n. 83) — Sicut « dos « in matrimonio corporali proprie dicitur illud, quod datur ab his « qui sunt ex parte mulieris, his qui sunt ex parte viri, ad susten- « tanda onera matrimonii » [4]; sic *dos* animae beatae, in aeternum Christo nubentis, dicuntur ea dona, quibus a Deo patre dotatur et ornatur anima, non quidem ad sustinenda onera mystici connubii, quae nulla sunt, sed ut condigne fruatur statu illo cum sponso Christo. Sic definitur dos ab Angelico [5]: « *Dos est perpetuus animae ornatus, vitae sufficiens, in aeterna beatitudine iugiter perseverans* ». Porro haec dos animae beatae est *lumen ipsum gloriae*, quod virtualiter est triplex habitus: prouti enim — a) intellectum proxime potentem facit ad Deum videndum, est *dos visionis:* prouti — b) removet impedimenta ut anima possit Deum possidere, est dos *comprehensionis:* prouti — c) simul cum habitu charitatis, quæ nunquam excidit, animam disponit ad fruendum Deo, est *dos fruitionis* [6].

333. **Scholion II.** — *De aureolis — de beatitudine accidentali* (n. 84-85) — *Aureola*, si vim vocis spectes, idem sonat ac *corona aurea minor:* quoad rem est gaudium accidentale, a beatis pro singulari quadam victoria perceptum. Porro tres aureolae a Theologis designantur pro *triplici* victoria, quam homines referre possunt de tribus Christi nostraeque salutis hostibus, *carne, mundo, daemone*. De carne triumphat *virgo*, de mundo *martyr*, de daemone *doctor*, qui sanâ

1. 2. Cor. V. 6. — 2. Philipp. I. 23. — 3. c. g. l. 4. c. 91. — 4. S. Th. Suppl. q. 95. a. 1. ad 1. — 5. ibid. corp. coll. a. 2. 4. — 6. cf. s. Th. 1. p. q 12. a. 7.

doctrinâ a se aliorumque cordibus diabolum removet. Idcirco virginibus, martyribus et doctoribus aureolae assignantur [1].

Beatitudo *accidentalis* ea intelligitur, quae veluti accidit *essentiali*, ea scilicet quae oritur ex visione obiecti *secundarii*. Porro haec augeri potest et reapse augebitur, novis accedentibus causis incrementi. Sic ex. gr. legitur [2]: « *Gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente* » — item gloria animae augebitur per corporis resurrectionem [3].

CAPUT III.

De essentia Dei metaphysica eiusque attributis in communi spectatis.

334. **Prologus** — Etsi divinum esse sit in se simplicissimum, tamem mentis operatione plura in eo discernimus, atque imprimis distinguimus inter essentiam et attributa, ac inter diversa attributa ad invicem. Quare duplici distincto articulo agimus de *constitutivo divinae naturae* seu de essentia Dei *metaphysica* — de divinis attributis *generatim* deque modo quo tum a divina essentia, tum a se invicem distinguantur.

ARTICULUS I.

De constitutivo divinæ naturæ.

335. **Essentia physica et metaphysica** (n. 87) — *Essentia* seu rei *quidditas* dupliciter sumitur — a) quatenus est complexus eorum omnium, quae necessario communia sunt singulis subiectis eiusdem speciei, et appellatur essentia *physica* — b) accipi potest pro illa nota essentiali, quae sive formaliter, sive virtualiter est radix ceterarum perfectionum essentialium, et haec appellatur essentia *metaphysica*. Sic in homine complexus animalitatis et rationalitatis est essentia *physica*, rationalitas essentia *metaphysica*.

336. **Quae utraque sit in Deo ipso** (n. 88-89) — Iuxta hanc ergo theoriam — a) complexus perfectionum divinarum, quae tribus personis sc. Patri, Filio et Sp. Sancto communes sunt, ad analogiam essentiæ physicæ creatae haud immerito appellari potest essentia *physica* Dei. At — b) quaenam eius essentia *metaphysica?* Triplex est sententia — *Prima*, quae *nominalibus* cum Guilielmo Occam necnon *scotistis*

1. cfr. Is. LVI. 4. - Apoc. VII. 17. - Dan. XII. 3. - cf. s. Th. Suppl. q. 97. — 2. Luc. XV. 7. — 3. cfr. Bened. XIV. *De Canoniz. et Beat.* l. 1. c. 5.

communis est, eam in attributo divinae *infinitatis* reponit — *secunda* quae est *thomistarum*, eam in divina *intellectione* constituit — *tertia* quae est *communior*, tuetur rationem propriam Divinitatis sitam esse in *aseitate*.

337. **Conclusio I.** « *Constitutivum divinae naturae in eo reponendum est quod Deus sit ens a se* » (n. 90-91) — Revera — a) ex revelatione constat nomen *proprium* Dei esse *Qui est* (hebraice *Iehovah*) [1]. Atqui huius nominis vis est ut declaret Deum esse *ens a se:* ergo ex revelatione constat *aseitatem* esse divinae naturae constitutivum — *Prob. min.* Ille qui definitur *Qui est,* est ens cui essentiale est esse seu de cuius essentia est esse. Atqui ens, cui essentiale est esse, est ens necessario existens, sicut ens contingenter existens est illud cui non est essentiale esse: ens autem necessario existens est ens improductum, *ens a se:* ergo vis nominis *Qui est* in eo sita est quod significet Deum esse *ens a se*. Ad rem Hieronymus [2]: « Quo-« modo nomen commune substantiae sibi proprium vindicat Deus? « Quia cetera ut sint, Dei sumpsere beneficio; Deus vero, qui semper « est nec habet aliunde principium et ipse sui origo est suaeque causa « substantiae, non potest intelligi aliunde habere quod subsistit ». Praeterea — b) ratio *entis a se* vere est radix ceterarum perfectionum quae Deo insunt: « Deus enim, ait Angelicus [3], est ipsum esse per « se subsistens: *ex quo* oportet quod totam perfectionem essendi in « se contineat. Manifestum est enim quod si aliquod calidum non « habeat totam perfectionem calidi, hoc ideo est quia calor non par-« ticipatur secundum perfectam rationem: sed si calor esset per se « subsistens, non posset ei aliquid deesse de virtute caloris. Unde « cum Deus sit ipsum esse per se subsistens, nihil de perfectione « essendi potest ei deesse: secundum hoc enim aliqua perfecta sunt, « quod aliquo modo esse habent ».

338. **Conclusio II.** « *Reliquae duae sententiae insufficientes videntur* » (n. 92). Revera — a) *infinitas* sive *actualis* seu cumulus perfectionum, in quo *nominales* constitutivum divinae naturae reponunt, sive *radicalis* seu exigentia omnium perfectionum, in qua immorantur scotistae, quaestionem insolutam relinquit: superest enim illam proprietatem divinae naturae assignare, propter quam Deus omnem perfectionem exigit habere actuque habet. Neque — b) quaestionem solvit thomistarum opinio. Quamvis enim *intelligere* in rebus creatis sit supremus gradus, minime vero est in Deo: *supra* enim et *ante* gradum intellectualitatis concipitur ratio *entis a se* seu *ipsum esse subsistens*, quod sicut ceterarum divinarum perfectionum,

1. « *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in aeternum* ». Exod. III. 13. — 2. in Eph. III. 14. - cfr. s. Th. 1. q. 13. a. 11. — 3. 1. q. 4. a. 2.

sic et divinae intellectualitatis sive actualis, sive radicalis est principium et fundamentum [1].

339. **Corollarium** (n. 93) — Ex dictis colligere licet meliorem definitionem, quae de Deo dari potest, hanc esse: *Deus est ens a se:* ubi ratio *entis* locum tenet *generis proximi,* ratio *aseitatis* ponitur ut *differentia specifica.*

ARTICULUS II.

De divinis attributis generatim.

340. **Notio attributi** (n. 94) — Divini *attributi* nomine sensu proprio magisque vulgato designatur quaevis divina perfectio praeter essentiam et personas concepta, atque per modum formae quasi superaddita divinae essentiae. Sic communiter definitur: « *perfectio divina per modum formae ad divinam essentiam metaphysicam accedens* » — Subtilius distinguunt nonnulli inter *attributum* et *proprietatem,* quatenus per *attributum* perfectionem intelligunt superadditam divinae essentiae et creaturis communicabilem (ex. gr. sapientiam) — per *proprietatem* vero potius intelligunt *modum* quemdam existendi divinae essentiae et cuiuslibet eius perfectionis, creaturis incommunicabilem (e. g. infinitas, immensitas, immutabilitas).

341. **Partitiones** (n. 96) — Divina attributa dividuntur — a) in *affirmativa* et *negativa* seu in illa quae de Deo aliquam perfectionem simpliciter affirmant, ut ex. gr. bonitas, sapientia; et illa quae imperfectionem removent, cum adsignificatione perfectionis, ut ex. gr. infinitas, immutabilitas — b) in *communicabilia* et *incommunicabilia* creaturis — c) in *absoluta* et *relativa:* dicuntur *absoluta* quae per se non adsignificant terminum a Deo distinctum, ut. ex. gr. sapientia, bonitas, infinitas: *relativa* quae terminum a Deo distinctum adsignificant, ut ex. gr. providentia, potentia — d) in *quiescientia* seu perfectiones essendi et *actuosa* seu perfectiones operandi: priora Deum exhibent absque relatione ad operationes divinas, ut ex. gr. æternitas, simplicitas: posteriora Deum exhibent in relatione ad divinas operationes, ut ex. gr. potentia, intellectus, voluntas.

342. **Distinctio realis et rationis** (n. 97) — Iam quaeritur quae distinctio admitti debeat, quae non debeat admitti inter divinam essentiam et attributa, necnon attributa ad invicem — *Distinctio* generatim — a) est negatio identitatis et duplex effertur, *realis* et *rationis:* distinctio *realis* est negatio identitatis in ipsa re, distinctio *rationis* est negatio identitatis quoad conceptus. Haec — b) alia est rationis *ratiocinantis,* alia rationis *ratiocinatae* seu *virtualis:* illa est cuius funda-

1. cfr. s. Th. 1. 2. q. 2. a. 5. ad 2.

mentum non est *in re* sed *in solo intellectu*, ut si quis distingueret inter gladium et ensem: ista vero cuius fundamentum est extra intellectum idest *in re*, quae propter varias perfectiones variis conceptibus praebet fundamentum, ut si distingueres in anima humana inter principium intellectivum, sensitivum et vegetativum.

343. **Doctrina tenenda** (n. 98) — Porro hac in re duplex oppositus error vitandus est. *Primus* est eunomianorum, quem renovarunt *nominales*, quamlibet distinctionem in Deo negantes, ita ut e. g. nominibus iustitiae et misericordiae, quatenus ad Deum referuntur, unum idemque significetur, diversis tamen nominibus hoc unum appelletur, quia Deus et punit et parcit — *Ex adverso* Gilbertus Porretanus episcopus pictaviensis sec. XII. docere coepit, tum attributa inter se, tum a divina essentia realiter esse distincta: quem errorem renovavit Hermesius [1]. Doctrina autem Gilberti damnata est a Conc. Rhemensi (a. 1148), cui interfuit Eugenius III.: « Credimus « simpliciter naturam Divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catho- « lico posse negari quin Divinitas sit Deus et Deus Divinitas. Si vero « dicitur, sapientiâ sapientem, magnitudine magnum, divinitate Deum « esse et alia huiusmodi, credimus nonnisi eâ sapientiâ quae est ipse « Deus sapientem esse, nonnisi ea magnitudine quae est ipse Deus « magnum esse, nonnisi ea aeternitate quae est ipse Deus aeternum « esse, nonnisi ea unitate unum quae est ipse, nonnisi ea divinitate « Deum quae est ipse i. e. seipso sapientem, magnum, aeternum, « unum Deum ». Sint ergo seqq. conclusiones.

344. **Conclusio I.** « *Haeretica est doctrina quae realem distinctionem ponit inter essentiam et attributa necnon attributa ad invicem* (n. 99-100). Revera — a) distinctio *realis* est negatio identitatis in ipsa re. Atqui Scripturae exhibent Deum ut unum idemque cum singulis suis perfectionibus: ergo — *Prob. min.* Deus e. g. non modo dicitur habere vitam in seipso [2], sed dicitur *ipsa vita* [3]: « *Ego sum via, veritas et vita* » — non modo in Deo sunt « *omnes thesauri sapientiae et scientiae* [4], sed dicitur esse *ipsa sapientia:* [5] « *Nos prædicamus Christum .... Dei virtutem et Dei sapientiam* » — non modo est « plenus veritatis » [6], sed est *ipsa veritas* [7]: « *Et spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas* » — non modo habitat lucem [8], sed est *lux ipsa* [9]: « *Deus est lux et tenebrae in eo non sunt ullae* » — non modo charitas ex Deo est, sed Deus est *ipsa charitas* [10]: « *Deus charitas est* ». Hinc ad rem s. Augustinus [11]: « Deus ideo

1. Dogm. t. 1. pag. 133. — 2. Io. I. 4. - V. 26. — 3. Io. XIV. 16. - cf. 1. - Io. I. 2 — 4. Coloss. II. 3. - cf. Rom. XI. 33. — 5. 1. Cor. 1. 24. — 6. Io. I. 15. — 7. 1. Io. V. 6. — 8. 1. Tim. VI. 16. - cf. 1. - Io. I. 7. — 9. 1. Io. I. 5. - cf. Io. I. 4. - III. 19. - XII. 46. — 10. 1. Io. IV. 8. 16. — 11. *De civ. Dei* l. 11. c. 10.

« simplex dicitur, quia *quod habet, hoc est,* excepto quod relative « quaeque persona ad alteram dicitur. Nam utique Pater habet « Filium, nec tamen ipse est Filius ». Ex his sequitur — b) divina quoque attributa a se invicem non distingui iuxta illud: *quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.*

345. **Conclusio II.** « *Perfectioni divini esse consentanea est distinctio virtualis* » (n. 101-103) — Revera — a) admittendam esse in Deo distinctionem aliquam *rationis,* hac simplici ratione suadetur. Ibi adest distinctio rationis ubi adest diversitas conceptuum: atqui Scripturae nos docent plures conceptus de Deo efformare: ergo — *Prob. min.* Nomina sunt expressiones conceptuum, sicut conceptus sunt expressiones rerum: atqui in Scripturis plurima Deo tribuuntur nomina et praedicata, quae non sunt *synonyma:* ergo. Revera si haec nominum et conceptuum diversitas deesset, Scriptura censenda foret nugatorie loqui, dum ex. gr. modo dicit: *iratus est Dominus:* modo vero: *misertus est Dominus:* diversa quippe nomina adhiberet et unam eandemque rem significaret [1]. Hanc vero distinctionem — b) esse *virtualem* ex eo patet, quod una simplicissima divina essentia infinitis perfectionibus revera aequivalet diversosque effectus in creaturis producit, ac si in ipsa plures essent potentiae seu virtutes realiter distinctae. Quapropter — c) huius distinctionis fundamentum duplex est; ex parte rei cognitae est *eminentia* divini esse, ex parte intellectus cognoscentis est *modus cognoscendi* Deum per creaturas [2].

346. **Distinctio scotistica** (n. 104) — Novam distinctionis speciem invexerunt scotistae, quam *formalem ex natura rei* appellant. Convenit haec distinctio cum distinctione *reali,* quatenus mentis operationem *antecedit:* differt quatenus nullam in obiecto realem divisionem ponit. Hanc distinctionem interesse dicunt inter divinam essentiam et attributa, necnon attributa ad invicem. At merito observat Fran« zelin [3]: « haec distinctio vel ad *realem* delabitur, vel ad distinctionem « *rationis cum fundamento in re* revocanda est, quoniam *medium* « inter hanc utramque, in quo consistere vellent, revera nullum est ».

CAPUT IV.

De divinis attributis quiescentibus.

347. **Prologus** (n. 105) — Potiora sunt *infinitas* — *unitas* tum *simplicitatis* tum *singularitatis* — *aeternitas* — *immensitas* — *immutabilitas.* De singulis disserendum.

348. **Conceptus infiniti** (n. 106-108) — Ad conceptum infiniti

1. cfr. s. Th. 1. q. 13. a. 4. — 2. cfr. s. Th. ibidem ad 3. — 3. *De Deo* th. 13.

triplex elementum pertinet sc. *materiale* quod est omnium perfectionum complexus — *formale* quod est omnimoda carentia limitationis tum quoad numerum perfectionum, tum quoad singularum perfectionum entitatem — *radicale* quod est exigentia seu necessitas infinitatis h. e. *aseitas*. Hinc infinitas recte definitur a Lessio: « *omnis perfectionis et entitatis simplicissima et eminentissima complexio* »[1] — Perfectiones autem distinguuntur in *simpliciter simplices* et *mixtas*: dicitur perfectio *simpliciter simplex* illa, quae *melior est ipsa quam non ipsa*, seu quae in suo formali conceptu nullam imperfectionem involvit, ut ex. gr. vita, sapientia, bonitas — dicitur *mixta* illa quae non est *melior ipsa quam non ipsa*, seu quae in suo conceptu aliquam includit imperfectionem, ut esse corporeum, facultas ratiocinandi — Advertatur denique tripliciter perfectiones contineri posse in aliquo subiecto sc. — a) *formaliter* quatenus insunt secundum proprium conceptum — b) *eminenter* quatenus insunt, at non cum ea imperfectione quam adsignificant, sed praestantiori ratione — c) *virtualiter* quatenus sunt in subiecto tamquam in causa. Porro cum Deus sit infinitus infinitate perfectionis, sequitur omnes perfectiones ei inesse oportere, ita tamen ut perfectiones *simpliciter simplices* sint *formaliter* in Deo, *mixtae* vero *eminenter* vel *virtualiter*. Sit ergo

349. **Conclusio I.** « *Deus est infinitus infinitate perfectionis* » (n. 111-114) — Conclusio est de *fide catholica* ex Conc. Vat. (n. 313). Porro — a) divinae perfectionis infinitatem clare tradunt Scripturae, sive quando finem, numerum et terminum a divina perfectione excludunt[2]: « *Magnus Dominus et laudabilis nimis et magnitudinis eius non est finis* » — « *Magnus Dominus noster et magna virtus eius: et sapientiae eius non est numerus* » — sive quando Deum dicunt *maiorem omni laude*[3]: « *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, superralebit enim adhuc* » — sive quando Deum exhibent ut omnis perfectionis fontem[4]: « *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia* ». Nec deest — b) optima ratio, quam ex s. Thoma (n. 337) sic exponere possumus. Quaelibet perfectio nihil est aliud quam quidam gradus essendi; ideoque eatenus res aliqua habet plures vel pauciores perfectiones, vel etiam quoad determinatam aliquam perfectionem est magis vel minus perfecta, quatenus habet plures vel pauciores gradus essendi seu intensius aut minus intense de aliquo determinato gradu essendi participat. Atqui Deus habet plenitudinem essendi, quia est ipsum esse subsistens: ergo Deus est infinitus in perfectionibus et in unaquaque perfectione seu infinities infinitus in perfectionibus infinitis. Ad rem s. Bonaventura[5]: « Ipsum esse purissimum non occurrit nisi in plena fuga non esse, sicut et nihil in plena fuga esse ».

1. *De perf. div.* l. 1. n. 5. 6. — 2. Ps. 144. et 146. — 3. Eccli. XLIII. 32. — 4. Rom, XI. 36. - cf. 1. Cor. VIII 6 — 5. Itiner. mentis c. 5.

350. **Simplex et compositum** (n. 109) — Cum infinita Dei perfectione intime nexa est summa eius simplicitas. *Simplex* opponitur *composito:* sicut ergo *compositum* dicimus quod ex partibus coalescit, sic quod partibus caret *simplex* nominamus. Nomine vero *partis* intelligitur ens imperfectum, quod per alterum ei sese communicans perfectionem accipit: ideoque pars est quadamtenus *in potentia* ad ulteriorem perfectionem recipiendam. Si partes sunt res in obiecto ipso physice distinctae, compositio appellatur *physica*, quae *triplex* secernitur sc. ex *materia* et *forma* — ex *partibus integrantibus* — ex *substantia* eiusque *accidentibus*. Si vero partes in obiecto ipso non re, sed ratione tantum distinguuntur, ita tamen ut una pars, praecisione obiectiva, considerari possit ut determinabilis, perfectibilis et in potentia, altera vero pars ut determinans, perficiens et actus alterius partis, compositio dicitur *metaphysica,* quae pariter triplex est, nempe ex *essentia* et *existentia* — ex *natura* et *hypostasi* — ex *genere* et *differentia* [1]. Patet proinde perfectionem compositi ex mutua partium unione et communione prodire. Sit ergo

351. **Conclusio II.** « *Ex infinita Dei perfectione sequitur Deum esse ab omni compositione immunem seu actum purissimum* » (n. 115-118). Conclusio est de fide catholica ex Conc. Vatic. (n. 313) — Deus quippe alienus est a quavis tum physica, tum metaphysica compositione, si in ipso nulla esse potest compositio ex potentia et actu. Atqui ita est: ergo — *Prob. mai.* Omnis compositio sive physica, sive metaphysica, est quaedam compositio ex *potentia* et *actu;* una enim pars est determinabilis et perfectibilis ideoque *in potentia* ad ulteriorem perfectionem; altera vero pars est determinans et perficiens ideoque *actus*. Ergo oportet summam simplicitatem inveniri ubi nulla est compositio *ex potentia* et *actu* — *Prob. min.* Nulla creatura immunis est a subtili compositione *ex potentia* et *actu*. Creatura enim — a) utpote *contingens,* est *in potentia* obiectiva *ad esse* ideoque componitur ex *potentia* et *actu* essendi — b) creatura *iam existens* est *in potentia* (receptiva) ad gradum *vitae* ideoque vivens componitur ex *potentia* et *actu* vitae — c) *vivens* est *in potentia* ad superiorem gradum *intellectualitatis* ideoque intelligens componitur ex *potentia* et *actu* intellectualitatis — d) substantia *intellectualis* est *in potentia* ad intelligendum: hinc componitur ex *potentia* intelligendi et *actu* intellectionis: denique — e) omnis substantia creata est *in potentia* ad ulteriorem perfectionem, ac propterea est semper in ipsa aliqua compositio ex aliquo perficiendo cum alio perficiente, et manet in indefinitum in potentia ad ulteriorem perfectionem, seu, ut dici solet, omnis natura creata est *actus commixtus cum potentia*. Ergo ille est purus actus absque ulla potentia sive *obiectiva* ad *esse*, sive

1. cf. s. Th. I. p. q. 3. a. 7. c.

receptiva ad *perfectius esse*, qui ex intima sua ratione est plenitudo essendi. Atqui talis est Deus, qui, cum sit ipsum *esse subsistens*, est ipsum necessarium *esse*, *ipsa vita*, *ipsa intellectualitas*, *ipsa actualis intellectio*, *ipsa veritas*, *sapientia*, *charitas*, *omnisque perfectio in actu absoluto:* ergo.

352. **Conclusio III.** « *Ex eadem infinitate perfectionis sequitur Deum unum esse* » (n. 119) — Conclusio est *de fide catholica* ex Conc. Vatic. (n. 313) — Argumentum ita paucis proponit Angelicus [1]: « Deus comprehendit in se totam perfectionem essendi. Si ergo essent « plures Dii, oporteret eos differre. Aliquid ergo conveniret uni quod « non alteri. Si autem hoc esset, perfectio alteri eorum deesset, et « sic ille in quo esset privatio, non esset simpliciter perfectus. Im- « possibile est ergo esse plures Deos ». Scilicet: Deus est plenitudo entis. Atqui plenitudo essendi — a) non exigit quidem ut nullum aliud ens extra ipsum existat; at omnino postulat — b) ut nihil existat quod ab ipso non dependeat tamquam a causa exemplari, efficiente, conservante et finali: ens enim quod est causa omnium, excellentius est quam ens, a quo non omnia dependent. Ergo ens perfectissimum, quod est Deus, nonnisi unum esse potest.

353. **Pantheismus** (n. 120-123) — Cum simplicissima Dei infinitate pugnat *pantheismus* sc. illud systema, quod omnia cum Deo confundit, sive propugnetur *emanatio transiens* qua, corrupto genuino creationis conceptu, res omnes ex substantia divina emanare dicuntur ceu partes e toto vel radii ex luce — sive defendatur *evolutio immanens* qua Deus dicitur a ceteris non distingui nisi ut res a suis modificationibus, in quas immanente sua activitate iugiter sese explicat et prodit. Res enim mundanas videmus esse limitibus circumscriptas, nec, utut nobilissimas, immunes a compositione ex potentia et actu. Atqui Deus est infinitus ac purissimus actus: ergo cum rebus mundanis non est confundendus. Ad rem Conc. Lat. IV. [2]: « Inter Creatorem « et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos *maior* « *dissimilitudo* sit notanda ». Merito ergo hanc doctrinam damnavit Conc. Vatic. [3]: « Si quis dixerit unam eandemque esse Dei et rerum « omnium substantiam vel essentiam A. S. » — « Si quis dixerit res « tum corporeas, tum spirituales, aut saltem spirituales e divina « substantia emanasse — aut divinam essentiam sui manifestatione vel « evolutione fieri omnia — aut denique Deum esse ens universale seu « indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universi- « tatem in genera, species et individua distinctam A. S. ». Et novissime S. U. C. eandem doctrinam proscripsit in Rosminio [4], ex

1. 1. p. q. 11. a. 3. — 2. Cp. *Damnamus*. — 3. Const. *Dei Filius* cp. 1. cn. 3. 4. — 4. in decr. *Post obitum* ed. 14 dec. 1887, promulg. 7 mart. 1888.

cuius 40 propp. damnatis duodecim pantheismum continent, nempe ab 8. ad 19. ex quibus praesertim notanda est 13: « Discrimen inter « esse absolutum (Deum) et esse relativum (creatum) non illud est, « quod intercedit substantiam inter et substantiam, sed aliud multo « maius: unum enim est absolute ens, alterum absolute non ens. At « hoc alterum est relative ens. Cum autem ponitur ens relativum, « non multiplicatur absolute ens: hinc absolutum et relativum abso- « lute non sunt unica substantia, sed *unicum esse*: atque hoc sensu « *nulla est diversitas esse*, imo habetur *unitas esse* »: et pr. 19. « Verbum est materia illa invisa ex qua, ut dicitur Sap. (XI. 18.), « creatae fuere res omnes universi ».

354. *Fontes* autem pantheismi tres esse videntur — *Primus* est confusio ideae entis *infiniti* cum illa idea entis *in genere* sub qua omnia et sine qua nihil intelligimus. At inter utrumque ens et utramque ideam adest infinitum discrimen. Ceteris enim omissis — a) idea entis *infiniti* est *intensione* maxima, *extensione* vero minima; dum e contra idea entis *in communi* est *intensione* minima, *extensione* autem maxima — b) *simplicitas* entis infiniti est *positiva* quia profluit ex infinita intensione perfectionis: e contra simplicitas entis *in communi* est *negativa* per abstractionem ab omnibus perfectionibus determinatis — c) esse *divinum* est infinitum *comprehensive* quia est cumulus omnium perfectionum; ens vero *in genere* est infinitum tantum *extensive* et *syncathegorematice* seu *in potentia,* quatenus ab indefinitis entibus participari potest — *Secundus* pantheismi fons est confusio esse *formalis* rerum cum esse *eminenti* (cfr. n. 319) — *Tertius* fons est confusio ideae *infiniti* cum idea *totius*. At, uti advertit cl. Liberatore [1] « totum dicitur illud extra quod nihil est quod ad idem « genus pertineat; sed infinitum dicitur quod limitibus caret. Quare « ens infinitum non postulat ut quaeque realitas in ipso contineatur, « imo id mire repugnat. Entis infiniti notio id unum sibi vindicat ut « omnem realitatem non productam, non defectuosam, non terminatam « absolute et cumulatissime complectatur. Hoc autem minime vetat ut « praeter ipsum alia possint extare entia, quae ab illo producantur « et finitam accipiant perfectionem ».

355. **Mutatio et immutabilitas** (n. 124) — *Mutationis* nomine venit transitus ex uno in alium statum, quatenus subiectum incipiat se aliter habere quam se prius habebat. Id autem dupliciter contingere potest sc. — a) *physice* quatenus res aliqua vel novam perfectionem acquirit vel aliquam amittit sive substantialem sive accidentalem — b) *moraliter* quatenus mutantur consilia voluntatis. Cuiusvis mutationis impossibilitas dicitur *immutabilitas*. Sit ergo sequens

1. Comp. *Metaph. spec.* p. 1. n. 5.

356. **Conclusio IV.** « *Deus est omnino immutabilis* » — Hæc quoque conclusio est *de fide catholica* ex Conc. Vat. (n. 313) et sic breviter ostenditur ex divina *infinitate*. Omnis mutatio supponit *potentiam* ad aliter se habendum [1] — includit *compositionem* ex potentia et actu [2] — plerumque dicit alicuius perfectionis *defectum* [3]. Atqui Deus est simplicissimus ac perfectissimus actus: ergo. Hinc de eius immutabilitate *physica* legitur [4]: « *Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio* »: de eius vero immutabilitate *morali* [5]: « *Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur* »: et [6]: « *Ego Dominus et non mutor* ».

357. **Solvuntur difficultates** (n. 125-128). *Obiectio I. — Deus in tempore operatur ad extra: ergo transit de potentia ad actum.*

Resp. — dist. antec. novum actum ponendo, *neg.* per relationem actus ab aeterno existentis ad creaturam, *subdist.* per relationem *realem* ex parte creaturae et tantum *rationis* ex parte Dei, *conc.* per relationem *realem* etiam ex parte Dei, *neg.* In omni operatione Dei *ad extra* tria haec distinguere oportet sc. *actum* in Deo ipso — *terminum* productum extra Deum — *relationem* causae ad effectum quae inter utrumque oboritur. Atqui — a) *actus* nullam mutationem in Deo inducit, quia ille est *aeternus* nec distinguitur ab illo incommutabili actu quo Deus seipsum diligit. Item — b) neque ex *termino* seu ex creatura quae incipit existere ulla mutatio Deo contingit, quia ille est prorsus Deo extrinsecus. Neque — c) nova *relatio* Creatoris ad creaturam facit Deum mutari; haec enim in creatura quidem est *realis*, quia per talem relationem creatura acquirit et conservat reale esse; at ex parte Dei est relatio tantum *rationis*, cum Deus nil novi acquirere possit, ideoque nonnisi mutationem secundum rationem Deo infert ac propterea novam denominationem solummodo *extrinsecam* in Deo inducit. Sicut ergo veritas, quae in tempore mentes nostras illuminat easque scientiâ informando immutat, ipsa tamen non mutatur, ita Deus in tempore opera mutat sed non mutatur [7].

358. Ex his explicabis — a) quomodo e. g. *Deus modo hominem iustum diligit, modo peccantem odio habet.* In Deo quidem — α) unicus est actus voluntatis qui, cum sit infinitus, innumeris actibus re distinctis æquivalet ac si esset realiter multiplex; et sic eodem actu Deus diligit, odit, gaudet, irascitur. Hic unus idemque actus divinus — β) induit rationem amoris, odii, gaudii etc. pro diversitate vel obiectorum quae respicit vel modi in hæc tendendi; hinc mutato obiecto, ut si e. g. iustus fiat peccator, non mutatur actus, sicut mutatur in creata voluntate quae nunquam est tota actuata; sed mutatur

1. s. Th. 1. p. q. 9. a. 1. c. — 2. ib. — 3. ib. — 4. Iac. I. 17. — 5. Num. XXIII. 19. — 6. Malach. III. 16. — 7. cf. s. Th. 1. p. q. 13. a. 7.

relatio (rationis) eiusdem actus ad diversa obiecta. Deus ergo — γ) quos diligit, ab æterno diligit, quos odit, ab aeterno odit iuxta diversam conditionem personarum vel diversa tempora unius eiusdemque personæ. Ex iisdem principiis explicabilis quoque — b) illa Scripturae affata, quibus Deo adscribuntur affectus *irae, vindictae, pœnitentiae.* Haec enim omnia de Deo dicuntur non *proprie* sed *metaphorice* seu non ratione diversarum affectionum divinae voluntatis, sed ratione diversorum effectuum, qui correspondent similibus affectionibus in creaturis. Sic Deus dicitur irasci, pœnitere, vindictam sumere, quatenus vel peccantes increpat et in eos exercet opera severitatis, gratias substrahit, opus a se factum destruit etc.... Quare scribit Augustinus [1]: « Immutabilis mutans omnia nunquam novus, nunquam vetus, in- « novans omnia..... amas nec aestuas, zelas et securus es, pœnitet « te et non doles, irasceris et tranquillus es, opera mutas nec mutas « consilium ».

359. *Obiectio II. — Deus libere operatur ad extra seu ita agit ut potuerit etiam non agere. Atqui id mutationem inducit: ergo.*

Resp. — dist. mai. per positionem novi actus *neg.* per novam relationem seu connotationem actus existentis ad creaturam *conc.* Advertantur discriminis capita inter divinam et humanam libertatem — a) Libertas creata consistit *in indifferentia* potentiae ad *actum* et in dominio voluntatis hunc potius quam illum actum eliciendi: libertas autem *divina* consistit in indifferentia actus ad *connotandum* terminum extrinsecum et in dominio voluntatis connotandi potius hunc quam illum terminum. Hinc — b) libertas creata est principium *actus* qui potest esse vel abesse, libertas vero divina est principium *facti* quod potest esse vel non esse. Hinc etiam — c) exercitium libertatis in creatura importat ut actus ponatur vel non, aut ut unus actus ponatur prae alio; quare vera mutatio contingit. Sed exercitium libertatis in Deo habetur per *connotationem* ad terminum extra Deum, immutabili semper permanente actu divino.

360. **Æternitas** (n. 129-130) — *Æternitas* optime definitur a Boëthio [2]: « *interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio* ». Ipsa — a) differt a *tempore* non quidem in carentia principii et finis, sed in eo quod tempus est duratio *successiva*, aeternitas vero omni successione caret seu, ut expressit idem Boëthius [3]: « nunc *fluens* facit tempus, nunc *stans* facit aeternitatem ». Differt — b) ab *aevo* quo nomine significari solet duratio eorum quae intrinsecus incorruptibilia sunt adeoque non sunt internae mutationi obnoxia ac internam successionem excludunt; admittunt tamen mutationem et succes-

1. Confess. l. 1. c. 4. — 2. Cons. pr. 2. - cfr. s. Th. 1. p. q. 10. a. 1. ad 5. — 3. l. c. pr. ult.

sionem in accidentibus et modificationibus. Talis est ex. gr. duratio substantiae spiritualis creatae [1].

361. **Conclusio V.** « *Deus est aeternus* » (n. 131-132). Conclusio est *dogma fidei* ex Conc. Vatic. (n. 313). Revera — a) Deus est ens necessarium; ergo caret principio et fine — b) est ens perfectissimum: ergo eius esse est nobilissimum idest vita, imo est suum vivere — c) est ens prorsus immutabile: ergo excludit in duratione *prius* et *posterius* seu successionem. Atqui haec sunt elementa aeternitatis: ergo. Idcirco Scriptura sic clare exhibet divinam aeternitatem [2]: « *Initio tu, Domine, terram fundasti et opera manuum tuarum sunt coeli* (ergo Deus absque initio). *Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur; tu autem idem ipse es* (ergo absque successione) *et anni tui non deficient* (ergo absque fine) » Et s. Augustinus [3]: « Non est ibi nisi *est;* non est ibi *fuit* et « *erit,* quia et quod fuit iam non est, et quod erit nondum est, sed « quidquid ibi est, nonnisi est ».

Quaeres forte quomodo temporalia coëxistant divinae aeternitati.

Resp. — a) res creatas secundum suum esse *formale* seu *actuale* sua respectivâ temporis differentiâ *toti* aeternitati coëxistere, cum aeternitas sit duratio tota simul; at non coëxistere *totaliter* idest non in sua tota simul accepta successiva existentia. Rem perbelle illustrat Lessius repraesentans aeternitatem instar rupis firmissimae sub qua tempus fluminis instar raptim transit [4]. Si autem — b) temporalia spectantur secundum suum esse *logicum* ideoque secundum suam cognoscibilitatem, sunt Deo praesentia etiam *totaliter,* quatenus *ab aeterno* subsunt divinae scientiae.

362. **Immensitas** (n. 133) — *Immensitas* sic definiri potest: « *illa divinae naturae perfectio qua Deus ita existit ut nulla creatura possibilis sit, cui Deus non sit intime praesens absque ulla sui mutatione* ». Actualis autem Dei praesentia in rebus appellatur *omnipraesentia* seu *ubiquitas*. Hinc — a) *ubiquitas* supponit rerum existentiam, *immensitas* autem ab ea praescindit: — b) haec est attributum *absolutum* et Deo convenit necessario et ab aeterno, illa vero est *denominatio extrinseca* et Deo convenit contingenter et in tempore.

363. **Conclusio VI.** « *Deus est immensus* » (n. 134) — Conclusio haec est *dogma fidei* ex Conc. Vatic. (n. 313). Deus quippe, uti argumentatur Angelicus [5], immediate agit in res omnes quatenus ens partecipatum iugi et immediato influxu pendet a Deo, tum in esse tum in operari. Atqui nulla causa immediate et per se in rem aliquam operari potest nisi eam aut virtute simul et substantiâ, aut

---

1. cfr. s. Th. q. c. aa. 4. 5. — 2. Ps. 101. — 3. in ps. 101. n. 10. — 4. *De perf. div.* l. 4. n. 17. — 5. 1. p. q. 8. a. 1.

certe virtute tangat: ergo et Deus. Atqui in Deo virtus et substantia realiter non differunt: ergo Deus est intime praesens omnibus rebus non virtute solum, sed et substantiâ. Idcirco legimus Ps. 138: « *Quo ibo a spiritu tuo et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo et habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me et tenebit me dextera tua* » — Ad pleniorem vero huius attributi intelligentiam distinguere solent TT. triplicem rationem, qua Deus est in omnibus creaturis sc. per *essentiam*, *praesentiam* et *potentiam;* seu, uti explicat Angelicus [1], Deus est ubique per *praesentiam* quatenus omnia nuda et aperta sunt oculis eius — per *potentiam* quatenus omnia in suo esse et operari pendent a potentia divina conservante et in eis agente — per *essentiam* quatenus est substantialiter in rebus omnibus. Hinc pulchre s. Augustinus [2]: « Deus totus *oculus* est, totus *manus*, totus *pes*. Totus oculus quia « omnia videt; totus manus quia omnia operatur; totus pes quia « ubique est ». Advertatur tamen, praesentiam Dei aliquo in loco per eiusdem Dei operationem nobis innotescere; ex quo consequitur, pro speciali Dei efficientia aliquo in loco, Deum dici *speciali modo* ibidem esse. Hinc diversimode Deus dicitur esse *in coelo*, esse *in iustis*, esse *in Ecclesia*, esse *in Christo*. Et prouti haec specialis Dei operatio vel incipit vel desinit, Deus dicitur venire, accedere vel recedere ab eo loco.

CAPUT V.

De attributis Dei actuosis seu de vita Dei.

364. **Prologus** (n. 136) -- Deum esse *spiritum purissimum* est veritas — a) quae fluit ex divinae perfectionis infinitate — b) quam dissertis verbis enunciavit Christus [3]: « *Spiritus est Deus et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* » — c) quam in fidei dogma erexit Conc. Vatic. (n. 313). Actus autem seu *vita* substantiae spiritualis sunt *intelligere* et *velle*. Distinctis ergo articulis de duplici Dei attributo intellectus et voluntatis disseremus.

ARTICULUS I.

De divino intellectu seu de scientia Dei.

365. **Scientia divina quid et quotuplex** (n. 138-142). — Scientia in Deo est ipsa divina essentia quatenus haec est actus intellectualis

1. I. p. q. 8. a. 3. — 2. ep. 111. — 3. Io. IV. 24.

infinite perfectus. Quamvis scientia Dei sit *realiter* una, tamen *virtualiter* est multiplex, quatenus unus ac simplicissimus actus divinae intellectionis pluribus actibus inter se distinctis aequivalet. Porro — a) *prima* partitio est in scientiam *simplicis intelligentiae* et *visionis*. Illa est qua Deus cognoscit *possibilia*, ista vero qua Deus *res existentes* cognoscit pro aliqua temporis differentia vel praesentis vel praeteriti vel futuri. Succedit — b) *altera* partitio in scientiam *necessariam* et *liberam*: illa est cuius obiectum sunt veritates necessariae ut e. g. in ordine reali existentia Dei, in ordine metaphysico possibilia; ista vero cuius obiectum sunt veritates contingentes ut e. g. existentia rerum creaturum. Utrique divisioni — c) additur *tertium* membrum quod est scientia *media*, medium veluti locum tenens inter scientiam *simplicis intelligentiae* et *visionis*. Huius obiectum non sunt mera *possibilia*, nec tamen *absolute* existentia in aliqua differentia temporis, sed *futuribilia* seu *futura conditionata*, quo nomine intelliguntur illa quae essent quidem, si aliqua conditio poneretur, sed reapse nunquam erunt quia nunquam erit illa conditio. Aliis verbis: obiectum scientiae mediae sunt illi actus voluntatis creatae quos ipsa certe eliceret, si poneretur aliqua conditio ad eorum existentiam conducens; at nunquam reapse eliciet, quia talis conditio nunquam ponetur. Subsequitur — d) *quarta* partitio in scientiam *speculativam* et *practicam*, quae postrema subdividitur in practicam in actu *primo* et in actu *secundo*. Idest scientia simplicis intelligentiae vel spectatur ut contemplans obiectum suum, et est *speculativa* — vel quatenus obiectum suum contemplatur ut *operabile*, et est *practica* in actu *primo* — vel quatenus coniungitur cum libera Dei voluntate effectrici, et est scientia practica in actu *secundo*. Denique — e) scientia Dei dividitur in scientiam *approbationis* et *improbationis*. Illa est qua Deus cognoscit bona quae divinae voluntati placent, quæ scientia in Scripturis appellatur simpliciter *cognitio* [1]: altera est qua Deus mala cognoscit quaeque in Scriptura appellatur *ignoratio* [2].

366. **Obiectum formale et materiale** (n. 143) — Secundum analogiam materiae et formae in compositis substantialibus, obiectum *formale* cognitionis intelligitur illud quod intellectum ad actum determinat, quod propterea perfectionem suam propriam cognitioni largitur ac consequenter *per se* et *propter se* cognoscitur; unde et *motivum* appellatur. Obiectum *materiale* dicitur illud quod subest cognitioni non *per se* et *propter se*, sed *per aliud* et *propter aliud* ideoque nec intellectum ad actum determinat, neque eius specificam perfectionem constituit. Hinc patet obiectum *formale* relate ad *materiale* esse obiectum cognitionis *princeps*, materiale vero *secundarium*.

1. Ps. 1. — 2. Matth. VII. 23.

Porro manifestum est, obiectum *formale* divinae cognitionis aliud esse non posse quam essentiam divinam, *a qua sola* divinus intellectus suam determinationem ac specificam perfectionem mutuari potest. Reliqua quae Deus intelligit, sunt obiectum *materiale* et *secundarium* divinae cognitionis. Hinc Angelicus [1]: « Scientia Dei uni« versalissima est, quia una similitudine, quae est sua essentia, « omnia cognoscit ».

367. **Divinæ scientiæ amplitudo** (n. 144). Porro — a) Deum seipsum intelligere, imo esse suiipsius substantialem cognitionem et comprehensionem, ita est manifestum ut demonstratione non indigeat. Ad rem Angelicus [2]: « In Deo intellectus intelligens, et id quod « intelligitur, et species intelligibilis, et ipsum intelligere sunt om« nino unum et idem ». Nec — b) minus patet Deum in se tamquam in causa *exemplari* cognoscere omnia possibilia ideoque admittendam esse scientiam *simplicis intelligentiae*. Item — c) clarum est Deum scientiâ *visionis* intueri in se ut in causa *efficienti* et *conservante* ea omnia quae extiterunt, existunt et extitura sunt independenter a liberis creatis voluntatibus. Quoad vero futura et futuribilia, quae a creatis voluntatibus dependent, sint sequentes conclusiones.

368. **Conclusio I.** « *Deus* — 1° *scientia visionis praevidet actus liberos creaturarum, quae tamen praescientia* — 2° *humanae libertatis arbitrium non perimit* » (n. 146-147).

Prob. 1. pars — Divinus intellectus ex infinitate suae perfectionis determinatus est ad cognoscendum quidquid habet rationem veri. Atqui eventus libere futuri iam habent obiectivam veritatem: ergo — *Prob. min.* Propositio de præsenti enuncians factum iam existens vera est; ergo etiam propositio enuntians factum pro futuro vera erat ab aeterno. Si verum est e. g. me nunc scribere, me nunc loqui, iam antecedenter et ab aeterno verum erat me nunc esse scripturum, esse locuturum. Hanc ergo obiectivam veritatem praesentis meae locutionis vel scriptionis Deus ab aeterno novit. Quare s. Augustinus [3]: « Confiteri Deum et eum negare praescium futurorum apertissima » insania est ».

Prob. 2. pars — Libertas arbitrii in eo consistit quod voluntas immunis sit a principio intrinsece et antecedenter determinante voluntatem ad unum. Atqui divina praescientia nullum ponit huiusmodi principium in voluntate: ergo — *Prob. min.* Eatenus praescientia divina esset causa determinationis humanae voluntatis ad proprios actus, quatenus hos actus ipsa scientia causaret. Atqui scientia, formaliter ut talis, *supponit* proprium obiectum, non vero illud *causat*,

1. 2. dist. 3. q. 3. a. 2. - cf. 1. p. q. 14. a. 5. — 2. ib. a. 4. — 3. *De civit. Dei* l. 5. c. 9.

idest intellectus cognoscendo non facit intelligibilia, sed facit ut quae in se cognoscibilia sunt, sint actu cognita. Quemadmodum ergo scientia simplicis intelligentiae supponit essentias possibiles, sic scientia visionis supponit ipsas existentias pro aliqua temporis differentia futuras. Quare verius dicitur, id quod Deus praevidit, *certo* et *infallibiliter* futurum esse, quam *necessario* futurum esse. Ad rem Boëthius [1]: « Sicut « scientia praesentium nihil his quae fiunt, ita praescientia futuro- « rum nihil his quae ventura sunt, necessitatis importat ».

369. **Conclusio II.** « *Futuribilia quoque divinae subsunt scientiæ* » (n. 148-149) — Id constat — a) *ex Scripturis:* sic legitur apud Matth [2]: « *Tunc coepit Iesus exprobrare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes eius, quia non egissent poenitentiam: Vae tibi Corozaim, vae tibi Bethsaida, qui si in Tyro et Sydone factae essent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent* ». Ex quibus sic arguimus: Tyrii et Sydonii poenitentiam egissent in ea hypothesi quod apud ipsos patrata fuissent miracula, quae apud Corozaitas et Bethsaitas reapse patraverat Christus. Atqui — α) haec conditio non erat necessario connexa cum poenitentia: neque ipsa — β) unquam posita fuit: ergo poenitentia incolarum earum civitatum mansit conditionatae futura seu mere futuribilis. Atqui Christus futuribilem hanc poenitentiam Iudaeis manifestavit: ergo eam cognovit. Accedit — b) ratio ipsa. Nam intellectus divinus, cum sit infinite perfectus, necessario cognoscit quidquid obiectivam habet veritatem. Atqui futura conditionata habent obiectivam veritatem: ergo — *Prob. min.* Si verum est ex. gr. Petrum in talibus adiunctis constitutum peccare, quamvis tamen posset quoque non peccare, *ratione prius* verum erit quod si Petrus in talibus adiunctis constitueretur, peccaret, quamvis posset etiam non peccare. Ergo quemadmodum ab aeterno vera est propositio *absoluta:* Petrus in his adiunctis constitutus peccabit; ita ab aeterno vera est propositio *conditionata:* si Petrus constitueretur in talibus adiunctis, peccaret. Pone nunc Petrum nunquam constituendum fore in his adiunctis: peccatum Petri remanet merum futurum conditionatum, semperque vera erit illa propositio *conditionata:* Petrus peccaret, si in talibus adiunctis constitueretur. Hanc ergo obiectivam veritatem divinus intellectus apprehendit [3].

370. **Medium quo et in quo divinæ cognitionis est divina essentia** (n. 151-153) — Generatim *medium cognitionis* intelligitur id quod est causa vel ratio cur aliquid cognoscatur. Duplex praesertim distinguitur sc. medium *quo* et *in quo*. Primum nihil aliud est quam *species intelligibilis* idest similitudo obiecti, quae in potentiam recepta

1. *De Cons.* l. 1. pr. 3. — 2. Matth. XI. 20. - cfr. 1. Reg. XXIII. 7. — 3. cf. s. Th. I. p. q. 14. a. 9.

hanc idoneam reddit ad rem percipiendam — alterum est res cuius cognitione in alterius rei notitiam ducimur, ut e. g. in speculo videmus hominem et ex loquela rationem inferimus. Adverti tamen debet, hoc utrumque medium identificari posse cum ipsa re cognita. Porro — a) medium *quo* divinae cognitionis unum esse sc. divinam essentiam, sic demonstratur. Medium *quo* cognitionis est species obiecti in potentiam recepta; quae tunc necessaria est intellectui, quum cognoscens non habet a seipso unde possit obiectum in se exprimere seu quum similitudinem rei cognoscendae in seipso non habet, sed ab obiecto recipere debet. Atqui divina natura, quae est causa exemplaris rerum omnium « habet in se similitudinem totius entis et omnium differentiarum eius » ut ait s. Thomas [1]: ergo. Item — b) medium *in quo* videt Deus suam essentiam aliud non est quam ipsa divina essentia. Nam medium *in quo* vel *ex quo* cognito aliud cognoscitur, necesse est primo et per se cognosci. Atqui nihil prius est divinâ essentiâ, in quo ipsa videatur; imo nihil est extra divinam essentiam, quod cognosci a Deo possit independenter a divina essentia tamquam a medio *quo:* ergo Deus cognoscit seipsum in sua essentia. Quod autem — c) omnia vera tum in statu merae possibilitatis, tum in ordine realis existentiae, independentia tamen a creatis voluntatibus, Deus adhuc cognoscat in sua essentia tamquam medio *in quo,* patet ex eo quod divina essentia sit causa *exemplaris* et *efficiens,* a qua omne ens omneque verum dependet atque ut talis a divino intellectu comprehendatur.

371. **Alia a se Deus cognoscit quoque in seipsis** (n. 154). Hoc dictum: *Deus cognoscit res in seipsis:* eo sensu intelligendum est quod Deus res a sua essentia distinctas cognoscat non modo secundum suum esse *eminens,* verum etiam secundum proprium esse *formale,* adeo ut *secundum hoc esse* sint *terminus* divinae cognitionis. Si enim Deus cognosceret *esse* rerum solum secundum quod *eminenter* sunt in seipso, non autem secundum suum esse *formale* creatum vel possibile, concludendum foret Deum reapse non cognoscere res creatas, sed solam suam essentiam: illud quippe esse *eminens* aliud tandem non est quam ipsa divina essentia. Quare scribit Angelicus [2]: « Deus « non solum cognoscit res esse in seipso, sed per id quod in seipso « continet res, cognoscit eas *in propria natura* ».

372. **Deus videt futuribilia in sua obiectiva veritate** (n. 155-157). Profecto — a) futuribilia suam habent veritatem obiectivam et quidem ab aeterno, ut ostendimus supra (n. 369) — b) veritas haec obiectiva non ex alia causa repetenda est quam ex libera

1. c. g. l. 2. c. 98. — 2. p. q. 14. a 6. ad 1.

voluntate creata, quae, posita in talibus adiunctis, ex duobus vel pluribus actibus possibilibus unum determinatum reapse eliceret. Sicut enim causa actus quem reapse voluntas elicit, alia non est praeter liberam eius electionem, ita causa actus quem voluntas in talibus adiunctis eliceret, alia assignari nequit quam eius libera electio. Atqui — c) divinus intellectus ex infinita sua perfectione determinatus est ad cognoscendum omne verum. Ergo medium *logicum* divinae cognitionis pro futuris conditionatis aliud non est quam eorum veritas obiectiva.

373. **Futura libera videt Deus in suis decretis, quibus ab aeterno decrevit liberas voluntates creare easque in determinatis adiunctis constituere** (n. 158) — Haec nostra sententia non indiget nisi ut declaretur: declaratio autem fit si consideretur ordo quo secundum nostrum modum intelligendi singula sese excipiunt in scientia Dei. Scilicet — a) si Petrus constitueretur in talibus adiunctis, ipse posset peccare et posset etiam non peccare: utrumque enim *possibile* foret: hinc in Deo scientia *simplicis intelligentiae* horum possibilium — b) Petrus tamen peccaret, et hinc veritas *peccati hypothetici* Petri ideoque in Deo scientia *media* qua peccatum hoc hypotheticum videt — c) Deus decernit creare Petrum ipsumque constituere in illis adiunctis. Ex hoc decreto sequitur veritas *peccati absoluti* Petri, quod Deus videt scientia *visionis*. Uti patet, causa peccati Petri alia non est quam libera eius voluntas: at ratio propter quam Deus praevidet peccatum Petri ut *absolute* futurum, est decretum, quo non iam decernit peccatum Petri, quod tantum permittit, sed quo statuit Petrum constituere in illis adiunctis, in quibus ope scientiae mediae ipsum praevidet peccaturum — Non negamus tamen Deum videre futura absoluta etiam *in seipsis* sensu explicato supra n. 371.

374. **Scientia Dei causa rerum** (n. 159) — Ut pateat *quae* scientia et *quomodo* sit causa rerum, sequens ordo considerandus est sc. — a) divina essentia imitabilis *ad extra*: hinc *possibilia* omnia — b) divina intellectio imitabilitatis divinae essentiae et in hac intellectio omnium possibilium seu *scientia simplicis intelligentiae* — c) quoad causas liberas scientia futuribilium seu scientia *media* — d) utraque haec scientia, prouti etiam adiungitur divina voluntas effectrix hancque dirigit in operando — e) veritas existentiae futurorum pro aliqua temporis differentia: hinc scientia *visionis*. Patet ergo scientiam quae in Deo dicitur causa rerum, non esse scientiam *visionis*, nec *simplicis intelligentiae*, nec *mediam* qua talem, sed hanc utramque postremam prouti coniungitur cum divina voluntate operatrici eamque dirigit.

ARTICULUS II.

De voluntate salvifica antecedenti.

375. **Voluntas antecedens et consequens** (n. 164) — Omissis reliquis quaestionibus ad divinam voluntatem spectantibus (n. 160-163), hic consideramus illam divinam voluntatem, qua Deus creaturas rationales diligit in ordine ad finem supernaturalem, quae voluntas *salvifica* appellatur. Praestat autem imprimis illas partitiones divinae voluntatis innuere quae praecipuis quaestionibus solvendis inserviunt.

Prima distinctio est in voluntatem *antecedentem* et *consequentem*. Voluntas *antecedens* intelligitur illa, quam Deus ex insita sua bonitate concipit quaque sincere vult omnium hominum salutem. Haec voluntas dicitur — a) *antecedens* vel quia, ut nonnulli explicant, meritorum et demeritorum praescientiam *antecedit* — vel quia, ut tuentur alii, praecedit quodvis liberum Dei decretum: dicitur — b) *prima* quia primum veluti locum in Deo occupat: dicitur -- c) voluntas *misericordiae* quia perseverat etiam post Adami lapsum -- Voluntas *consequens* ea intelligitur qua Deus non vult illorum salutem quos male operantes videt. Haec voluntas — α) dicitur *consequens* quia peccata supponit: dicitur — β) *secunda* quia veluti secundo loco est in Deo: dicitur — γ) voluntas *iustitiae* quia iustitia postulat ut peccatores impoenitentes damnentur. Obiectum voluntatis *antecedentis* est *humana natura*, voluntatis *consequentis* est *persona* cum suis actionibus.

376. **Voluntas absoluta et conditionata** (n. 164) — *Secunda* partitio est in *absolutam* et *conditionatam* voluntatem: illa est qua Deus vel independenter a quavis conditione, vel verificata iam conditione, vult ut terminus existat; ista vero ea est qua Deus vult aliquid fieri, si hypothesis quaedam verificabitur. Sic ex. gr. est *absoluta* voluntas ut praedestinati salventur, ut peccatores impoenitentes damnentur: est *conditionata* voluntas ut omnes homines salvi fiant, dummodo nempe divinis gratiis bene utantur. Quamobrem patet voluntatem *antecedentem* esse voluntatem *conditionatam*, e contra *consequentem* esse *absolutam*.

377. **Voluntas efficax et inefficax** (n. 164) — *Tertia* partitio voluntatis divinae est in *efficacem*, cui sc. non resistitur, et *inefficacem* cui quadamtenus resistitur. Quae distinctio, quam reiiciunt calviniani docentes omnem Dei voluntatem esse *efficacem* et plane *invictam*, omnino retinenda est. Nam — a) eam tradunt Scripturae [1]: « *Ierusalem*,

1. Matth. XXIII. 37. - cfr. Act. VII. 51. - Ezech. XVIII. 23. - Is. LXV. 12. - Prov. I. 24.

Ierusalem, quae occidis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt; quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti! » Et revera — b) Deus sincerissime vult e. g. suorum praeceptorum observantiam. Atqui non omnes Dei praecepta servant: ergo. Advertendum tamen est, divinam voluntatem vero quodam sensu semper dici posse *victricem*, idque duplici de causa — α) quia ea quae contra Dei voluntatem fiunt, nonnisi *Deo permittente* fiunt: quia — β) licet homo Deo praecipienti non pareat, tamen non potest se ab eius dominio subtrahere nec impedire, quominus Deus voluntatem suam puniendo adimpleat [1].

378. **Voluntas beneplaciti et signi** (n. 164) — Memoranda *quarta* partitio voluntatis Dei in voluntatem *beneplaciti* quae est interna Dei volitio, et voluntatem *signi* quae metonymice dicitur ipsum signum quo Deus voluntatem suam manifestat. Signa haec quinque numerantur sc. *praeceptum, prohibitio, permissio, consilium, operatio.* Tenendum hic est, contra calvinianos, voluntatem *signi* (quam ipsi appellant *revelatam*) nunquam adversari voluntati *beneplaciti* (quam ipsi *arcanam* vocant).

379. **Voluntas providentiæ ordinariæ et potentiæ absolutæ** (n. 164) — Denique prae oculis habenda est distinctio quam habet s. Augustinus, in voluntatem spectatam secundum *omnia auxilia*, quae Deus habet in thesauris suae omnipotentiae et quibus quemlibet induratum peccatorem ad se convertere potest (voluntas *potentiae absolutae*), et in voluntatem spectatam secundum *auxilia quae Deus actu conferre decrevit* (voluntas *providentiae ordinariae*).

380. **Supralapsarii** (n. 165) — Porro dogma, nobis imprimis vindicandum, est Deum voluntate sincera, etsi conditionata, velle omnium hominum salutem. Contra stat calvinianorum et iansenistarum doctrina, iam tradita saec. V. ab iis qui *praedestinatiani* dicti sunt. Calvini haeresis ad haec reducitur — a) Homines alii *creantur* ad vitam aeternam, alii ad aeternam damnationem, adeo ut — b) peccatum ipsum Adami cum consequenti spirituali ruina universi humani generis fuerit necessario consecutum antecedentem illam multorum ordinationem ad mortem aeternam. Deinde — c) ita suum decretum in tempore exequitur Deus: quos creavit ad gloriam, vocat ad fidem et iustificat, ita ut fides ceteraque dona sint symbola antecedentis electionis: quos creavit ad aeternam miseriam, iis denegat omnes gratias ita ut infidelitas ac peccata sint signa antecedentis reprobationis. Hi dicti sunt *supralapsarii* vel *antelapsarii* eoquod contendunt Deum iam *ante* prævisum Adami *lapsum* noluisse omnium hominum salutem.

1. cf. s. Th. 1. p. q. 19. a. 6.

381. **Infralapsarii** (n. 166) — At deinceps nonnulli doctrinam magistri ita temperarunt: — a) post praevisum lapsum Adae Deus ex tota hominum massa damnata aliquos elegit, quos non solum *gratuito decrevit* salvare, sed decrevit *salvare gratuito* — b) reliquos decrevit in lapsu Adae et in statu aeternae damnationis relinquere eosque praeterire in distributione gratiarum. Idcirco — c) pro *solis praedestinatis* Filius Dei incarnatur, satisfacit et meretur, hisque solis Deus ex meritis Christi dat fidem iustificantem, quae semel accepta non potest amitti. Reprobi vero — d) sicut ab Incarnationis decreto excluduntur, sic nullis fruuntur gratiis, sed corruptae naturæ relinquuntur. Hi dicti sunt *postlapsarii* vel *infralapsarii* eoquod opinantur *post* praevisum *lapsum* Adami voluntatem Dei salvificam fuisse ad quosdam coarctatam — A qua doctrina vix discedit Iansenius qui non negat meritum bonorum operum in electis, et admittit etiam antecedenter reprobatis fidem et sanctificationem concedi, quamvis necessario amissibilem. Contra hos omnes statuimus seqq. conclusiones.

382. **Conclusio I.** « *Deus voluntate antecedente eâque sincerâ vult omnium adultorum salutem* » (n. 168-169) — Haec conclusio quatenus affirmat Deum velle aliquos alios salvos fieri *praeter praedestinatos*, est de *fide catholica* ex prop. 5. Iansenii: « Semipelagianum est dicere « Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut san- « guinem fudisse »: quae intellecta eo sensu ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, declarata est *hæretica* — quatenus affirmat Deum velle salutem *omnium fidelium*, censeri potest cum Perrone *de fide catholica*, cum id eruatur ex symbolis in quibus fideles credere tenentur: « Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis » — quatenus salutiferam voluntatem Dei ad omnes homines *adultos* extendit, est *fidei proxima*.

Porro locus classicus est illud Apostoli [1]: « *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* ». Porro — a) Deus eos omnes salvos vult fieri pro quibus orare praecipit: atqui ex apostolico praecepto pro omnibus *nullo excepto* orandum est: ergo. Item — b) disertis verbis Apostolus dicit *Deum velle omnes homines salvos fieri:* atqui vox *omnes* universalissima potestate heic accipiendum esse, ceteris omissis, patet ex collatione cum aliis Scripturae

1. 1. Tim. II. 1.

effatis, ut v. g. [1]: « *Speramus in Deum vivum qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium* » — « *Venit Filius hominis salvare quod perierat* »: ergo. Item — c) ratio cur Deus vult omnes homines salvos fieri, duplex redditur a Paulo his verbis: *unus enim Deus — unus mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Unde sic arguimus: illi omnes comprehenduntur in voluntate salutifera Dei, quorum ipse est Deus — quorum naturam Verbum assumpsit. Atqui unus idemque est pro omnibus Deus nullusque est ex omnibus hominibus, cuius natura a Christo assumpta non fuit: ergo — Talem vero salutiferam Dei voluntatem — d) esse plane *sinceram* indicat ipsa vox *vult* — esse voluntatem *actuosam* ex eo patet quod vi talis voluntatis vult Deus fieri orationes pro omnibus et Christus factus est omnium mediator et redemptor hominum — esse voluntatem perseverantem *post praevisum lapsum* Adami ex eo constat quod est voluntas *redemptoris* — esse tamen voluntatem *conditionatam* et *antecedentem* ex eo liquet quod non dicitur Deus velle omnes *salvos facere,* sed velle *salvos fieri,* idest supposita libera hominum cooperatione.

383. **Conclusio II.** « *Eadem salutifera Dei voluntas ad omnes quoque infantes extenditur* » (n. 170) — Haec conclusio est *communis, pia* et *certa.* Ea autem sic paucis ostenditur a cl. Hurter [2]: « Quum — a) « infantes quoque pertineant ad illos *omnes* pro quibus orandum « sit — quorum Deus sit creator — qui in Adamo mortui sint — quo- « rum naturam mediator Christus assumpserit et pro quibus sit « mortuus, idcirco concludendum est voluntatem Dei salutiferam « *ad hos quoque* se extendere. Tamen — b) voluntas Dei sicut quoad « adultos, sic etiam quoad infantes est *conditionata:* vult enim illos « salvos fieri *sub conditione collationis baptismi,* quae multipliciter « pendet a cooperatione parentum aliorumque quorum curae ipsi sunt « concrediti. Sicut ergo fieri potest ut infantes ex negligentia pa- « rentum vitam corporis amittant, ita fieri potest ut ex illorum « negligentia salutem animae non consequantur. Quamobrem Augu- « stinus ait [3]: *Accommodat illis mater Ecclesia aliorum pedes ut veniant,* « *aliorum cor ut credant, aliorum linguam ut fateantur, ut quoniam* « *quum ægri sunt, alio peccante prægravantur, sic quum hi sani sunt,* « *alio pro eis confitente salventur.* Non videtur autem — c) defendi « posse applicationem baptismi ad salutem pendere *unice* a voluntate « eorum, quorum curae concrediti sunt infantes: saepe etiam pendet « *a causis legibusque physicis:* vult enim Deus omnium salutem in « *hoc ordine naturali.* Iamvero fieri potest ut leges naturales exigant

1. 1. Tim. IV. 10. - Matth. XVIII. 11. — 2. tom. 2. th. 103. sch. 2. — 3. s. 176. n. 2.

« mortem antequam applicetur baptismus. Quum ergo Christus non-
« dum actu reparaverit ordinem praeternaturalem, sed tantum super-
« naturalem, nec Deus semper velit patrare miracula, poterit non
« obstante voluntate salutifera universali mortem aliquorum infantium
« ante perceptum baptismum permittere. Quare dicendum est — d)
« Deum velle omnium infantium salutem per applicationem merito-
« rum Christi in baptismo, *sub conditione* sc. si causae morales et
« physicæ, liberæ nempe hominum voluntates et naturalis ordo phy-
« sicus, non obsistant ».

384. **Corollarium** (n. 171) — Cum voluntas universalis salutifera Dei non sit *absoluta* sed *conditionata*, idcirco causa quidem est omnibus *potestatis* salutis consequendae, at non est *unica* causa *assecutionis* salutis: huius enim duplex est causa, *princeps* gratia Dei, *subiugis* libera hominum cum gratia cooperatio. Hinc explicatur cur non obstante sincerissima Dei voluntate, non omnes salventur. Ad rem Augustinus [1]: « Quando requiritur causa cur non omnes
« salvi fiant, responderi solet: *quia hoc ipsi nolunt:* quantum in
« medico est, sanare venit aegrotum: ipse se interimit qui praecepta
« medici observare non vult. Venit salvator ad mundum: quare
« salvator dictus est mundi nisi ut salvet mundum? Salvari non vis
« ab ipso? ex te iudicaberis ».

ARTICULUS IV.

De causis praedestinationis et reprobationis.

385. **Praedestinatio** (n. 172-173) — *Praedestinationis* nomine in communi Theologorum usu intelligitur illud bonitatis divinæ consilium, quo misericors Deus ab æterno disposuit dare gloriam in tempore necnon gratias efficaces ad illam. Hac acceptione definitur ab Augustino [2]: « *Praescientia et preparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur* ». Dicitur — a) *praescientia* et *praeparatio* quia decretum absolutum præparationis beneficiorum dirigitur ab infallibili scientia conditionatorum quam supponit — b) Obiectum huius praescientiae et praeparationis sunt Dei *beneficia* sc. vocatio ad fidem, iustificatio et glorificatio [3]. Dicitur — c) *quibus certissime liberantur:* sc. a peccato per gratias efficaces, et ab æterna miseria per gloriam. Dicitur — d) *quicumque liberantur,* quia praedestinatio non ad omnes extenditur. Alia datur definitio, ab Angelico magistralis noncupata: « *Praeparatio gratiae in praesenti*

1. Ench. n. 97. et tract. 12. in Io. n. 12. - cfr. Prov. I. 24. - Is. LXV. 2. - Act. VII. 56. XIII. 36. — 2. De dono persev. c. 14. — 3. Rom. VIII. 30.

et gloriae in futuro ». Ipse autem hanc proponit [1]: « *Praedestinatio est quaedam ratio ordinis aliquorum in salutem aeternam in mente divina existens* ».

386. **Reprobatio** (n. 174) — *Reprobatio* definitur a Magistro sententiarum [2]: « *praescientia impietatis quorumdam et praeparatio seu permissio damnationis eorundem* ». Dicitur — a) *praescientia impietatis* ut significetur reprobationem fieri a Deo ex nostris demeritis: dicitur — b) *praeparatio damnationis* ut significetur absolutum Dei decretum aliquos excludendi a gloria et ad supplicium aeternum deputandi.

387. **Sententiae de prædestinatione ante** (n. 175-177) — Porro quaestio inter Theologos fit de causis praedestinationis *ad gloriam*. Omnes quidem admittunt gloriam in ordine *executionis* conferri *propter merita;* sed controvertitur utrum Deus etiam *ab aeterno* seu in ordine *intentionis* gloriam destinaverit electis *propter* eorundem *merita praevisa,* adeo ut praescientia meritorum sit causa praedestinationis. Qui affirmant praedestinationem ad gloriam decretam fuisse *ante* merita praedestinati *absolute* praevisa, diversimode suam sententiam explicant. Nonnulli cum Suarezio [3], Bellarmino et De-Lugo ita rem concipiunt — a) Deus voluntate *antecedenti* omnem praevisionem meritorum ideoque *gratuito*, ab æterno determinavit ex pura sua praedilectione certum electorum numerum. Simul tamen — b) decrevit ut hi *gratuito* electi pervenirent ad gloriam non *gratuito,* sed per propria merita: quocirca Deus praedefinivit gratias efficaces his electis concedendas in tempore. Quas gratias — c) in tempore concedit, ex quibus sequuntur merita supernaturalia, *quibus* Deus tribuit gloriam. Ex his consequitur — d) illos, quos Deus praeteriit in sua electione ante omnem praevisionem peccatorum, voluntate antecedenti a gloria esse exclusos. Haec exclusio appellatur reprobatio *negativa* seu exclusio a gloria tamquam a bono *indebito* [4]. Pro his Deus *ex industria* non praeparat nisi gratias *sufficientes* vel saltem non dat ultimam gratiam efficacem; ex quo fit ut negative reprobati propria voluntate peccent, in peccato moriantur et ex suis demeritis *positive* quoque reprobentur.

388. Alii [5], ex eodem systemate de praedestinatione *antecedente*, ita mentem suam explicant — a) Dei menti, volentis omnium hominum salutem antecedenti et conditionata voluntate, obversantur omnes et

1. 1. p. q. 23. a. 2. — 2. 1. sent. dist. 4. — 3. De prædest. l. 1. c. 12. coll. 10. — 4. Reprobatio *positiva* est exclusio a gloria et destinatio ad æternam poenam; *negativa* vero simplex exclusio a gloria, quam, cum sit bonum *indebitum*, Deus conferre potest quibus vult. — 5. Huius sententiae videtur fuisse Molina in 1. p. q. 23. a. 4. 5. disp. 1. membr. 11.

singuli ordines possibiles providentiae, adeo ut ope scientiae mediae videat e. g. in ordine *A* omnes gratias fore mere sufficientes ideoque neminem salvandum fore: in ordine *B* omnes gratias fore efficaces omnesque homines fore salvandos: in ordine *C* homines partim esse salvandos, partim vero esse damnandos. Deus autem — b) cuius operationum supremus finis est eius gloria per hominum salutem obtinenda, vult suae gloriae manifestationem in ordine *C* huncque ordinem decernit; quod decretum *gratuitum* est, quia nulla huius divinae electionis ratio a nobis assignari potest. Quoniam vero — c) in hoc ordine plures salvantur, plures vero damnantur, Deus illorum salutem vult, horum vero perditionem permittit, omniaque ordinat ad suae gloriae manifestationem. Idcirco — d) hoc decretum simul est praedestinatio electorum ad gloriam et reprobatio damnandorum: idest ex hoc decreto fit ut quoad quosdam sit in Deo praescientia et preparatio vocationis, iustificationis et glorificationis (quod est praedestinare) — quoad alios vero praescientia et permissio defectionis (quod est reprobare).

389. **Prædestinatio post** (n. 178) — Sententiam de praedestinatione *consequente* praevisionem meritorum defendunt tum ex antiquioribus multi, tum recentiores plurimi, quos inter eminent s. Bonaventura, Albertus M., Lessius, Vasquez, De-Valentia, Corn. A. Lapide, Toletus, Petavius, Tournely, s. Franciscus Salesius, Franzelin. Quae sententia ita explicatur — a) Deus, etiam supposito peccato originali, vult omnes homines salvos fieri; idcirco — b) praeparat pro omnibus gratias proxime vel remote sufficientes, quibus omnes possint salutem consequi, si velint: praevidet tamen — c) nonnullos consensuros esse gratiis acceptis, alios vero dissensuros, ita quidem ut illi in statu gratiæ, isti vero in statu peccati tandem morituri sint. Hinc — d) quos praevidet finaliter perseveraturos in gratia, praedestinat ad gloriam; quos vero praevidet finaliter mansuros in peccato, reprobat ac damnat ad æternam pœnam. Ergo praedestinatio est ex prævisis meritis, reprobatio ex praevisis demeritis.

Porro ut mens nostra hac de re clare pateat, sequentes conclusiones ex ordine statuimus.

390. **Conclusio I.** « *Praedestinatio antecedens coniuncta cum reprobatione negativa reiicenda est* » (n. 180) — Revera: voluntas non praedestinandi est voluntas non salvandi. Atqui voluntas *prima* antecedens non salvandi aliquos evidenter pugnat cum voluntate *prima* antecedenti salvandi omnes: ergo praedestinatio antecedens, coniuncta cum reprobatione negativa, componi nequit cum doctrina *proxima fidei* quod Deus sincere velit omnium hominum salutem. Et sane quidem. Sicut — a) infallibilis certitudo salutis praedestinatorum unice pendet a *prima* voluntate Dei salvandi illos, sic et infallibilis certitudo non salutis reprobatorum unice pendet a *prima* absoluta volun-

tate Dei non salvandi illos. Item — b) sicut potentia *reapse* consequendae salutis pro praedestinatis unice pendet a *prima* voluntate Dei, qui vi illius voluntatis praeparat ipsis gratias efficaces: sic *actualis* impotentia consequendae salutis pro negative reprobatis, unice pendet a prima voluntate Dei, qui vi talis voluntatis nonnisi gratias sufficientes pro ipsis praeparare potest. At, quaeso, quomodo tunc Deus infinite bonus, infinite sapiens, infinite verax affirmare poterit [1]: « *Nolo mortem peccatoris sed ut convertatur impius a via sua et vivat* » — « *Numquid voluntatis meae est mors impii, et non ut convertatur a viis suis et vivat?* »

391. **Solvuntur difficultates** (n. 181-182). *Obiectio I. — Collatio gratiae sufficientis est signum voluntatis salvificae. At qui Deus negative reprobatos non excludit a gratiis sufficientibus: ergo.*

Resp. — dist. mai. Si procedat ex voluntate salvandi et detur cum intentione salvandi *conc.* si ex contraria voluntate *neg.* — et *dist. min.* at sine intentione salvandi *conc.*, cum seria voluntate salvandi *neg.* In sententia, quam impugnamus, gratia sufficiens quae negative reprobatis conceditur, non ex benevola voluntate Dei salvandi, sed potius ex malevola voluntate non salvandi procedit. Nam intentio finis est ratio electionis mediorum. Atqui Deus *prima* voluntate non vult horum salutem: ergo in praeparatione gratiarum ita se gerere debet ut *de industria* seligat pro ipsis gratias quas inefficaces fore in sua scientia media praeviderit, et subtrahere illas quas efficaces noverit, ne ipsi salventur. At quaeso, quomodo in tali sententia adhuc dicere licebit, Deum praeparare et dare non electis gratias sufficientes cum sincera intentione ut ipsis prosint? Nonne potius dicere oportebit Deum illas dare ut non prosint?

392. *Obiectio II. — Reprobatio negativa est simplex exclusio a gloria tamquam a bono indebito, non autem damnatio ad poenam: ergo.*

Resp. — Ad rem ait Franzelin [2]: « In statu purae naturae, non « supposita elevatione ad finem supernaturalem, negatio huius finis « esset *mera negatio* beneficii indebiti: at hac supposita, exclusio est « *privatio* et malum maximum creaturae rationali: et qui ab hoc fine « excluditur, eoipso est damnatus et *poenae* saltem *damni* deputatus; « poena enim damni nihil est aliud quam privatio ultimi finis super- « naturalis. Haec autem, fatentibus omnibus, sub Deo iusto et bono « supponit peccatum. Hinc huiusmodi exclusio, quin sit *privatio finis* « *ultimi*, tam est impossibilis quam impossibilis est ablatio vitae quin « sit mors, quantumvis subtiliter distinguas inter cessationem vitae « ut defectus vitae est mera *negatio*, et inter mortem ut est *pri-* « *vatio* ».

1. Ezech. XVIII. 23. XXXIII. 11. — 2. th. 55. nota 1.

393. **Conclusio II.** « *Praescientia absoluta meritorum concipi nequit tamquam causa praedestinationis ad gloriam* » (n. 183-184) — Sane — a) praescientia meritorum *absolute futurorum* non est causa praedestinationis ad gloriam, si praedestinatio ad gloriam praecedit praescientiam meritorum. Atqui res ita se habet: ergo — *Prob. min.* Praescientia meritorum absolute futurorum consequitur decretum divinum praedestinandi illas gratias, quibus Deus ope scientiae mediae homines consensuros praevidet seu quas Deus praevidet fore efficaces. Atqui praedestinatio gratiarum efficacium prae sufficientibus est eoipso praedestinatio ad gloriam, quam Deus omnibus merentibus concedere vult. Ergo praedestinatio ad gloriam praecedit praescientiam meritorum ideoque non est eius effectus. Praeterea — b) praedestinatio pluries in Scripturis appellatur *electio*, et praedestinati *electi* vocantur [1]. Atqui electio ad gloriam concipi necessario debet ante praevisa merita absolute futura: ergo — *Prob. min.* Electio est acceptio unius prae altero *ex arbitrio eligentis:* ergo oportet ponere electionem ad gloriam in illo signo, in quo adhuc pendet ab arbitrio eligentis Dei alios assumere prae aliis. Atqui in signo consequenti praevisionem meritorum non amplius pendet ex Dei eligentis arbitrio hos prae illis ad gloriam assumere; in tali enim signo aliquibus iam debita est gloria, aliis iam statuta damnatio: ergo.

394. **Conclusio III.** « *Sequitur ergo praedestinationem esse gratuitam ac propterea adoptandam esse sententiam de praedestinatione antecedenti n. 388 expositam* » (n. 185-188). Revera — a) praedestinatio ad gloriam tum primum locum habet, cum Deus praeordinat gratias, quas ope scientiae mediae coniunctas fore videt cum bonis operibus et finali perseverantia. Atqui haec gratiarum praeparatio et praeordinatio non est ex meritorum praescientia, sed ex gratuita Dei voluntate: ergo. Ad rem s. Thomas [2]: « Quare hos elegit in gloriam « et illos reprobavit, non habet rationem nisi divinam voluntatem. « Unde Augustinus dicit [3]: *Quare hunc trahat et illum non trahat,* « *noli velle diiudicare, si non vis errare.* Sicut etiam in rebus natu- « ralibus quare haec pars materiae est sub ista forma et illa sub « alia, dependet ex simplici divina voluntate; sicut etiam ex simplici « voluntate artificis dependet quod ille lapis est in ista parte parietis « et ille in alia, quamvis ratio artis habeat quod aliqui sint in hac « et aliqui sint in illa ». Praeterea — b) constat apud omnes, perseverantiam finalem, quemadmodum *gratuito* in tempore conceditur, sic *gratuito* praedestinari a Deo. Atqui finalem perseverantiam consequitur gloria: ergo praedestinatio ad gloriam non habet aliam

1. Matth. XXIV. 31. 24. - cf. Marc. XIII. 20. 27. - Rom. VIII. 28. 33. - 1. Tim. V. 21. - 2. Tim. II. 24. — 2. 1. p. q. 23. a. 5. ad 3. — 3. in Io. tr. 26.

causam motivam quam divinam bonitatem. Implicat profecto quod quis efficaciter velit ultimam dispositionem ad formam, et eoipso non velit efficaciter ipsam formam. Atqui ultima dispositio ad gloriam est perseverantia finalis: ergo praedestinatio *gratuita* perseverantiae est eoipso *gratuita* praedestinatio gloriae. Ulterius — c) negari nequit Deum *specialem* dilectionem gerere erga praedestinatos. Haec autem specialis dilectio vel — α) in eo sita est quod Deus praeparet et conferat ipsis gratias efficaces *quatenus* a Deo efficaces praevidentur; vel — β) in eo consistit seu explicatur quod praeparet quidem gratias efficaces, at non praelucente cognitione earum efficaciae. Si *primum*, optime conspicitur *maior* dilectio Dei erga praedestinatos quam erga reprobos: at simul hæc *prædilectio* est omnino *gratuita* et in ipsa iam praedestinatio ad gloriam continetur — *Si alterum* affirmes, fateor nullam me videre maiorem dilectionem erga praedestinatos quam erga reprobos. Quod si adversarii dicant, specialem hanc dilectionem nil tandem aliud esse quam voluntatem consequentem dandi gloriam propter merita, respondemus hanc consequentem voluntatem non tam esse dilectionem quam necessitatem ab ipsis rerum naturis promanantem ac Deo ipsi impositam. Ex his — d) patet licere nobis ad Scripturarum doctrinam provocare, quæ quam merito electorum salutem gratuitæ voluntati Dei tribuant, ex praecedentium argumentorum lumine manifestum est. Classica sunt [1]: « *Miserebor cuius misereor, et misericordiam praestabo cuius miserebor. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei... Ergo cuius vult miseretur et quem vult indurat* » — « *O homo, tu qui es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* » — « *Quis prior dedit illi et retribuetur ei? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia* ».

395. **Solvuntur difficultates** (n. 189-191). *Obiecto I. — Cum voluntate antecedenti salvandi omnes repugnat voluntas antecedens salvandi solummodo aliquos: ergo.*

Resp. — *dist.* repugnat voluntas antecedens salvandi aliquos, si ponatur in eodem signo, in quo est voluntas antecedens universalis *conc.* si in signo posteriori *neg.* Magnum discrimen est inter praedestinationem antecedentem qualem nos tuemur, et eam quae respondentem habet reprobationem negativam. Etenim — a) in illo systemate voluntas alios salvandi, alios vero non salvandi est *prima* voluntas quam Deus concipit. At in nostra sententia in signo *priori* concipitur voluntas *universalis* salvifica quam Deus ex sua habet natura quae bonitas est, independenter a cuiusvis ordinis providentiae

1. Rom. IX. 15. 20. - XI. 33. 34.

considerationе. Deinde in *secundo* rationis signo Deus ex suo inscrutabili, at semper iusto consilio, ex diversis ordinibus possibilibus illum eligit in quo non omnes salvantur, licet omnes salvari possint; et in huius ordinis electione voluntas divina fertur in salutem salvandorum, utpote quae bona est et iam obiectum voluntatis universalis antecedentis; multorum vero perditionem eatenus permittit, quatenus cum tali ordine, ex hominum tamen malitia, connectitur. Praeterea — b) in systemate reprobationis negativae praeparatio gratiarum efficacium pro electis, et mere sufficientium pro non electis, rationem habet in antecedenti et prima voluntate aliquos salvandi, alios vero nequaquam; ideoque collatio gratiarum sufficientium non prædestinatis non modo est *cum* praescientia eas esse effectu carituras, verum etiam *ex* et *cum* intentione ut steriles remaneant: quod quomodo cum sincera voluntate salvandi concilietur, fateor me non intelligere. Sed in nostra sententia ratio eligendi hunc potius quam illum providentiae ordinem, unice est gratuita Dei voluntas, minime vero aliqua praecedens praedestinatio vel reprobatio. Cur autem divina voluntas quae vult omnes homines salvos fieri, in hunc ordinem feratur in quo non omnes salvantur, id est pro mente creata mysterium. At idem mysterium reperitur quoque in sententia praedestinationis consequentis. Dicant enim nobis propugnatores illius systematis, cur Deus, qui tamen vult omnes homines salvos fieri, aliquibus praeparet gratias efficaces, aliquibus tantum sufficientes?

396. *Obiectio II. — Si praeparatio gratiarum efficacium est praedestinatio ante praevisa merita, a pari praeparatio gratiarum sufficientium est reprobatio ante praevisa demerita. Atqui id dici nequit: ergo.*

Resp. — ***trans. mai.*** et ***dist. min.*** si intendatur ut finis ***conc.*** si permittatur ut quid concomitanter se habens in intentione finis ***subd.:*** si procedat ex *prima* voluntate ***conc.*** si ex *secunda* voluntate ***neg.*** Advertatur discrimen quod inter praedestinationem et reprobationem intercedit — a) Salus hominum est *in se bona*, hominum perditio *in se mala:* ideirco voluntas divina in illam per se spectatam ferri potest, minime vero in hanc, si in seipsa sola consideretur. Deinde — b) hominum salus iam est obiectum antecedentis universalis voluntatis Dei, ideoque dum Deus pro suo arbitrio huius ordinis executionem decernit, voluntas antecedens perseverans fertur in salutem eorum, qui in tali ordine salvantur tamquam in finem volitum. At nonnullorum perditio in eodem ordine non est finis a Deo intentus, sed eatenus permittitur, quatenus concomitanter se habet in illius ordinis executione. Hinc — c) praedestinatio est praescientia et *praeparatio* gloriae, reprobatio vero est praescientia et *permissio* damnationis; illa est actus *positivus* divinae voluntatis, haec vero actus *negativus* seu non praeparatio gratiarum efficacium. Ceterum haec difficultas in quovis systemate locum habet.

397. *Obiectio III.* — *Dei dona eum habent ordinem in praedestinatione quem in executione. Atqui in executione gloria datur propter merita: ergo prædestinata est ex prævisis meritis.*

Resp. — *dist. mai.* ordinem *causalitatis* conc. *successionis* neg. — *dist. min.* ita tamen ut merita ipsa sint a Deo praedestinata *conc.* secus *neg.* et *dist. conseq.* gloria praedestinata est *danda* propter merita *conc.* praedestinata est ex praevisis meritis *neg.* Principium quod in propositione maiori enunciatur, intelligi nequit de ordine *successionis* inter dona ipsa; nam *executio* omnino inverso ordine contingit ac *intentio;* unde illud effatum: *primum in intentione ultimum in executione* et vicissim. Sensus ergo est, eundem nexum causalitatis intercedere inter beneficia Dei tam in intentione, quam in executione. Idest — a) quae dona Dei in tempore conferuntur *gratuito*, praedestinata sunt *danda gratuito* — b) quae autem in tempore dantur propter merita, praedestinata sunt *danda propter merita*, licet voluntas praedestinandi fuerit *gratuita*. Porro — c) gratiae *efficaces* et consequenter merita sunt *gratuita:* ergo et *gratuito* praedestinata sunt et *ut conferenda gratuito* praedestinata sunt. Gloria vero — d) datur meritis: ergo *gratuito* praedestinata est *non danda gratuito;* praedestinata quidem est *gratuito*, quia merita ipsa gratuito praedestinata sunt; tamen *non danda gratuito*, quia praedestinata est danda praecedentibus meritis.

398. **Corollaria** (n. 192) — Ex his collige: — a) gloria simul est *gratia, praemium, corona, merces:* est quidem *gratia*, quia merita quibus gloria comparatur, sunt gratuita, sunt gratia Dei; est *prœmium* et *corona* iustitiae, quia nonnisi certantibus bonum certamen gloria rependitur. Idcirco immerito obiiciuntur contra nostram sententiam illa Scripturae testimonia, in quibus coelestis beatitudo *merces* et *corona* appellatur et a nostris meritis pendens exhibetur [1]. Praeterea — b) electio praedestinatorum supponit et dirigitur a scientia tum possibilium, tum conditionatorum idest scientiâ *mediâ*, qua Deus infallibiliter praenoscit quid in diversis ordinibus homines essent facturi. Hinc illa Scripturae [2] et Patrum testimonia, quae praescientiam anteponunt praedestinationi, haud immerito intelligi possunt non quidem de praescientia *visionis*, sed de conditionatorum cognitione. Ceterum — c) nullum proferri potest certum Scripturae testimonium, quod evincat praedestinationem fieri post praevisa merita. Princeps locus, quem contrariæ sententiæ auctores adducunt, est apud Matth. [3]: « *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a*

1. Matth. XX. 1. sqq. - XXII. 1. sqq. XXV. 13. sqq. - 1. Cor. III. 8. IX. 23. sqq. X. 12. - 2. Tim. IV. 7. - Rom. II. 6. XI. 22. - 2. Pet. I. 10. II. 13. — 2. Rom. VIII. 29. — 3. Matth. XXV. 34.

constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare »: ubi particulam causalem *enim* referendam esse dicunt tum ad verbum *possidete*, tum ad participium *paratum*. At hæc adverti in contrarium possunt: — α) argumenta, quibus supra demonstravimus concipi non posse praescientiam meritorum esse praeviam praedestinationi, hanc interpretationem evidenter excludunt. Praeterea — β) in sententia reproborum quae deinde fertur: « *Discedite a me maledicti in ignem aeternum qui paratus est diabolo et angelis eius: esurivi enim et non dedistis mihi manducare* »: particula *enim* certe haud referri potest ad verba *qui paratur:* ergo neque in sententia praedestinatorum eadem particula refertur ad participium *paratum*. Unde et alia similia testimonia intelligenda sunt non de ordine *intentionis,* sed *executionis.*

399. *Obiectio IV. — Nonne logicus est ordo in divinis decretis, de quo supra n. 389?*

Resp. — neg. Etenim primum decretum gratuitum dandi certum gratiarum ordinem, vel coniungitur cum scientia de effectu quem habiturae sint singulae gratiae, vel non. Si *primum,* ergo voluntas dandi aliquibus gratias efficaces, aliquibus vero gratias mere sufficientes, iam est voluntas nonnullos salvandi seu *praedestinandi,* nonnullos vero non salvandi seu *permittendi* ut in aeternum damnentur: ut quid igitur alterum fingitur decretum post praescientiam? Si *alterum* asseritur, non amplius intelligeretur quomodo gratia efficax sit *speciale Dei beneficium* et quomodo Deus praedestinatos praediligat: et in hac hypothesi contingere potuisset, ut omnes gratiae effectu finali frustrarentur, atque ita Deus finem intentum non esset infallibiliter consecutus, qui est eius gloria per hominum salutem obtinenda. Dicendum est ergo cum Angelico [1] illud primum decretum, quod est omnino gratuitum, simul esse *dilectionem, electionem, praedestinationem,* ita tamen ut praedestinatio secundum rationem praesupponat electionem, electio vero dilectionem. Est quidem *dilectio* in quantum Deus vi illius decreti talem eligit providentiae ordinem, in quo praedestinati, sicut ceteri, habent sufficientia media salutis — est *electio* quatenus talis ordo providentiae eligitur in quo praedestinati habent *prae reliquis* media *efficacia* salutis — est *praedestinatio* quatenus praedestinati ad gloriam destinantur.

400. **Scholion I.** — *De effectibus praedestinationis* (n. 194) — Ut aliquid sit praedestinationis effectus, tria requiruntur sc. ut sit a Deo procedens — ut sit ex meritis Christi — ut certissime ad gloriae assecutionem conducat, vel formaliter vel dispositive vel occasionaliter. Porro — a) vocatio efficax ad fidem, iustificatio et glorificatio sunt certissimi praedestinationis effectus, aiente Apostolo: « *Quos praede-*

1. 1. p. q. 23. a. 4.

stinavit, hos et vocavit, quos vocavit hos et iustificavit, quos autem iustificavit illos et glorificavit »[1] — b) Gratia sanctificans interrupta per peccatum vere est in praedestinatis praedestinationis effectus. Cum enim praedestinatus per poenitentiam resurgit, amissa gratia reviviscit, cui propterea respondet specialis gradus gloriæ — c) Gratiæ inefficaces et peccatorum permissio *per se* non sunt in praedestinatis praedestinationis effectus, quia *uti tales* ad salutem non conducunt; sunt tamen aliquando *occasionaliter*, quia ex illis occasionantur quidam effectus, uti ex. gr. maior humilitas, gratitudo, fervor, sollicitudo de propria salute etc.... quae *per se* ad salutem conducunt. Quo in sensu ait Augustinus[2]: « Audeo dicere: superbis continentibus expedit cadere, « ut in eo ipso in quo se extollunt, humilientur et cum timore et tre- « more salutem suam operentur » — d) Dona naturalia, utpote quae ex meritis Christi haud conceduntur, non sunt praedestinationis effectus.

401. **Scholion II.** — *De proprietatibus praedestinationis* (n. 195-196) — Tres sunt praedestinationis proprietates sc. eius *certitudo quoad se — incertitudo quoad nos — immutabilitas*. Ac — a) praedestinatio est certa *secundum se*. Hinc de praedestinatis legimus[3]: « *Non peribunt in aeternum et non rapiet eas quisquam de manu mea* ». At — b) *respectu nostri* absque speciali revelatione incerta est: legitur enim[4]: « *Nescit homo utrum amore vel odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta* ». Praeterea — c) praedestinatio est *immutabilis* quatenus, ut ait Augustinus[5]: « certus est praede- « stinatorum numerus qui neque augeri neque minuit potest ». Scilicet certus est *formaliter* quia fixus est salvandorum numerus; certus est *materialiter* quatenus Deus personas noscit quae hunc numerum compleant. Hinc legitur[6]: « *Scio quos elegerim* » — *Cognovit Dominus qui sunt eius* ». Qui ergo in Dei praescientia reprobi sunt, infallibiliter damnabuntur; qui autem in eadem præscientia prædestinati sunt, infallibiliter salvabuntur.

Dices forte: valebit tunc sequens dilemma: vel sum praedestinatus vel non; si sum praedestinatus, quidquid egero certissime salvabor; si non sum praedestinatus, quidquid egero certissime damnabor; ergo non est cur de salute curem, pro voluptate et arbitrio vivam — *Resp.* Ita profecto se res habet. Qui tamen de propria salute serio cogitant, non certe ab incepto opere desistent ea solum ducti ratione quod, quidquid egerint, aeterna eorum sors iam in mente Dei immutabiliter statuta est. Propone dilemma illud viro religioso, et hoc unum dabit tibi responsum: quaenam futura sit mea sors nescio, Deus scit: scio

1. Rom. VIII. 29. — 2. Serm. 33. — 3. Io. X. 28. — 4. Eccl. IX. 1. 2. — 5. De corr. et gratia c. 13. — 6. Io. XIII. 18. et 2. - Tim. II. 19.

tamen me salvatum iri si bene egero, damnandum autem fore si male vixero: propterea *satago et magis satago ut per bona opera certam meam vocationem et electionem faciam* » [1].

PARS ALTERA

De sanctissimo Trinitatis mysterio.

402. **Prologus** (n. 197-198) — Mysteriorum omnium gravissimum est ss. Trinitatis mysterium quod Tertullianus appellat [2] « *opus Evangelii, substantiam Novi Testamenti* ». Duo autem sunt suprema capita huius mysterii, nempe *trinitas in unitate* et vicissim *unitas in trinitate:* quapropter — a) praeformato in primo capite conceptu huius mysterii — b) in secundo trinitatem in unitate — c) in tertio unitatem in trinitate considerabimus: addita — d) in lumine scholasticarum cognitionum aliquali huius mysterii illustratione.

CAPUT I.

Augustissimi mysterii conceptus praeformatur et contrarii errores recensentur.

403. **Definitio lateranensis** (n. 199) — Principium sumimus a definitione Concilii Lateranensis IV. quæ sic habet [3]: « Una quædam « summa res est (in divinis), incomprehensibilis et ineffabilis, quae « veraciter est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tres simul personae « et singillatim quælibet earundem: et ideo in Deo solummodo Tri- « nitas est, non quaternitas, quia quaelibet trium personarum est « illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina. Et illa res « non est generans neque genita nec procedens, sed est Pater qui « generat et Filius qui gignitur et Sp. Sanctus qui procedit, ut « distinctiones sint in personis et unitas in natura. Licet igitur *alius* « sit Pater, *alius* Filius, *alius* Sp. Sanctus, non tamen *aliud;* sed id « quod est Pater, est Filius et Sp. Sanctus, idem omnino ». Quia ergo summa veritatis huc recidit, ut distinctio sit in tribus personis, unitas vero in essentia seu natura vel substantia, idcirco praestat imprimis genuinam notionem *naturae* et *personae* declarare.

404. **Essentia - natura - substantia** (n. 200) — *Essentia* est id quo aliquid est id quod est, quo sc. respondetur quaestioni *quid est,* unde et *quidditas* vocari solet — *substantia* dicitur id quod non

1. 2. Pet. I. 10. — 2. adv. Prax. c. 31. — 3. cp. *Damnamus.*

indiget alia re, cui tamquam subiecto inhaereat ad existendum — *natura* est primum operationis principium seu principium *quo* activum et *radix* omnium facultatum, quae ad specificam rei perfectionem pertinent, ac remotum principium elicitivum operationum (proximum enim sunt facultates) [1]. In ente autem quod est substantia, tria haec *essentia, substantia, natura* sunt unum idemque secundum rem. Hinc factum est ut haec nomina promiscue usurparentur ad eandem rem significandam, et idcirco ex Conc. Later. « in Deo est una *substantia, essentia* seu *natura* ».

405. **Hypostasis** (n. 201) — *Hypostasis* vel *suppositum* est quod obiicitur considerationi *quis* aliquis sit seu est ille qui habet naturam, qui in se constitutus et ab aliis distinctus, pertinet ad determinatam aliquam speciem. Si e. g. de pluribus hominibus quaeritur *quid* sint, respondetur eos esse homines seu habere *naturam humanam:* si autem quaeritur *qui* sint, respondetur esse Petrum, Paulum etc... qui sunt *hypostases* humanæ naturæ. Quare hypostasis, ut eius conceptum distinctius declaremus — a) non est accidens sed *substantia* — b) non substantia *universalis* e. g. humanitas, sed *singularis* sc. haec una in concreto existens — c) non *pars* substantiae integrae, sive pars *integrans* ut hominis membra, sive pars *essentialis* ut anima et corpus, sed substantia *integra:* denique — d) *tota in se* sc. non *alteri communicata*. Hypostasis ergo recte definitur *substantia individua;* substantia quidem in oppositione ad *accidens* — individua vero ad significandas notas *singularitatis, integritatis et totietatis in se*. Quod si hæc substantia est ratione prædita, dicitur *persona*, quæ communiter definitur: *rationalis naturae individua substantia*. Modus autem existendi *totaliter et incommunicabiliter in se* appellatur *subsistentia* vel *personalitas* [2].

406. **Fit applicatio divinis** (n. 202) — Nunc si iuxta definitionem lateranensem has notiones Deo applicemus, aliquo modo intelligere poterimus quomodo concipi debeat in divinis unitas naturae in distinctione personarum. Scilicet — a) illa *summa res incomprehensibilis et ineffabilis*, quae est Deus, sub uno respectu consideratur ut *communis* et *communicata* tribus realiter distinctis, qui sunt Pater, Filius et Sp. Sanctus — sub altero respectu eadem summa res, quin multiplicetur, est *Pater* generans Filium, est *Filius* genitus a Patre, est *Sp. Sanctus* a Patre Filioque procedens. Quapropter — b) sub priori respectu illa summa res non est hypostasis, quia quamvis sit substantia *singularis* et *integra*, tamen non est *tota in se* sed pluribus communicatur — sub altero respectu est hypostasis quia illa summa res, sic accepta, ita est Pater ut non sit Filius nec

1. cf. s. Th. 1. p. q. 29. a. 1. ad 4. — 2. cfr. s. Th. 1. p. q. 29. a. 1.

Sp. Sanctus; ita est Filius ut non sit Pater nec Sp. Sanctus; ita est Sp. Sanctus ut nec Pater, nec Filius sit: sc. Pater, Filius et Sp. Sanctus sunt res *incommunicabiles* ad invicem. Seu iuxta definitionem lateranensem illa summa res sub priori consideratione nec generat, nec generatur, nec procedit; sub altera consideratione est *Pater* generans, *Filius* genitus, *Sp. Sanctus* procedens. Ergo — c) sub priori conceptu summa illa res appellatur *essentia, natura, substantia* — sub altera eadem summa res est simul *tres personae* et quaelibet earundem. Ratio essentiae, naturae, substantiae dicitur ratio *absoluti;* ratio personae seu trium personarum ratio *relativi.* Inter utramque rationem non est *realis* distinctio, sed solummodo *virtualis;* at inter tria relativa seu tres personas est *realis* distinctio. Hinc — d) patet etiam quomodo iuxta definitionem lateranensem Pater, Filius et Sp. Sanctus vere sint *alius, alius* et *alius* quia sunt tres personae distinctae, minime vero *aliud* et *aliud* quia communem habent naturam.

407. **Errores** (n. 203) — Ex duplici capite istud dogma oppugnarunt haeretici prouti vel *personarum distinctionem,* vel *unitatem naturae* aggressi sunt. Ad *primam* classem spectant — a) qui tres personas *penitus* negarunt ut Theodotus, Carpocrates, Photinus recentique tempore sociniani. Accedunt — b) qui trinitatem *nominalem* tantum admiserunt, quos inter sabelliani (patripassiani quoque dicti) qui docuerunt unam esse personam in Deo, diversis nominibus Patris, Filii et Sp. Sancti designatam pro diversitate temporis et operationis. His accesserunt plures protestantes, tres divinitatis *modos* pro tribus personis intelligentes, unde *modalistae* dicti sunt. Denique — c) illi qui relate ad personas divinas errarunt, ut ariani qui Filium et Sp. Sanctum creaturas esse effutierunt — macedoniani (dicti pneumatomachi) qui Sp. Sancti divinitatem negarunt — graeci schismatici qui Sp. Sancti processionem a Filio inficiati sunt.

Ad *alteram* classem spectant tritheitae, duce saec. V. Ioanne Philopono, admittentes tres divinas naturas pro tribus personis: quem errorem fere renovavit saec. XII. Abbas Ioachim et nostris diebus Antonius Günther, qui aperte docuit in Deo esse tres substantias identicas, quae formaliter uniuntur ex eo quod per conscientiam sui singulae ad invicem referantur.

408. **Rosminius** (n. 204) — Rosminium quoque ac in re error infecit, cuius prostat duplex damnata propositio: *prima* est 25. qua superrationalitatem huius mysterii negat: « Revelato mysterio ss. Trinitatis, « potest ipsius existentia demonstrari argumentis mere speculativis, « negativis quidem et indirectis, eiusmodi tamen ut per ipsa veritas « illa ad philosophicas disciplinas revocetur, atque fiat propositio « scientifica sicut ceterae: si enim ipsa negaretur, doctrina theoso- « phica purae rationis non modo incompleta maneret, sed etiam omni

« ex parte absurditatibus scatens annihilaretur » — *Altera* est 26. qua divinarum personarum conceptum pervertit realemque distinctionem tandem negat: « Tres supremae formae *esse* (dell'essere) « nempe subiectivitas, obiectivitas, sanctitas — seu realitas, idealitas, « moralitas, si transferantur ad esse absolutum, non possunt aliter « concipi nisi ut personae subsistentes et viventes — Verbum quatenus obiectum amatum et non quatenus Verbum idest obiectum « in se subsistens et per se cognitum, est persona Sp. Sancti ». Quare iuxta Rosminium — a) tres personae divinae constituuntur per tres formas, sub quibus unum idemque esse divinum consideratur vel quatenus *existens* (Pater) — vel quatenus *cognoscibile* (Filius) — vel quatenus *diligibile* (Sp. S.). Atqui e contra revelatio docet, divinas personas constitui per relationes *oppositionis* quae sunt *paternitas, filiatio* et *processio:* ergo imprimis conceptus divinarum personarum pervertitur. Imo — b) realis personarum distinctio perimitur. Illæ enim tres formae tandem non sunt nisi tres diversi *modi* considerandi unum idemque esse; quare absque ambagibus dicitur in secunda propositionis parte, Verbum idem esse ac Sp. Sanctum [1].

CAPUT II.

De Trinitate in Unitate.

409. **Lemmata tria** (n. 205-207) — In divinis litteris — a) saepe mentio occurrit *Patris, Filii* et *Sp. Sancti*, quadruplici praesertim occasione sc. in annunciatione Incarnationis [2] — in Christi baptismo [3] — in ultima cœna [4] — in Apostolorum missione [5]: « *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* ». Porro — b) qui dicuntur Pater, Filius et Sp. Sanctus, *a se invicem distinguuntur*. Nemo enim dicitur suipsius pater vel filius — nemo a se procedere — nemo se mittere etc.... Atqui haec leguntur de Patre, Filio et Sp. S.: ergo. Denique — c) absque controversia *Pater* est verus Deus. Vel enim nullus est Deus, vel ille est imprimis qui I. C. Pater exhibetur; idcirco id nunquan ab hæreticis negatum est. Si qua ergo quaestio est, illa ad Filium et ad Sp. Sanctum refertur, de quibus proinde tantum distinctis articulis agimus.

---

1. cfr. propp. rosmin. trutina theolog. *prop.* 26. edit. typis vatic. a. 1892. — 2. Luc. I. 35. — 3. Matth. III. 16. — 4. Io. XIV. 16. — 5. Matth. XXVIII. 19.

ARTICULUS I.

De divinitate Filii eiusque æterna generatione.

410. **Arius — Ecclesiæ doctrina** (n. 208) — Arii doctrina fuit Filium esse quidem personam a Patrem distinctam, sed non a Patre *genitum,* proinde non consubstantialem Patri neque eidem coæternum, sed creatum, quamvis ante mundum ut esset instrumenti instar ad creandum mundum. Hanc doctrinam proscripsit Conc. Nicaenum I. (a. 325), quod symbolum confecit quo credimus « in unum Dominum « I. C. filium Dei unigenitum et ex Patre natum ante omnia sae- « cula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, « genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia « facta sunt »: quam fidei professionem renovavit Conc. Flor. in Decreto pro Iacobitis — Sint ergo sequentes conclusiones.

411. **Conclusio I.** « *Qui in Scripturis dicitur Filius Dei seu Verbum Patris, est verus Deus Patrique consubstantialis* » (n. 209-210) — Conclusio est *de fide catholica,* ad quam probandam sufficit prologus Ioan.: « *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat et vita erat lux hominum* ». Tot sunt argumenta, quot huius loci incisa, singillatim expendenda. Ac — a) « *In principio erat Verbum* » — Verbo hic adscribitur *aeternitas:* manifestum est enim Verbum heic opponi rebus principium habentibus tamquam illud quod non habet principium, ut infectum factis ideoque ante creaturas extitisse. Atqui hoc est existere *ab aeterno:* ergo Verbum est *aeternum* ac proinde Deus — b) « *Et Verbum erat apud Deum* » — Sicut in priori inciso et v. 3. Verbum a rebus principiatis distinguitur, ita in hoc inciso cum Deo Patre coniungitur. Atqui per illam distinctionem Verbum exhibetur non consors naturae creaturarum: ergo per hanc coniunctionem particeps describitur naturae divinae — c) « *Et Deus erat Verbum* » — Subiectum propositionis, ut patet ex textu originali graeco, est Verbum: atqui de Verbo praedicatur *quod sit Deus:* ergo — d) « *Omnia per ipsum facta sunt* » — Ex quibus recte Augustinus in h. l.: « Exeat nunc nescio quis infidelis « arianus et dicat quia Verbum factum est. Quomodo potest fieri ut « Verbum factum sit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Si et « Verbum ipsum factum est, per quod aliud verbum factum est? Si « dicis verbum Verbi, ipsum dico ego unicum Filium Dei. Si autem « non dicis verbum Verbi, concede non factum per quod facta sunt « omnia ». Si autem Verbum infectum est, non creatura sed Deus

erit — e) « *In ipso vita erat et vita erat lux hominum* » — In Filio ita est vita ut ipse sit *vita subsistens:* nam « *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso* » [1]: ac propterea ipse est fons omnis vitae: « *Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, ipse vivet propter me* » [2]. Atqui vita substantialis et fons omnis vitae nonnisi Deus est: ergo. Merito ergo s. Ambrosius [3]: « Omnes haereses hoc capitulo brevi « piscator noster exclusit. Quod enim *erat in principio*, non includitur « tempore, non principio praevenitur: ergo Arius conticescat. Quod « autem erat *apud Deum*, non permixtione confunditur, sed manentis « Verbi apud Patrem solida perfectione distinguitur, ut Sabellius « obmutescat. *Et Deus erat Verbum:* non ergo in prolatione sermonis « hoc Verbum est, sed in illa coelestis designatione virtutis, ut con- « futetur Photinus. Quod vero *erat in principio apud Deum*, sempi- « ternae divinitatis in Patre et Filio inseparabilis unitas edocetur, ut « erubescat Eunomius. Postremo cum *omnia per ipsum facta* dicantur, « ipse conditor novi utique testamenti et veteris designatur, ut Ma- « nichaeus locum tentationis habere non possit ».

412. **Solvuntur difficultates** (n. 211-214). *Obiectio I.* — Legitur Io. [4]: « *Pater maior me est* »: ergo.

Resp. — imprimis s. Augustinus [5]: « Distinguamus quid in Scripturis « sonet secundum *formam Dei* in qua aequalis est Filius Patri, et « quid secundum *formam servi* in qua minor est Patre, et non contur- « babimur tamquam contrariis et inter se repugnantibus ss. librorum « sententiis » — Alii vero haec referunt ad Filium secundum *divinam* naturam, non quidem ut Filii cum Patre inaequalitatem negent, sed ut significent Filium omnia sua a Patre accipere per generationem. In Patre enim divinitas est *incommunicata*, in Filio est per generationem *communicata* ideoque Filius est *Deus de Deo, lumen de lumine*. Caveatur tamen idearum confusio: aliud est *habere substantiam a principio*, aliud est substantiam *habere principium*. Filius quidem habet substantiam divinam *a principio* h. e. a Patre: at accipit a principio substantiam carentem principio, quia eandem cum Patre possidet naturam.

413. *Obiectio II.* — Legitur Io. [6]: « *Haec est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti I. C.* ».

Resp. — Notant interpretes vocem *solum* non esse referendam ad subiectum *te*, ut patet ex textu graeco, sed ad praedicatum *Deum verum:* propterea nil aliud hic affirmari quam *unicitatem* Dei, non vero excludi personarum pluralitatem communem habentium eandem divinam naturam.

1. Io. V. 26. — 2. Io. VI. 58. — 3. De fide l. 1. c. 7. n. 56. — 4. Io. XIV. 28. — 5. De Trin. l. 1. c. 11. n. 22. — 6. Io. XVII. 3.

414. *Obiectio III.* — Legitur Marc. [1]: « *De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater* »: ergo.

Resp. — Communior explicatio ea est quam proponit Augustinus [2]: « Quid potest esse quod ipse nesciat? Sed quia hoc utiliter occultat « discipulis, nescientem se esse dixit, quia illos nescientes occultando « faciebat ». Christus scilicet, qua Dei legatus, dixit se nescire diem iudicii scientia *communicabili,* iusta de causa usus restrictione *late mentali,* omnino licita.

415. *Obiectio IV.* — *Patres quandoque dicunt Patrem voluntate genuisse Filium: ergo.*

Resp. — s. Thomas: « Cum dicitur aliquid fieri *voluntate,* dupliciter « potest intelligi. Uno modo ut ablativum designet *concomitantiam* « tantum, sicut possum dicere: ego sum homo mea voluntate, quia « sc. volo me esse hominem. Et hoc modo potest dici quod Pater « genuit Filium *voluntate,* sicut et est voluntate Deus, quia vult se « esse Deum et vult generare Filium. Alio modo sic quod ablativum « importet habitudinem principii: sicut dicitur quod artifex operatur « voluntate, quia voluntas est principium operis. Et secundum hunc « modum Deus Pater non genuit Filium voluntate, sed voluntate, « produxit creaturam » [3].

416. **Conclusio II.** « *Filius aeternaliter a Patre procedit per generationem* » (n. 215-216) — Conclusio est *de fide catholica* eaque sic ostenditur ex Scriptura. Filius appellatur — a) *simpliciter* filius: « *Pater diligit Filium et omnia dedit in manu eius* » [4]. Atqui nomine *filii* simpliciter et per excellentiam intelligitur ille qui *per generationem* existit: ergo. Item — b) appellatur filius *proprius*: « *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* » [5]. Atqui filius *proprius* est filius *naturalis,* qui nempe *per generationem* existit: ergo. Item — c) Filius exhibetur tamquam *auctor adoptionis nostrae*: « *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* » [6]. Atqui prior est filiatio naturalis quam adoptiva, utpote quae adumbratio quaedam est filiationis naturalis: ergo. Item — d) prædicatur filius *unigenitus*: « *Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit* » [7]. Atqui haec appellatio duo ostendit — α) filium esse vere *genitum* ideoque *naturalem:* — β) in sua filiatione nullum habere *consortem:* haberet autem consortes, si non *generatione,* sed *adoptione* esset filius. Denique — e) veritas quod Christus sit *filius Dei* exhibetur tamquam obiectum *princeps* fidei nostrae: « *Haec autem scripta sunt ut credatis quia Iesus est Christus Filius Dei* » [8] — tamquam veritas ex cuius confessione

1. 1. Io. V. 20. — 2. De gen. cont. Manich. c. 22. — 3. 1. p. q. 41. a. 2. — 4. Io. III. 35. V. 19. VIII. 36. — 5. Rom. VIII. 32. — 6. Io. I. 12. — 7. Io. I. 18. — 8. Io. XX. 31.

Petrus praedicatur *beatus* [1]. Ergo est filius non ratione *communi*, sed prorsus *singulari* ideoque non adoptione, sed *vera generatione*.

417. **Solvuntur difficultates** (n. 217-220) *Obiectio I. — Angeli quoque et homines appellantur in Scriptura filii Dei. Idcirco Filius dicitur primogenitus omnis creaturae, in multis fratribus* [2], *necnon factus* [3] *ac creatus* [4].

Resp. — *dist.* eadem ratione ac Filius Dei *neg.* diversa ratione *conc.* Non ex simplici appellatione *filii*, sed ex *modo* quo filius appellatur legitime deducimus Filium Dei esse filium *naturalem* Patris. Nam — a) dicitur quidem filius, sed filius *proprius*, filius *unigenitus*, filius qui est *auctor nostræ adoptionis*, filius *non sicut prophetæ* ceterique Dei legati, filius *praestantior angelis*, filius *splendor gloriae* Patris, filius *creator* et *conservator* universi. Atqui haec omnia de filio adoptivo intelligi non possunt: ergo. Ad rem Chrysostomus [5]: « Tu filius ap-« pellaris, sed unigenitus ut ille non appellaris, sed in sinu Patris « non versaris, sed non es splendor gloriae nec figura substantiae « nec forma Dei ». Quoad vero — b) appellationem *primogeniti* audi Ambrosium [6]: « Legimus *primogenitum*, legimus *unigenitum*. Pri-« mogenitus quia nemo *ante* ipsum, unigenitus quia nemo *post* « ipsum ». Quoad — c) testimonia, in quibus filius dicitur *factus*, advertatur ea referri ad Christum secundum naturam *humanam* spectatum. Denique — d) quoad postremum testimonium advertatur verbum *creare*, quamvis significatione *specifica* productionem *ex nihilo* denotet, significatione tamen *generica* de quavis productione intelligi posse. Iamvero in loco obiecto aeternam quamdam productionem significari ex eo patet quod ibi sermo sit de sapientia *ab initio* creata — *ab aeterno* ordinata — *ante* coelos — *ante* terram — *ante* montes — *ante* colles existente et cum Deo omnia creante, omnia componente: haec autem sapientia esse nequit creatura.

418. *Obiectio II. — Si Filius generatur a Patre, ergo recipit esse a Patre, quod est naturae indigentis — ergo Pater est prior Filio.*

Resp. — *Ad 1um* sic s. Thomas [7]: « Recipiens antequam recipiat, « indiget: ad hoc enim accipit, ut indigentiam repleat. Sed postquam « iam acceperit, non indiget: habet enim quo indigebat. Si ergo « aliquid est, quod receptioni non præexistit, sed semper est in *re-« cepisse*, hoc nullo modo est indigens. Filius autem non sic accipit « a Patre quasi prius non habens et postea accipiens, sed quia hoc

1. Matth. XVI. 17. cfr. Hebr. I. 5. — 2. Coloss. I. 15. - Rom. VIII. 29. — 3. Rom. I. 3. - Io. I. 5. - Act. II. 36. - Hebr. III. 2. — 4. « *Dominus possedit* (orig. *creavit*) *me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret a principio* » Prov. VIII. 22. — 5. hom. de consubst. n. 2. — 6. De fide l. 1. c. 6. - cfr. s. Th. in 3. dist. 11. q. 1. ad 3. — 7. De pot. q. 10. a. 1. ad 13.

« ipsum quod est, habet a Patre. Unde non sequitur, quod sit *in-*
« *digens* ».

Ad 2um sic iterum Angelicus [1]: « In divinis dicitur principium
« secundum originem absque prioritate: unde oportet ibi esse ordinem
« secundum originem absque prioritate. Et hic vocatur *ordo naturæ*
« secundum Augustinum [2], *non quo alter sit prius altero, sed quo*
« *alter est ex altero* ». Egregie quoque Nazianzenus [3]: « Principium
« necesse non est antiquius sit eo cuius est principium, sicut sol
« non extat prius luce. Quod igitur in hunc modum ab æterno prin-
« cipio procedit, id licet principio, quo existat, non careat, caret
« tamen principio temporis ».

ARTICULUS II.

De divinitate ac processione Sp. Sancti.

419. **Errores confutandi** (n. 221) — Circa personam Sp. Sancti triplex error refutandus occurrit sc. — a) contra sabellianos saec. II. necnon contra socinianos (Laelium et Faustum) saec. XVI. sabellianismum renovantes, demonstrandum est Sp. Sanctum esse *personam* a Patre et a Filio distinctam, non vero virtutem quamdam et operationem Dei — b) contra macedonianos saec. VI. Sp. Sanctum inter creaturas relegantes demonstranda est Sp. S. divinitas — c) contra graecos schismaticos, a Romana ecclesia saec. XII. separatos, processio Sp. S. a Filio vindicanda est. Sit ergo

420. **Conclusio I.** « *Sp. Sanctus* — 1° *est verus Deus* — 2° *a Patre et a Filio personaliter distinctus* » (n. 222-224) — Conclusio est *de fide catholica* ex anathematismo 16. Damasi [4]: « Si quis non di-
« xerit Sp. Sanctum de Patre esse vere et proprie sicut Filius, de
« divina substantia et Deum verum A. S. »: item ex symbolo Nicaeno-Costantinop. (a. 381).

Prob. 1. pars — Scriptura multipliciter divinitatem Sp. S. testatur sc. — a) diserte Sp. S. appellat *Deum* [2]: « *Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto?... Non es mentibus hominibus sed Deo* » — « *Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis?* » — b) aequivalenter quoties eas praerogativas Sp. Sancto adscribit, quae nonnisi Deo competere possunt, ut e. g. in ordine naturali creatio [3]: « *Verbo Domini coeli firmati sunt et Spiritu oris eius omnis virtus eorum* » — in ordine

1. 1. p. q. 42. a. 3. — 2. cont. Max. c. 4. — 3. Or. 35. n. 3. — 4. in ep. ad Paulin. episc. antioch. a. 378. — 5. Act. V. 3. - 1. Cor. III. 16. - cfr. Is. VI. 8. - Act. XXVIII. 25. — 6. Ps. 32. et 103.

supernaturali regeneratio [1]: « *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Sp. Sancti* » — sanctificatio [2]: « *Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine D. N. I. C. et in Spiritu Dei nostri* » — peccatorum remissio [3]: « *Accipite Sp. Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* » — charismatum distributio [4]: « *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prouti vult* » — omniscientia [5]: « *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei?* » Denique — c) praetereundum non est testimonium Christi [6]: « *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti* » — ex quo liquet Sp. Sanctum adnumerari Patri et Filio in ritu fundamentali religionis christianae maximeque ad salutem necessario ideoque eiusdem cum ipsis esse naturae.

Prob. 2. pars — Legitur de Sp. Sancto [7]: « *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis* » — « *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me* » — « *Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* ». Porro — a) Sp. Sancto tribuuntur operationes: atqui *actiones sunt suppositorum:* ergo Sp. Sanctus est *persona*. Praeterea — b) esse personam distinctam a Patre ex eo constat quod a Patre procedit, a Patre datur; distinctam a Filio ex eo patet quod a Filio mittitur.

421. **Conclusio II.** « *Sp. S. a Patre et a Filio aeternaliter procedit* » (n. 225-227) — Conclusio est *de fide catholica* ex Conc. Lugd. II. (a. 1274) sub Greg. X.: « Sp. S. aeternaliter ex Patre et Filio non « tamquam ex duobus principiis, sed tamquam ex unico principio, « non duabus spirationibus sed unica spiratione procedit ». *Prob.* — a) ex Scriptura idque dupliciter praesertim. Ac — α) Sp. S. exhibetur missus sicut a Patre, ita etiam a Filio [8]. Atqui missio in divinis involvit processionem personae missae a mittente: ergo Sp. S. procedit a Filio — *Prob. min.* Missio uti fusius dicemus infra, significat unius ab altero egressionem secundum aliquam rationem principii cum habitudine ad aliquem terminum. Ergo missio in divinis est egressio personae missae a mittente secundum aliquam rationem principii. Atqui in divinis non alia concipitur relatio principii et principiati quam quae in origine fundatur. Ergo missio in divinis

1. Tit. III. 5. — 2. 1. Cor. VI. 11. — 3. Io. XX. 22. — — 4. 1. Cor. XII. 3. — 5. 1. Cor. II. 10. — 6. Matth. XXVIII. 19. — 7. Io. XVI. 16. XV. 26. - 1. Cor. XII. 11. — 8. Io. XVI. 7. XV. 26. - Luc. XXIV. 49.

vere involvit processionem personæ missae a mittente. Ad rem s. Thomas [1]: « Missio in sui ratione importat processionem ab alio et in « divinis *secundum originem*. Unde cum Pater non sit ab alio, nullo « modo convenit ei mitti, sed solum Filio et Sp. Sancto, quibus con- « venit esse ab alio ». Praeterea — β) ait Christus [2]: « *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur, et quae ventura sunt annunciabit vobis. Ille me clarificabit quia de meo accipiet et annunciabit vobis. Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet et annunciabit vobis* ». Porro heic Sp. Sanctus dicitur accipere de Filio. Atqui *accipere* in divinis nil aliud significare potest quam *procedere,* quia praeter processionem non alia cognoscitur accipiendi ratio: ergo. Item testatur Filius se omnia habere quae Patris sunt, excepta profecto paternitate. Atqui Pater virtutem habet spirandi Sp. Sanctum, quae virtus non est *paternitas,* alioquin Sp. Sanctus esset filius Patris: ergo.

b) Optima ratio sic proponitur ab Angelico [3]: « Si Sp. S. non esset « a Filio, nullo modo posset ab eo personaliter distingui. Non enim « est possibile dicere, quod secundum aliquid absolutum divinae per- « sonae ab invicem distinguantur, quia sequeretur quod non esset « trium una essentia. Quidquid enim in divinis absolute dicitur, ad « unitatem essentiae pertinet. Relinquitur ergo quod solum relatio- « nibus personæ divinæ distinguantur. Relationes autem distinguere « personas non possunt nisi secundum quod sunt oppositae. Quod ex « hoc patet quod Pater duas habet relationes, quarum unâ refertur « ad Filium et aliâ ad Sp. Sanctum: quae tamen, quia non sunt op- « positae, non constituunt duas personas, sed ad unam personam « Patris tantum pertinent.... Oportet ergo quod Filius et Sp. Sanctus « ad invicem referantur oppositis relationibus. Non autem possunt « esse in divinis aliae relationes oppositae nisi relationes originis. « Relinquitur ergo quod necesse est dicere vel Filium esse a Sp. Sancto, « quod nullus dicit, vel Sp. Sanctum esse a Filio ».

422. **Solvuntur difficultates** (n. 228-230). *Obiectio I. — Apud Io.* [4] *necnon in symbolo Cnp. Spiritus dicitur a Patre procedere, nulla facta Filii mentione: ergo.*

Resp. — dist. ant. in sensu *affirmante* conc. *excludente* neg. *Ad 1um* sic egregie s. Thomas [5]: « Regulariter in sacra Scriptura tenendum « est, quod id quod de Patre dicitur, oportet de Filio intelligi, nisi « solum in illis in quibus Pater et Filius secundum oppositas rela- « tiones distinguuntur. Cum enim Dominus dicit [6]: *Nemo novit Fi-*

1. 1. p. q. 43. a. 4. — 2. Io. XVI. 13. — 3. 1. p. q. 36. a. 2. — 4. Io. XV. 26. — 5. 1. q. 36. a. 2. ad 1. — 6. Matth. XI. 27.

« *lium nisi Pater:* non excluditur quod Filius seipsum cognoscat. « Sic igitur, quum dicitur quod Sp. Sanctus a Patre procedit, non « excluditur inde Filius; quia quantum ad hoc quod est esse prin- « cipium Sp. Sancti, non opponuntur Pater et Filius, sed solum « quantum ad hoc quod hic est Pater et ille Filius » — *Ad 2.um* sc. ad verba symboli Cnp. advertatur, illa posita fuisse contra macedonianos, qui ultro concedentes Sp. Sanctum esse a Filio, sed per creationem, eius a Patris substantia processionem negabant [1].

423. *Obiectio II. — Spiritus S. perfecte procedit a Patre: superfluum est ergo ipsum procedere a Filio.*

Resp. — « Per hoc quod Sp. Sanctus perfecte procedit a Patre, non « solum non superfluum est dicere quod Sp. Sanctus procedat a Filio, « sed omnino necessarium: quia una virtus est Patris et Filii, et quid- « quid est a Patre, necesse est esse a Filio, nisi proprietati filiationis « repugnet. Non enim Filius est a se ipso, licet sit a Patre » [2].

CAPUT III.

De unitate in trinitate.

424. **Consubstantialitas** (n. 232-238) — *Consubstantialia* dicuntur quae eandem habent substantiam, essentiam seu naturam. Duplex autem naturae unitas distinguitur sc. *specifica* qua plura individua, hypostasi et singulari propria naturâ distincta, ad eandem speciem pertinent, ut ex. gr. plures homines — *numerica* qua plures hypostases unam *numero* naturam communem habent — Addi potest unitas *moralis* seu consensionis secundum voluntatem, quo sensu amici sunt anima una et cor unum.

Porro dogma catholicum est, ex Conc. Lat. IV. [3] et ex symbolo athanas., tres divinas personas esse *unum Deum* ideoque vero sensu consubstantiales esse seu unitate *numerica* naturae. Et revera — a) ratione et revelatione constat Deum unum esse. Atqui Pater, Filius et Sp. Sanctus sunt personae divinae: ergo sunt *unus Deus* idest communem habent eandem numero naturam. Praeterea — b) expendatur formula Baptismi a Christo declarata [4]: « *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti* ». Ex hoc testimonio — α) constat

1. Additamentum *Filioque* in Hispania primum factum est, uti constat ex Conc. Toletano III. IV. VIII. XII. XIII. XV. Hinc in Galliam, deinde in Germaniam mos iste transiit. Quum autem in Romanam quoque Ecclesiam introduci vellet, Leo III. (a. 809) obstitit. Postmodum sub Benedicto VIII. in R. quoque Ecclesia additamentum illud receptum est, quod denique in Conciliis Lugdunensi II. et Florentino a Latinis simul et a Græcis admissum est. — 2. ib. a. 2. ad 6. — 3. cp. *Firmiter.* — 4. Matth. XXVIII. 19.

trium personarum distinctio, uti ostendunt nomina ad invicem opposita *Patris, Filii et Sp. Sancti,* necnon eorum *connumeratio.* Constat — β) trium personarum *divinitas:* baptizari enim in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti significat homines a peccatis mundari et sanctificari *in virtute* trium, tum etiam eos in eorumdem trium maiestatem devoveri et consecrari. Atqui a peccatis non abluimur nisi in virtute Dei, nec nisi Deo consecramur: ergo. Constat — c) *unitas essentiae.* Gentes enim dicuntur baptizandae non in nominibus, sed *in nomine,* quod unum idemque est tribus. Atqui ex dictis *nomen* ponitur pro ipsa *re* nominis seu pro ipso *numine:* ergo. Ad rem s. Ambrosius [1]: « Tres « personas quidem significavit, sed unum Trinitatis nomen asseruit: « unus itaque Deus, unum nomen, una maiestas ». Denique — d) expendatur textus Ioannis [2]: « *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Sp. Sanctus, et hi tres unum sunt* ». Porro — α) in hoc textu personarum trinitas indicatur tum per ipsa nomina relationem oppositionis significantia, tum per adiectivum numerale *tres sunt.* Præterea — β) personarum unitas in eadem *numero* natura exprimitur: dicuntur enim *unum* esse: atqui « nunquam invenitur quod Deus et creatura sint unum sine aliquo addito » [3]: ergo.

425. **Æqualitas** (n. 233-239) — Ex unitate numerica essentiae sequitur divinas personas esse *aequales.* Definitur *aequalitas* convenientia in quantitate sine excessu unius prae altero, seu unitas *in quantitate.* « Duplex autem est quantitas: una quae dicitur quantitas « *molis* vel quantitas dimensiva, quae in solis rebus corporalibus « locum habet; unde in divinis personis non datur. Alia est quantitas « *virtutis* quae attenditur secundum perfectionem naturae vel formae « alicuius ». Porro dogma catholicum est ex symb. athan. divinas personas esse perfectione aequales. « Necesse est, ait Angelicus [4], « ponere aequalitatem in divinis personis. Æquale enim dicitur per « negationem maioris et minoris: non autem possumus in divinis « personis ponere aliquid maius et minus. Cuius ratio est quia inae- « qualium non potest esse una quantitas numero: quantitas autem « in divinis non est aliud quam earum essentia. Unde relinquitur « quod si esset aliqua inaequalitas in divinis personis, non esset in « eis una essentia, et sic non essent tres personae unus Deus, quod « est impossibile. Oportet igitur aequalitatem ponere in divinis per- « sonis ». Hinc Augustinus [5]: « Tantus est vel solus Pater, vel solus « Filius, vel solus Sp. Sanctus, quantus est simul Pater, Filius et « Sp. Sanctus ».

426. *Dices: — paternitas est in solo Patre, filiatio in solo Filio,*

1. De Virg. c. 10 n. 67. — 2. 1. Io. V. 7. — 3. s. Th. in Io. X. lect. 5. — 4. 1. p. q. 42. a. 1. — 5. De Trin. l. 7. c. 8.

processio in solo Sp. S. — *Resp. dist.* formaliter et constitutive *conc.* immanenter et relative *nego.* Singulae personae habent *formaliter* perfectionem illam relativam, qua constituuntur in proprio esse personae; et sic Pater est pater sua paternitate, Filius sua filiatione, Sp. Sanctus sua processione. At singulae habent simul perfectiones relativas aliarum *immanenter* sc. per necessariam correlationem: Pater enim sibi habet ex necessitate naturae immanentem Filium, Filius sibi immanentem Patrem, Pater et Filius sibi immanentem Sp. Sanctum et vicissim. Ideoque unaquaeque persona non solum habet totam perfectionem *absolutam*, verum etiam *relativam* modo singulis personis convenienti.

427. **Circuminsessio** (n. 234-240) — Ex eadem unitate essentiae sequitur illa mutua personarum divinarum inexistentia, quae a Patribus appellatur *circumincessio* vel *circuminsessio* quaeque sic definitur a Card. Franzelin [1]: « personarum ad intra procedentium et « realiter distinctarum unius in altera mutua comprehensio propter « earum identificationem cum una numero natura seu essentia ». Revera — a) trium personarum una est *numero* essentia: ergo una sine alia neque esse, neque adaequate concipi potest. Idem suadetur etiam — b) ex divinarum personarum processione. Etenim — α) *Pater* nihil est aliud quam intellectus divinus in aeterno et permanente actu productionis Verbi consubstantialis: ergo eadem intestina necessitate qua intelligendo producit Verbum, habet suum Verbum ut terminum sibi necessario immanentem, sine quo nec esse nec adaequate concipi potest. Vicissim — β) *Filius* est Verbum quod generatur a Patre: ergo neque est, neque concipi potest absque immanente suae generationis principio, quod est Pater. Item — γ) *Sp. Sanctus* est amor subsistens, qui a divina voluntate producitur, quatenus illa est in Patre et Filio fœcunda substantialis amoris. Ergo nec Pater et Filius absque Sp. Sancto, nec Sp. Sanctus absque illis potest adaequate concipi. Ergo mutua personarum immanentia earundem processionem consequitur. Huc spectant illa Scripturarum testimonia, quibus Pater in Filio, Filius in Patre, Sp. Sanctus in Deo esse dicitur [2].

428. **Attributorum communitas** (n. 242-245) — Distributio attributorum in *absoluta* et *relativa* dupliciter intelligi potest: — a) quatenus *absoluta* ea dicantur quae nullum terminum a Deo distinctum adsignificant, ut ex. gr. bonitas: *relativa* vero quæ ad terminum Deo extrinsecum referuntur, ut ex. gr. providentia (n. 341): — b) quatenus per attributa *absoluta* illae divinae perfectiones intelligantur quae nullam habent relationem oppositionis *ad intra* (solutae nempe

1. th. 14. — 2. Io. X. 30. 38. XIV. 9. 10. XVI. 21. 22. - 1. Cor. II. 11.

a relatione originis): *relativa* autem quæ huiusmodi relationem habent ut ex. gr. paternitas. Porro attributa *absoluta* in hac altera significatione communia esse tribus personis, sic breviter ostenditur. Pater, Filius et Sp. Sanctus non distinguuntur nisi relationibus originis ad invicem: unde illud Theologorum: « *Omnia in Deo sunt unum ubi non obviat relationum oppositio* ». Atqui attributa absoluta, quae sunt realiter ipsa essentia divina, nullam habent realem originem sive generationis, sive processionis neque ab essentia, neque a se invicem, ac propterea nulla inter ipsa obviat relationum oppositio. Ergo sicut essentia una est indistincta in tribus personis, sic quodvis attributum absolutum commune est tribus.

429. **Operationes ad extra** (n. 243-246) — Has quoque communes esse tribus personis, sic patet. Operatio *ad extra* non est aliud quam ipsa divina essentia sub formali ratione intellectus *absoluti* (h. e. non generantis Verbum) et voluntatis pariter *absolutae* (h. e. non ut spirantis Sp. Sanctum) cum connotatione termini extrinsecus efficiendi. Atqui essentia divina, sub quavis formali ratione *absoluta* spectetur, prorsus una est numero eademque in tribus personis: ergo et operatio — *Confirm.* Personae in Deo non distinguuntur nisi relationibus originis quae sunt *paternitas*, *filiatio* et *processio*. Atqui operatio *ad extra* non est *generatio* nec *nativitas* nec *spiratio:* ergo. Hinc videmus in Scripturis idem opus ex. gr. creationem nunc Patri, nunc Filio, nunc Sp. Sancto adscribi [1]. Quapropter illud apud Patres et Concilia axioma, in doctrina de Trinitate et de Incarnatione maximi momenti: *Operationes non sunt hypostaticae, sed naturales:* idest numerus et species operationum sequitur numerum et speciem naturarum: inde etiam illa formula: *Pater per Filium in Spiritu Sancto omnia operatur.*

430. **Appropriatio** (n. 247) — Nomine *appropriationis* intelligitur ille loquendi modus, quo quaedam perfectiones vel operationes, tribus personis communes, uni personae prae aliis tribuuntur, propter analogiam seu maiorem similitudinem illius attributi vel operationis cum charactere hypostatico illius personae. Sic e. g. Patri appropriatur *omnipotentia* et *creatio* — Filio *sapientia* et *rerum dispositio* — Spiritui Sancto *bonitas, caritas* omniaque *opera bonitatis et charitatis.*

431. **Personarum simplicitas** (n. 248) — Divinae personae — a) merito concipiuntur veluti ex duplici elemento constitutae, altero *communi* seu *absoluto* quod est essentia, altero *proprio* singulis seu *relativo* quod est *paternitas* in Patre, *filiatio* in Filio, *processio* in Sp. Sancto. At — b) nulla exinde sequitur *compositio.* Etenim esse divinum, quod est simplicissimum, habet in summa sua simplicitate

1. Luc. X. 21. - Hebr. I. 10. - Ps. 32.

duplicem rationem sc. *absoluti* qua unus est Deus, et *relativi* seu relativorum quibus est Pater generans, Filius genitus et Sp. Sanctus procedens. Patet ergo — c) inter rationem *absoluti* et *relativi* interesse distinctionem *virtualem*, longe tamen maiorem magisque necessariam, quam inter attributa absoluta. Nec — d) ulla est in Deo realis compositio propter personarum trinitatem. Ad compositionem enim non sufficit distinctio, sed requiruntur partes. Atqui personae divinae non sunt partes divinitatis, quam singulae totam possident: ergo.

432. **Quaeres** *utrum mysterium hoc in revelatione mosaica iam contineretur* (n. 249) — Respondemus — a) *pluralitatem* aliquam personarum adumbrari in verbis Gen. [1]: « *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* » — in *theophaniis* in quibus Deus verus exhibetur missus a Deo vero [2] — in vaticiniis messianis in quibus Messias promissus a Deo praedicatur et ipse Deus — in descriptionibus *sapientiae genitae* [3]. Quod vero — b) attinet ad numerum *ternarium* personarum, haec habet s. Ambrosius [4] de visione Isaiae [5] qui audivit Cherubim clamantes: « *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum* »: « *Trina* repetitio cur nisi quia Pater, Filius et « Sp. Sanctus sanctitate unum sunt? Non dixit *semel*, ne Filium se- « questraret; non *bis*, ne Sp. Sanctum praeteriret; non *quater*, ne « creaturas coniungeret. Et ut ostenderet Trinitatis *unam* esse dei- « tatem, cum *tertio* dixissit: *Sanctus, Sanctus, Sanctus:* addit singu- « lariter: *Dominus Deus Sabaoth* ».

CAPUT IV.

Scholastica augustissimi mysterii expolitio.

433. **Quæstio I.** *Utrum trinitas personarum per naturalem rationem cognosci possit?* (n. 250) — Respondet Angelicus [6]: « Homo « per rationem naturalem in cognitionem Dei pervenire non potest « nisi ex creaturis. Creaturae autem ducunt in Dei cognitionem, « sicut effectus in causam. Hoc igitur solum naturali ratione de Deo « cognosci potest, quod competere ei necesse est secundum quod est « omnium entium principium. Virtus autem creativa est communis « toti Trinitati: unde pertinet ad unitatem essentiae, non ad trini- « tatem personarum. Per rationem igitur naturalem cognosci possunt

1. Gen. I. 26. — 2. Gen. XVIII. XIX. — 3. Prov. VIII. 22. - Sap. VII. 25. - Eccli. XXIV. 5. — 4. De fide l. 2. c. 12. n. 107. — 5. Is. VI. 3. — 6. 1. p. q. 32. a. 1.

« de Deo ea quae pertinent ad unitatem essentiae, non autem ea « quae pertinent ad distinctionem personarum ».

434. **Quæstio II.** *Quo ergo spectent argumenta rationis a Doctoribus adducta?* (n. 251) — S. Thomas (l. c.) sibi obiicit (vid. 2): « Ad probandam trinitatem personarum aliqui induxerunt rationem « ex infinitate bonitatis divinae quae seipsam infinite communicat « in processione divinarum personarum [1]: quidam vero per hoc quod « nullius boni sine consortio potest esse iucunda possessio: Augu- « stinus [2] procedit ad manifestandam trinitatem personarum ex pro- « cessione verbi et amoris in mente nostra ». Ad quae respondet: « Ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio. Uno modo ad probandum « sufficienter aliquam radicem ..... Alio modo inducitur ratio non « quae sufficienter probet radicem, sed quae radici iam positae o- « stendat congruere consequentes effectus ..... *Primo* ergo modo in- « duci potest ratio ad probandum Deum esse unum et similia. Sed « *secundo* modo se habet ratio quae inducitur ad manifestationem « Trinitatis, quia scilicet, Trinitate posita, congruunt huiusmodi ra- « tiones: non tamen ita quod per has rationes sufficienter probetur « trinitas personarum ».

435. **Quæstio III.** *Utrum mysterium ss. Trinitatis pugnet cum principio identitatis* (n. 252) — Excipi solet: Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Atqui personae divinæ sunt unum idemque cum divina natura: ergo non sunt realiter distinctae — *Resp.* in forma: *dist. mai.* si sunt eadem *simpliciter* sc. tum *re* tum *ratione* conc. si sunt eadem *re* quidem, non autem *ratione,* subdist. in creatis *conc.* in divinis *iterum dist.* sunt eadem inter se sub ea ratione qua idem sunt cum uno tertio *conc.* sub omni ratione, *neg.* Nam licet in creatis nulla reperiatur substantia quae, manens *una,* sit pluribus communicabilis, ut aequivaleat pluribus re distinctis, revelatio tamen docet, essentiam divinam citra ullam multiplicationem tribus re distinctis posse esse communem.

436. **Quæstio IV.** *Quibusnam actibus Filius procedit a Patre — Sp. Sanctus a Patre Filioque?* (n. 253) — *Ad 1.um* Patrem *intelligendo* gignere Filium est sententia, teste Suarez [3], theologice *certa* ita ut opinio negans Durandi reiiciatur ut *temeraria.* Ea vero probatur ex Scripturis [4] in quibus Filius appellatur *Verbum* Patris et *Sapientia* a Deo genita. Atqui huius nominis ratio ex s. Greg. Naz. [5] est « quoniam sic se habet Filius ad Patrem, sicut ad intellectum verbum »: ergo — Quod si quaeritur de obiectis, ex quorum cognitione Verbum procedit, respondetur *formaliter* et *necessario* ipsum procedere per

1. quæ est argumentatio s. Bonaventuræ. — 2. De Trin. l. 10. cc. 11. 12. — 3. l. 1. c. 5. — 4. Io. I. 1. et 1. Io. V. 7. - Eccli. XXIV. 5. — 5. Or. 36.

cognitionem obiecti *necessarii* idest per cognitionem comprehensivam divinae essentiae, divinarum personarum ac creaturarum possibilium: *concomitanter* vero procedere quoque per cognitionem contingentium, quia Deus uno et simplicissimo intellectionis actu haec omnia intuetur — *Ad 2.um* Communis tenet Sp. Sanctum procedere per voluntatem h. e. processione amoris. Nam sicut Filius nominibus designatur quae relationem ad intellectum includunt, ita Sp. Sanctus iis insignitur quae ad voluntatem referuntur: haec autem sunt *amor, donum, Spiritus, Spiritus Sanctus,* quibus clare exprimitur eius ad voluntatem relatio. Hinc quoque adverti debet Sp. Sanctum *formaliter* et *necessario* procedere per dilectionem bonitatis increatae h. e. divinae essentiae, perfectionum et personarum: *concomitanter* vero etiam per dilectionem bonorum contingentium. « Sicut Pater dicit se et « omnem creaturam Verbo quod genuit, in quantum Verbum geni« tum sufficienter repraesentat Patrem et omnem creaturam; ita « diligit se et omnem creaturam Sp. Sancto, in quantum Sp. S. pro« cedit ut amor bonitatis primae, secundum quam Pater amat se et « omnem creaturam » [1].

437. **Quæstio V.** *In quo differt processio Verbi a processione Spiritus Sancti?* (n. 254) — Ex eo praesertim capite quod processio Verbi est *generatio,* minime vero processio Sp. Sancti: quod in hunc modum declaratur. Generatio communiter definitur: « origo viventis a vivente in similitudinem naturæ »: ex qua definitione constat quatuor notas ad conceptum generationis pertinere: — a) ut sit processio viventis a vivente — b) ut sit ex substantia generantis per insitum foecunditatis principium — c) ut generans et genitum sint eiusdem naturae — d) ut actus generativus *ex natura sua* tendat ad exprimendam in genito similitudinem substantialem generantis. Hinc completa generationis definitio est: origo viventis a vivente in similitudinem naturae *vi productionis formaliter.* Porro intellectus quidem *ex ipsa natura sui actus* intelligendo producit expressam similitudinem rei intellectae: at voluntas volendo ex natura sui actus non similitudinem rei amatae, sed inclinationem in rem amatam et complacentiam in illa producit. Ergo sola processio Filii utpote quae fit per intellectum est *generatio,* minime vero processio Sp. Sancti, quippe quae fit per voluntatem [2].

438. **Quæstio VI.** *Quo sensu divinae personae dicuntur relationibus seu originibus constitui?* (n. 255) — Clare haec explicavit Card. Bessarion in oratione habita ad Graecos suos in Conc. Flor. « Quia « in quibusque pluribus, in quibus est aliquid commune, est etiam

---

1. 1. p. q. 37. a. 2. ad 3. coll. q. 34. a. 1. ad 3. — 2. cfr. s. Th. q. 27. aa. 2. 4. et de pot. q. 2. a. 4. ad 7.

« aliquid distinctivum, in hac etiam divinarum personarum trinitate, « quae sibi in unitate essentiae conveniunt, quaerendum est illud « quod eas distinguit. Et cum id non sit essentia in qua summe « conveniunt, cumque in divinis praeter essentiam et relationes « (Patris ad Filium et vicissim, Patris et Filii ad Sp. Sanctum et « vicissim) atque diversum processionum modum, quem Latini *ori-* « *ginem* nominant, nil aliud intelligere sit, relinquitur ut vel origo « vel relatio vel utrumque divinas personas constituat. Cum vero « relatio et origo, etsi secundum modum intelligendi differant, si- « quidem origo significatur per modum *actus* (transeuntis) ut gene- « ratio, relatio vero per modum *formae* (permanentis et afficientis « essentiam) ut *paternitas*, re tamen non differunt: ideo utroque « quidem modo distinguuntur personae, prius tamen et principaliter « secundum modum intelligendi per relationes, per quas etiam con- « stituuntur divinae personae ».

439. **Quæstio VII.** *Quid significet nomen persona in divinis?* (n. 256) — In creatis persona, spectata in communi ratione *hypostasis*, est substantia *individua*, et constituitur *individua* non per relationem aliquam ad alia, sed per suam propriam *singularitatem — integritatem — totietatem in se* (n. 405): hinc illud: persona non dicitur *ad aliud* sed *ad se*. In divinis vero, ubi personae formaliter constituuntur per relationes, persona significat non *absolutum* h. e. individuum *per se* et non *per relationem*, sed *relativum* h. e. individuum *per relationem* [1].

440. **Quæstio VIII.** *Cur intellectus in solo Patre sit foecundus Verbi, itemque voluntas solummodo in Patre et Filio sit foecunda Sp. Sancti?* (n. 257) — Ratio petitur ex infinitate perfectionis tum in actu ipso dilectionis et intellectionis foecundae, tum etiam in termino immanente producto, in Verbo inquam et in Amore procedente. Et revera intellectus divinus (idem dicatur de voluntate) non multis sed uno simplici et infinito actu comprehendit essentiam divinam et in ea omne verum: hic autem unus infinitus actus comprehensivus exprimit ut terminum immanentem Verbum *adaequatum* ideoque infinitum *in formali ratione verbi*. Intellectus intelligens et fecundus Verbi est *Pater*, Verbum expressum est *Filius*. Ex his intelligitur tam repugnare ut plura sint Verba in Deo quam repugnat pluralitas deorum. Verbum enim eatenus multiplicari posset, quatenus vel posset multiplicari actus ille qui est fœcundus Verbi — vel posset idem actus esse bis, ter fœcundus ad aliud Verbum producendum. Atqui non *primum;* cum enim actus divinae intellectionis nil aliud sit quam divina essentia sub formali ratione intellectus intelligentis, tam re-

1. cfr. s. Th. I. p. q. 29. a. 4.

pugnat multiplicari actum quam essentiam ipsam multiplicari — Non *alterum;* cum enim Verbum *infinitum sit in formali ratione verbi*, ideirco tota virtus foecunda Verbi in productione *unius* Verbi expleta est. Ratio ergo suprema tandem haec est, quod duo infinita sicut in ratione suprema entis, ita in qualibet formali ratione repugnant [1]. Ex his distinguere coeperunt Theologi intelligere et velle *essentiale* seu *absolutum* quod est commune tribus, et intelligere *notionale* seu *relativum* quod proprium est uni Patri — item velle *notionale* commune Patri et Filio; non quasi duplex sit intelligere et velle, sed quia unum idemque intelligere et velle simul est *absolutum* et *relativum*. Intelligere *notionale* appellant *dicere:* hinc illud: Pater intelligendo *dicit* Verbum — velle *notionale* dicunt *spirare;* unde illud: Pater et Filius diligendo *spirant* Sp. Sanctum.

441. **Quaestio IX.** *Quot sint processiones et personæ divinæ — quot relationes — notiones — proprietates?* (n. 258-259) — *Ad 1um* respondet revelatio *duas* esse processiones et *tres* personas, cuius responsi Angelicus [2] hanc reddit rationem: « Processiones in divinis accipi non « possunt nisi secundum actiones quae in agente manent. Huiusmodi « autem actiones in natura intellectuali non sunt nisi duae sc. *intel-* « *ligere* et *velle*. Relinquitur ergo quod nulla alia processio possit « esse in Deo nisi *Verbi* et *Amoris* ».

Ad 2um Relatio divina *ad intra*, quae est relatio *originis*, definitur: *ordo seu respectus unius personae ad alteram*. Porro relationes divinæ *quatuor* numerantur nempe *paternitas*, *filiatio*, *spiratio activa* et *spiratio passiva*. Etenim duae sunt processiones: atqui singulis respondent duae relationes, producentis ad productum et vicissim: ergo quatuor erunt relationes. Ex his vero *tres* appellantur *hypostaticae* seu *constituentes* quia personas constituunt, et sunt *paternitas*, *filiatio* et *spiratio passiva*. Quaerenti vero cur relatio *spirationis activæ* novam personam non constituit, respondet s. Thomas [3]: « Relationes *oppo-* « *sitae* sunt personae, et sunt duae relationes. Sed relationes quae « sunt in eadem persona non oppositae, sunt quidem duae relationes « vel proprietates, sed non duae personae, imo una persona ».

Ad 3um *Notio* in divinis est nota quaedam peculiaris qua personae divinæ dignoscuntur et ab invicem secernuntur; unde vocatur quoque *proprietas*. Quinque autem recensentur: — a) *innascibilitas* quae est propria Patris quatenus Pater a nullo est principio — b) *paternitas* quae convenit Patri prouti *formaliter* refertur ad Filium — c) *filiatio* quae convenit Filio prouti *formaliter* ad Patrem refertur — d) *spiratio activa* communis Patri et Filio quatenus opponuntur Sp. San-

1. cfr. s. Th. c. g. l. 4. c. 13. — 2. 1. p. q. 27. a. 5. — 3. dist. 33. a. 2. ad 1. - cfr. *De pot.* q. 8. a. 3. ad 7.

cto — e) *spiratio passiva* seu *processio* quae convenit Sp. Sancto. In Deo ergo *una* natura — *duae* processiones — *tres* personae — *quatuor* relationes — *quinque* notiones seu *proprietates* [1].

442. **Quæstio X.** *Quid sit divinarum personarum missio?* (n. 260-261) — « In ratione missionis duo importantur sc. habitudo missi ad « mittentem et habitudo missi ad terminum ad quem mittitur. Per « hoc autem quod aliquis mittitur, ostenditur processio quaedam « missi a mittente, vel secundum imperium, sicut e. g. dominus « mittit servum — vel secundum consilium, ut si e. g. consiliarius « dicatur mittere regem ad bellandum — vel secundum originem, « ut si e. g. dicatur flos emitti ab arbore. Ostenditur etiam habitudo « ad terminum ad quem mittitur, ut aliquo modo ibi esse incipiat vel « quia prius ibi non erat, vel quia ibi incipit aliquo modo esse quo « prius non erat. Missio igitur divinae personae convenire potest « secundum quod importat ex una parte processionem originis a « mittente, et ex alia parte novum modum existendi in alio » [2]. Hinc missio recte definitur: « *processio unius personae ab altera adiunctum habens effectum aliquem temporalem* ».

Ex hac notione missionis patet — a) missionem, secundum habitudinem personae missae ad mittentem, esse *aeternam*, quia nihil est aliud quam processio unius personae ab altera — secundum vero habitudinem ad terminum, esse *temporalem*, quia novus modus existendi seu novus modus sese manifestandi per novam aliquam operationem fit in tempore [3]. Patet — b) nullam personam divinam mitti nisi ab ea, a qua aeternaliter procedit [4]. Tamen — c) effectus temporalis, quem adiunctum habet missio, non est *solius personæ missæ*, sed totius Trinitatis, cum sit opus *ad extra* quod tamen *appropriatur* personae missae.

443. Duplex vero distinguitur missio sc. *invisibilis*, quæ sine specie visibili fit in effectu aliquo spirituali in sola anima — *visibilis* quae fit in specie sensibili sicut fuit missio Christi in carne assumpta (missio *substantialis*) et Sp. Sancti in specie columbae super Christum et in linguis tamquam ignis super Apostolos (missio *symbolica* seu *repraesentativa*). Porro — a) missio *invisibilis* fit semper *secundum donum gratiae gratum facientis*, et locum habet tum in *prima*, tum in *secunda* iustificatione [5]: « quando aliquis proficit in aliquem novum « actum vel novum statum gratiae, ut puta cum aliquis ex fervore « charitatis exponit se martyrio vel abrenuntiat iis quae possidet, « aut quodcumque opus arduum aggreditur » [6] — b) Missio *visibilis* ordinem habet ad missionem invisibilem per sanctificationem, qua-

1. cfr. s. Th. 1. p. q. 32. a. 3. — 2. s. Th. 1. p. q. 43. a. 1. — 3. a. 2. ad 3. 4. a. 4. 8. — 5. cfr. s. Th. a. 3. — 6. a. 6. ad. 2.

tenus effectus visibilis, quem Deus operatur in missione visibili, est signum manifestativum vel effectus invisibilis animam sanctificantis, vel alicuius potestatis aut officii ad hominum sanctificationem ordinati. Et sic « facta est missio visibilis Sp. S. ad Christum sub specie « columbae, quod est animal foecundum, ad ostendendam in Christo « auctoritatem donandi gratiam per spiritualem regenerationem... In « transfiguratione sub specie nubis lucidae ad ostendendam exube- « rantiam doctrinae, unde dictum est: *Ipsum audite.* Ad apostolos « autem sub specie flatus ad ostendendam potestatem ministerii in « dispensatione sacramentorum, unde dictum est eis: *Quorum remi-* « *seritis peccata remittuntur eis.* Sed sub linguis igneis ad osten- « dendum officium doctrinae, unde dicitur: *cœperunt loqui variis* « *linguis* [1] » — « Item personam Filii declarari oportuit ut sanctifi- « cationis auctorem: et ideo oportuit quod missio visibilis Filii fieret « secundum naturam rationalem, cuius est agere (sanctificare) et « cui potest competere sanctificari » [2].

444. **Quaestio XI.** *Quae sint nomina maxime propria divinarum personarum?* (n. 262) — Prima persona dicitur *pater* — *ingenitus* h. e. non procedens — *principium fontale divinitatis* — Secunda dicitur *filius* — *verbum* — *imago* — Tertia dicitur *spiritus sanctus* quia est persona *spirita* per voluntatem, in qua est sanctitas — *donum* — *amor* — *paraclitus* seu *consolator*, quia consolatur nos per dona gratiae quibus nos cumulat [3].

445. **Quaestio XII.** *Utrum in homine sit imago Trinitatis?* (n. 263). Respondet s. Petrus Dam. [4]: « Homo non ad unius personae, sed ad « totius Trinitatis est creatus imaginem. Unde non legitur: *faciam* « *ad imaginem meam*, sed *faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem* « *nostram* ». Haec autem imago est in anima nostra — a) *habitualiter* quidem *secundum potentias* ut explicat s. Ambrosius [5]: « Sicut ex « Patre generatur Filius et ex Patre Filioque procedit Sp. Sanctus: « sic ex intellectu generatur voluntas et ex his ambobus procedit « memoria. Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Sp. Sanctus, non « tamen tres Dii, sed unus Deus tres habens personas; ita et anima « intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ, « sed una anima tres habens dignitates. Atque in his tribus Dei « imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo ». Hæc imago — b) fit *actualis* magisque perfecta quum intelligendo et amando formamus verbum et ex hoc in amorem prorumpimus [6], magisque perficitur, quum cogitamus et amamus vel nosmetipsos in

1. a. 7. ad 6. — 2. a. 7. ad 4. — 3. cfr. s. Th. 1. p. qq. 33-38. — 4. De fid. cath. opusc. I. c. 1. — 5. De dign. cond. hum. c. 2. — 6. cfr. s. Th. q. 93. a. 7.

ordine ad Deum [1], vel Deum ipsum in ordine naturali vel supernaturali sive in via, sive in patria [2]. « Agnosce ergo, o christiane, « dignitatem tuam et divinæ consors factus naturæ noli in veterem « vilitatem degeneri conversatione redire » [3].

1. ib. a. 8. — 2. ib. a. 4. — 3. s. Leo M. Serm. 1. *De. Nat. Dom.*

TRACTATUS V.

De Deo creante et elevante

446. **Prologus** (n. 264) — Iam ad Dei *opera ad extra* convertimur et primum ad *creationem*, quæ est omnium operum initium et fundamentum. Agemus — a) de creatione *generatim* — b) speciatim de *angelis* — c) de *homine* — d) de primi hominis *elevatione* — e) de eius lapsu.

CAPUT I.

De creatione generatim.

ARTICULUS I.

Creationis conceptus et natura.

447. **Definitio** (n. 266) — Creatio communiter definitur: « *productio rei ex nihilo* » [1]. Quae definitio sic dilucidatur — a) Duplex *nihilum* distinguitur sc. nihilum *sui* et *subiecti*. Si materia unde res fit, existit ac nova tantum inducitur forma, res dicitur fieri ex nihilo *sui* tantum: si vero ipsa quoque materia producitur, res dicitur fieri ex nihilo *sui* et *subiecti*. Porro creatio est productio rei ex nihilo *sui* et *subiecti* seu productio rei nullo praesupposito. Hinc *res* quæ produci dicitur, intelligitur *tota realitas* effectus. Scite autem advertit Aquinas [1] creari esse proprium *subsistentium* idest *substantiarum*. « Creari enim est quoddam fieri; fieri autem ordinatur ad « esse rei. Unde illis proprie convenit fieri et creari quibus convenit « esse, quod quidem proprie convenit subsistentibus, sive sint simplicia « sive composita. Formae autem (non subsistentes) et accidentia non

1. cfr. Conc. Vat. Const. *Dei Filius* cp. 1. cn. 5. - s. Th. 1. p. q. 65. a. 3. - q. 45. a. 1.

« dicuntur *entia* quasi ipsa sint, sed quia eis aliquid est, ut albedo « ea ratione dicitur ens quia ei subiectum est (corpus) album. Unde « accidens magis proprie dicitur *entis* (ens entis) quam ens. Sicut « igitur accidentia et formae magis sunt coëxistentia quam entia, « ita magis debent dici concreata quam creata, proprie vero creata « sunt subsistentia ».

448. **Creatio active** (n. 267) — Ut intimius in actionis creativae indolem inquiramus, eam dupliciter spectamus sc. *active* seu ex parte Dei, et *passive* seu ex parte creaturae. Porro — a) « creatio active « significata significat actionem divinam, quae est Dei essentia cum « relatione ad creaturam. Sed relatio in Deo ad creaturam non est « *realis* sed secundum rationem tantum » [2]; non enim aliquid reale Deo advenit ex productione creaturarum. Actio haec divina — b) est *formaliter immanens* et *virtualiter transiens:* « formaliter quidem est « immanens, quatenus in sua entitate inspecta est aliquid intra Deum: « est enim ipsa Dei voluntas, quae cum eius essentia identificatur: « virtualiter autem transiens, quatenus infinita sua perfectione vir- « tutem habet ut ex ipsa non mutata creaturae procedant extra « Deum » [3]. Nec praetereundum — c) virtutem creativam ita esse Dei propriam ut creaturae communicari nequeat, ne ut causæ quidem instrumentaliter agenti. « Causa enim secunda instrumentalis non « participat actionem causae superioris nisi in quantum per aliquid « sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis. « Sic enim videmus quod securis scindendo lignum, quod habet ex « proprietate suae formae, producit scamni formam, quae est effectus « proprius principalis agentis. Illud autem quod est proprius effectus « Dei creantis est illud quod praesupponitur omnibus aliis sc. *esse* « *absolute*. Unde non potest aliquid aliud operari dispositive et in- « strumentaliter ad hunc effectum, cum creatio non sit ex aliquo « praesupposito quod possit disponi per actionem instrumentalis a- « gentis. Sic igitur impossibile est quod alicui creaturae conveniat « creare neque virtute propria, neque instrumentaliter » [4].

449. **Creatio passive** (n. 268) — Creatio — a) *passive* accepta est in « creatura » [5] sc. « creatio in creatura non est nisi relatio quaedam « ad creatorem ut ad principium sui esse » [6]. Huiusmodi relatio — b) in creatura est *realis*, et est ipsum esse creaturae a Creatore acceptum ideoque est relatio *transcendentalis*. « Neque tamen — c) oportet quod « quamdiu creatura sit, dicatur creari; quia creatio importat habitu- « dinem creaturæ ad Creatorem *cum quadam novitate seu inceptione* » [7].

---

1. 1. p. q. 45. a. 4. cfr. a. 1. ad 3. — 2. a. 3. ad 1. — 3. Card. Mazzella *De Deo creante d.* 1. *a.* 2. — 4. s. Th. 1. p. 45. a. 5. — 5. s. Th. q. c. a. 3. ad 2. — 6. ibid. *corp.* — 7. s. Th. a. 3. ad 3.

Denique — d) « creatio *non est mutatio* nisi secundum modum intel-
« ligendi tantum. Nam de ratione mutationis est quod aliquid idem
« se habeat aliter nunc et prius ..... Sed in creatione, per quam
« producitur tota substantia rei, non potest accipi aliquid idem aliter
« se habens nunc et prius, nisi secundum intellectum tantum; sicut
« si intelligatur aliqua res prius non fuisse totaliter et postea esse » [1].

450. **Falsæ notiones** (n. 269) — Praeposterae creationis notiones ad duas praesertim revocantur — *Prima* continetur in prop. 7. quam (simul cum sex aliis) tuto tradi non posse declaravit S. U. I. C. 18. sept. 1861. « Creatio sic explicari potest: Deus ipso actu speciali, quo « se intelligit et vult tamquam distinctum a determinata creatura, « homine v. g., creaturam producit » — *Alteram* non *absimilem* tradidit Rosminius, cuius damnata doctrina in praesenti materia ad hæc reducitur — a) « Entia finita, quibus componitur mundus, resultant « ex duobus elementis idest ex termino reali finito et ex esse initiali, « quod eidem termino tribuit formam entis » (prop. 8.). Scilicet esse *initiale* rosminianum est esse indeterminatum, quod praescindit a creaturis et a Deo (prop. 6. 7.) quodque nulla limitatione affectum, est Deus ipse, hac vel illa limitatione seu *termino* affectum, creaturas constituit (prop. 12). Idcirco entia finita resultare dicuntur a Rosminio ex duplici elemento, altero *positivo* quod est esse initiale et a quo res habet ut sit *ens:* altero *negativo* quod est limitatio seu terminus et a quo res habet ut sit ens *finitum* (prop. 11.). Porro — b) sic Deus operatur *ad extra:* per *abstractionem* concipit esse initiale abstrahendo a *formis* seu limitationibus — per *imaginationem* concipit diversas formas *addendas* esse initiali (prop. 14) — per *synthesim* unit duo elementa idest esse initiale et terminum seu formam, atque ita producit ens finitum (prop. 16.). Ergo iuxta Rosminium creatio non est *productio ex nihilo,* sed limitatio esse initialis praeexistentis, est unio esse initialis cum termino seu limitatione. « Id unum efficit Deus « creando, quod totum actum creaturarum integre ponit: hic igitur « actus (idest esse rerum creaturarum) proprie non est *factus* (seu « non est productus, non creatus), sed *positus* » per solam limitationem quae additur esse initiali (prop. 17.). Et quia esse hoc *initiale* in doctrina Rosminii est initium Dei et Deus ipse quatenus sine limitibus concipitur, initium creaturarum et creaturae ipsae quatenus componitur cum terminis: idcirco nemo non videt conceptum rosminianum creationis esse pantheisticum.

---

1. a. 2. ad 2.

ARTICULUS II.

De causis creationis mundi.

451. **Prologus** (n. 270) — Quadruplex causa generatim distinguitur sc. *efficiens, finalis, materialis* et *formalis* — quae postrema est duplex et sc. *intrinseca* seu *forma substantialis,* et *extrinseca* seu idea in mente operantis, quae dicitur causa *exemplaris.* Porro evidens est hic quaeri non posse de causa *materiali* nec *formali intrinseca* creationis, sed solummodo de causa *efficienti, finali* et *exemplari* mundi quaeritur.

452. **Causa efficiens** (n. 271-272) — Quoad causam *efficientem* quatuor praecipui errores viguerunt et vigent: *materialismus* statuit mundum esse improductum — *emanatismus* ponit res finitas e divina substantia emanare vel Deum a ceteris non distingui nisi ut rem a suis modificationibus — *gnosticismus* ponit mundum fuisse factum ab Æonibus, quo nomine gnostici genitos a Deo angelos intellexisse videntur — *dualismus* ponit mundum fuisse a duobus principiis conditum. His adnumerari debent sociniani et arminiani qui contendunt creationem ex nihilo vel nullatenus, vel ita obscure in Scriptura contineri, ut inter liberas opiniones amandanda sit. At contra definivit Conc. Vat. [1]: « Si quis non confitetur mundum resque omnes, quae « in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam « substantiam a Deo ex nihilo esse productas A. S. »

453. **Causa finalis** (n. 273) — De causa vero *finali* mundi docet idem Concilium [2]: « Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad « augendam suam beatitudinem nec ad acquirendam, sed ad mani- « festandam perfectionem suam per bona quae creaturis impertitur, « simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam ». « Si quis mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit A. S. » Ex quibus patet — a) finem creationis esse divinae bonitatis communicationem, quae, prouti divinas perfectiones manifestat, dicitur *gloria* Dei. Gloria enim Dei duplex distinguitur sc. *intrinseca* et *extrinseca,* quae utraque subdividitur in *obiectivam* et *formalem.* Gloria intrinseca *obiectiva* est ipsa excellentia Divinitatis, *formalis* est cognitio, amor et gaudium Dei de seipso. Gloria extrinseca *obiectiva* consistit in eadem Dei excellentia manifestata per creaturarum pulchritudinem, *formalis* sita est in eiusdem divinae excellentiae cognitione et amore, quem habet rationalis creatura. Haec inchoatur in via et perficitur in patria, et haec proprie est *ultimus* creationis

1. Const. *Dei Filius* cp. 1. cn. 5. coll. cann. 3. 4. — 2. l. c. cn. 5.

finis — b) Eadem divinae bonitatis communicatio est *bonum* seu felicitas creaturae rationalis ac propterea est finis *proximus* creationis. Quare excludimus nonnullorum positionem qui cum Moshemio [1], Hermesio [2] et Hegel assignant felicitatem hominis tamquam *unicum* vel *primarium* creationis finem.

454. **Causa exemplaris** (n. 274) — Haec non potest esse nisi Deus ipse ut probabimus, quod nunc sic declaratur — a) Divina essentia, realiter una sed virtualiter multiplex, est indefinite *imitabilis ad extra*. Porro — b) varii gradus imitabilitatis divinae essentiae, ab intellectu divino apprehensi, sunt *ideae divinae, ideae archetypae, exemplaria aeterna, aeternae rationes* secundum quas Deus operatur *ad extra* [3]. Hinc — c) idea in Deo dici potest *una* et *multiplex* — una quidem *realiter*, multiplex vero *virtualiter* [4]. Sic ergo Deus dicitur causa *exemplaris* mundi, quatenus ideae seu exemplaria, ad quorum imitationem res conditae sunt, in divina essentia inveniuntur — Hisce declaratis sint sequentes conclusiones.

455. **Conclusio I.** « *Mundus est a Deo per creationem* » (n. 275-277) — Haec conclusio est de *fide catholica*, et ceteris omissis, sic ostenditur ex Scripturis [5]: « *In principio creavit Deus cœlum et terram. Terra autem erat inanis et vacua et Spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus: fiat lux: et facta est lux etc....* ». Porro quamvis verbum *creare* (hebraice *barà*) neque *ex se*, neque *ex usu biblico* vim habeat significandi *exclusive* productionem *ex nihilo*, tamen contendimus illud hoc in loco talem significationem habere. Id patet — a) *ex nulla a Moyse memorata materia ex qua* cœlum et terra facta sint. Item — b) *ex serie orationis:* verbum enim *creavit* vel significat creationem *primam* h. e. primam rerum productionem ex nihilo, vel *secundam* i. e. materiae iam existentis conformationem. Atqui non *alterum*, tum quia hac in hypothesi sensus esset absurdus, nempe sensus esset Deum formasse terram inanem et vacuam idest *informem;* tum quia de rerum formatione sermo est in versibus sequentibus idque in oppositione ad versum primum: ergo. Item — c) *ex amplitudine termini productionis*. Moyses enim enarrat, Deum creasse *coelum et terram*. Atqui hac phrasi tam in usu profano quam biblico rerum omnium universitas praeter Deum significatur [6]: ergo omnia quae extra Deum existunt sunt a Deo producta. Atqui, suppositâ materiâ infectâ ex qua Deus cetera fecerit, falsum est Deum produxisse omnia: ergo. Item — d) *ex sensu hebraeorum* quem luculenter expressit mater Machabaeorum hortans filium suum natu

1. Theol. dogm. p. 1. s. 2. c. 1. — 2. Introd. philos. — 3. 1. p. q. 15. a. 2. — 4. ib. ad 1. 5. Gen. I. 1. sqq. — 6. Ex. XXXI. 17. - Is. XLVI. 1. - Ier. XXIII. 33. - Mauh. V. 18. XXVIII. 18.

minimum ad sustinenda tormenta tyranni [1]: « *Peto, nate, ut aspicias ad coelum et ad terram et ad omnia quae in eis sunt, et intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus et hominum genus* ».

456. **Quæres** *quid de praesenti materia doceat ratio* (n. 278) — Ita concinne respondet Hurter [2]: « Distinctione facta inter quaestionem « *iuris* et *facti*, respondemus — a) quod quaestionem *iuris* attinet, « hanc veritatem non solum posse rationis lumine, revelatione sup- « posita, *demonstrari*, sed etiam absque revelatione cognosci seu « inveniri .... Etenim — α) rationis lumine inveniri potest illa veritas, « quae sponte sua fluit ex principiis haud imperviis. Atqui principia « ex quibus creationis veritas fluit, rationi non sunt impervia: talia « quippe sunt: Materia, utpote contingens et finita, esse nequit a « se et necessaria, proinde nec aeterna — Deus quia ens a se et « infinitae perfectionis est, nequit esse in operando ab alio depen- « dens — pantheismus repugnat. Ex his autem sequitur materiam « esse factam, Deum in operando materia præexistenti non indiguisse. « Negata praeterea — β) creatione ex nihilo, logica consequentia nil « aliud reliquum est quam vel *atheismus* vel *dualismus* vel *pantheis- « smus*, quae sequelae sanae rationi arridere nequeunt. Recta enim « ratio exigit ultimam quamdam omnium rerum rationem sufficientem « ideoque atheismum vehementer aversatur — exigit monarchiam, ut « sc. omnia *ad unum* denique revocentur, a quo eadem pendeant: « hinc respuit dualismum qui velut schisma inducit inter ordinem « ontologicum et logicum — exigit ut entia per participationem seu « de quorum essentia non est existentia, revocentur ad ens *per se* et « *necessarium:* hinc respuit pantheismum. Quod si — b) ad quae- « stionem *facti* accedimus, candide fatemur nullum e veteribus phi- « losophis creationem *ex nihilo* agnovisse ».

457. **Conclusio II.** « *Deus est quoque causa exemplaris mundi* » (n. 279-281). — Ita ad rem argumentatur Angelicus [3]: « Deus est prima « causa exemplaris omnium rerum. Ad cuius evidentiam conside- « randum est, quod ad productionem alicuius rei ideo necessarium « est exemplar, ut effectus determinatam formam consequatur. Ar- « tifex enim producit determinatam formam in materia propter exem- « plar ad quod inspicit, sive illud sit exemplar ad quod *extra* intuetur, « sive sit exemplar *interius* mente conceptum. Manifestum est autem « quod ea, quae naturaliter fiunt, determinatas formas consequuntur. « Haec autem formarum determinatio oportet quod reducatur, sicut « in primum principium, in divinam sapientiam quae ordinem uni- « versi excogitavit, qui in rerum distinctione consistit. Et ideo oportet

1. 2. Machab. VII. 28. — 2. Theol. dogm. tom. 2. th. 119. schol. 2. — 3. p. q. 44. a. 3.

« dicere quod in divina sapientia sint rationes omnium rerum, quas « supra diximus ideas (q. 15. a. 1.) idest formas exemplares in mente « divina existentes. Quae quidem, licet multiplicentur secundum re- « spectum ad res, tamen non sunt realiter aliud a divina essentia, « prout eius similitudo a diversis participari potest diversimode. Sic « igitur ipse Deus est primum exemplar omnium ». Quam doctrinam iam pulchre tradiderat s. Augustinus, ostendens creaturas aliquo modo *de vita Dei* participare : « Faber facit arcam : primo in arte « habet arcam. Sed arca sic est in arte ut non ipsa arca sit, quae « videtur oculis. In arte invisibiliter, in opere visibiliter. Attendite « ergo arcam in arte et arcam in opere. Arca in opere non est vita, « arca in arte vita est, quia vivit anima artificis unde sunt ista « omnia antequam proferantur. Sic ergo quia sapientia Dei, per « quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam « fabricet omnia, hinc quae fiunt per ipsam artem, non continuo vita « sunt, sed quidquid factum est, vita in illo est. Terram vides, est in « arte terra. Cœlum vides, est in arte cœlum: solem et lunam vides, « sunt et ista in arte. Sed foris corpora sunt, in arte *vita* sunt » [1].

458. **Conclusio III.** « *Finis proximus creationis est bonum creaturae rationalis* » (n. 282-283) — Conclusio haec est *de fide catholica* et sic ostenditur. Triplex est hominis utilitas pro triplici eius vita sc. *animali, rationali* et *supernaturali*. Atqui — a) mundus cedit in hominis utilitatem *animalem*, uti per se patet: quod disserte significatur Gen. [2]: « *Et ait: crescite et multiplicamini et replete terram et subiicite eam et dominamini piscibus maris et volatilibus cœli et universis animantibus quae moventur super terram. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam* ». Cedit — b) in hominis utilitatem seu institutionem *rationalem* tum intellectualem, tum ethicam, tum religiosam. Cum enim mundus sit *signum* seu *speculum divinorum* [3], idcirco et homines ex rerum consideratione innumeras hauriunt cognitiones, quibus scientiæ ipsorum suppelex ampliatur, et mundus ipse iugiter homines provocat ad Dei cultum, dilectionem, timorem atque gratiarum actionem. Unde s. Augustinus [4]: « Cœlum et terra et omnia quae in « eis sunt, ecce undique mihi dicunt ut te amem : nec cessant di- « cere omnibus ut sint inexcusabiles ». Cedit — c) in hominis utilitatem *supernaturalem*. Cum enim homo destinatus sit ad finem *supernaturalem*, ipse quoque naturalis ordo in hunc finem dirigitur hominique prodesse poterit ad illum assequendum iuxta illud Rom. [5]:

1. in Io. tract. 1. n. 17. - cfr. s. Th. 1. p. q. 18. a. 4. — 2. Gen. I. 28. — 3. Rom. I. 20. Ps. 18. — 4. Confess. l. 10. c. 6. — 5. Rom. VIII. 28.

« *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* ». Concludendum igitur cum Petro Lombardo [1]: « Sicut factus est homo *propter Deum* « i. e. ut ei serviret, ita mundus factus est *propter hominem* sc. ut « ei serviret. Positus est ergo homo in medio, ut et ei serviretur et « ipse serviret ».

459. **Conclusio IV.** « *Finis ultimus creationis est gloria Dei extrinseca* » — Conclusio est *de fide catholica* (n. 284-286) — Deus enim nonnisi ordinatissimo amore res prosequi potest: atqui rectus ordo postulat, ut bona inferiora præstantioribus subordinentur: ergo omnia ad seipsum ordinare debet. Atqui nequit omnia ad seipsum aliter ordinare, quam ad suam extrinsecam gloriam ea dirigendo: hinc legitur [2]: « *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum* »: ergo — Hic autem duo advertas: *primum* est creaturas quoque *irrationales* ad Dei gloriam concurrere, tum quia et ipsæ sunt speculum divinarum perfectionum iuxta illud [3]: « *Cœli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annunciat firmamentum* »: tum quia homo per eas Deum glorificat triplici modo, nempe *usu, abstinentia* ac praecipue *contemplatione*. Quare perbelle Augustinus [4]: « Omnium pulchritudo quodam modo vox eorum est confitentium « Deum. Clamat cœlum Deo: Tu me fecisti, non ego. Clamat terra: « Tu me condidisti, non ego. Quomodo clamant ista? Quando consi- « derantur et hoc invenitur: ex consideratione tua clamant, ex voce « tua clamant » — *Alterum* est, felicitatem creaturae rationalis cum gloria Dei intime cohaerere. Audiantur aurea verba Lessii [5]: « Summa « Dei gloria externa est ipsum a nobis perfecte cognosci, amari et « gustari.... Summum bonum nostrum est Deum videre, amare et « gustare. Itaque in Dei gloria formaliter et intrinsece includitur « summum bonum nostrum.... Unde non minus Deo gratias agere « debemus quod quaerat gloriam suam, quam quod quaerat salutem « nostram. Quod in hymno angelico insinuat Ecclesia cum ait: *Gra- « tias agimus tibi propter magnam gloriam tuam;* beneficia enim « ipsius in nos sua gloria sunt ».

460. *Obiectio* (n. 287) — *Si ultimus finis est gloria Dei, sequitur esse in Deo vitium philautiae et inanis gloriae.* Ita Hermesius.

Resp. — *neg. seq. maioris.* Tunc enim — a) reprehensione dignum est ad suam gloriam operari quum vel quaeritur honor *indebitus* — vel honor debitus *modo indebito,* ita ut in Deum tandem non referatur — vel si *vane* in illo delectamur, non eum propter eius honestatem exigendo. Atqui haec in Deo sanctissimo ac supremo Domino evenire nequeunt: ergo [6]. Nec propterea — b) amor Dei in creaturas est

1. l. 2. dist. 1. n. 8. — 2. Prov. XVI. 4. — 3. Ps. 18. — 4. in Ps. 148. n. 15. — 5. De perf. div. l. 14. c. 3. n. 60. — 6. cfr. s. Th. 2. 2. q. 132. a. 1.

minus purus. Nam, quatenus amor *concupiscentiae*, est amor *ordinatus*: praeterea est amor *benevolentiae*, quia Deus creaturas diligendo, ipsis suam bonitatem communicat et conservat; hoc enim interest inter amorem humanum et divinum, quod amor humanus supponit obiectum bonum, divinus vero non supponit sed facit [1].

ARTICULUS III.

De modo quo mundi creatio effecta est.

461. **Prologus** (n. 288) — *Modus* quo mundi creatio effecta est, dupliciter considerari potest sc. ex parte *Dei* et ex parte mundi. Ex parte Dei quaeritur an Deus in creando *liber* fuerit et *qua* libertate — ex parte mundi quaeritur *quo ordine* mundus perfectus fuerit.

462. **Deus in creando liber** (n. 289-290) — Quaerimus imprimis an Deus liber fuerit in creando libertate *contradictionis* seu *exercitii*. Libertatem huiusmodi negarunt imprimis Abaelardus et Wicleffus; quem errorem renovarunt nostris diebus Hermes et Günther necnon Rosminius, cuius damnata est sequens prop. 18.: « Amor, quo Deus « se diligit etiam in creaturis et qui est ratio qua se determinat ad « creandum, moralem necessitatem constituit, quae in ente perfectis- « simo semper inducit effectum: huiusmodi enim necessitatem tan- « tummodo in pluribus entibus imperfectis integram relinquit liber- « tatem bilateralem ». At omnimodam libertatem creationis definivit Conc. Vatic. [2]: « Si quis ..... Deum dixerit non voluntate ab omni « necessitate libera, sed tam necessario creasse quam necessario amat « seipsum A. S. ». Et revera — a) Scriptura nonnisi in liberam Dei voluntatem rerum existentiam refundit: « *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit in coelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis* » — « *Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suae* » — « *Tu creasti omnia et propter voluntatem tuam erant et facta sunt* ». Suffragatur — b) ratio: nam necessitas creandi peti nequit *ab extrinseco*, cum Deus sit sibi plenissime sufficiens — neque *ab extrinseco* quia quidquid extra Deum existit, est contingens.

At praeterea fuitne Deus liber libertate quoque *specificationis?* Id negavit Leibnitius qui censuit Deum nonnisi mundum *optimum* potuisse creare — Verum distinctione facta inter optimismum *absolutum* et *relativum*, sequentia advertimus: — a) optimismus *absolutus*, quo nempe defenditur praesentem mundum *in se* et *ontologice* inspectum esse *optimum*, adversatur imprimis *infinitae Dei imitabilitati*, infinitae *potentiae* ac infinitae Dei *sapientiae*. Praeterea systema hoc nititur

1. s. Th. 1. 2. q. 110. a. 1. — 2. Const. *Dei Filius* cp. 1. cn. 5.

principio quod Deus teneatur *ad melius;* quo semel admisso sequeretur Deum in creando non fuisse liberum ne libertate quidem contradictionis, quod *haereticum* est. Potest vero — b) admitti optimismus *relativus,* quod nihil aliud sibi vult quam mundum praesentem eâ partium harmoniâ eoque ordine constare, ut optimum sit medium ad attingendum illum gradum gloriæ, quem Deus obtinere intendit. In quem sensum scribit Angelicus [1]: « Universum, suppositis istis rebus, non « potest esse melius propter decentissimum ordinem his rebus attri- « butum a Deo, in quo bonum universi consistit; quorum si unum « aliquod esset melius, corrumperetur proportio ordinis; sicut si una « chorda plus debito intenderetur, corrumperetur citharae melodia ».

463. **Ordo creationis** (291-292) — Divina revelatio non modo *factum* creationis proponit, sed etiam *ordinem* quo mundi opificium perfectum est, per mosaicam cosmogoniam, quae 1. et 2. cp. Geneseos habetur. At cosmogoniae mosaicae explicationes diversae efferuntur, et praesertim sunt *quatuor* quas pro ratione compendii innuisse sufficiat — *Prima* est interpretatio *allegorica* s. Augustini qui [2] docet omnia creata fuisse uno temporis instanti iuxta illud Eccli. [3]: « *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul* »: fieri tamen narrationem successivam a Moyse, ut infirmiores hominum mentes facilius ipsis quasi oculis cernant. Dierum autem distinctionem petit Augustinus ex angelorum cognitione *matutina* et *vespertina;* sc. angelorum mens, quæ *lucis* nomine significatur, rem *prius* creandam contemplatur in Verbo; quae cognitio per *mane* significatur; *postea* rem creatam in seipsa cognoscit, quae cognitio per *vespere* innuitur — *Secunda* est interpretatio *litteralis antiqua,* Patribus et Theologis usque ad saec. XVIII. communis. Haec docet dies genesiacos intelligendos esse *naturales* sc. spatia 24. horarum, quos a quarto die per solis ortum et occasum, antea vero per aliquam lucis et tenebrarum vicissitudinem explicat. *Tertia* est interpretatio *litteralis recentior et communior,* pluribus probata, quae, observationibus geologicis innixa, statuit dies genesiacos esse totidem periodos temporis indefinitas, in quibus Deus iuxta ordinem a Moyse traditum successive vires in materia positas ad suæ perfectionis statum deducebat per earundem virium naturalem evolutionem — *Quarta* est *litteralis recentior* at *minus communis,* quasi media inter secundam et tertiam, quae dies creationis *ordinarios* intelligit, sed inter primitivam coeli et terrae creationem (v. 1.) et diem primum quo facta est lux (v. 2.), indeterminatum temporis intervallum ponit, in quo evolutiones illae pugnaeque omnes elementorum acciderunt, quas geologicae observationes testantur.

---

1. p. q. 25. a. 6. ad 3. — 2. *De gen. ad litt.* l. 4. c. 33. - l. 1. c. 3. - l. 7. - *De Civ. Dei* l. 11. c. 29. — 3. Eccli. XVIII. 1.

Porro *prima* communiter reiicitur tamquam improbabilis, cum nullum habere videatur in Scripturis fundamentum. Illud enim *omnia simul* iuxta textum graecum significat *ad unum omnia, sine exceptione* — *Secunda* adhuc nostris diebus a pluribus iisque eruditis viris defenditur, ut sunt Keil, Veith, Sorignet, P. Laurentius Capue, Iungman, Bosizio, Knoll, Gatti. Ipsi sic ratiocinantur: est principium indubium hermeneuticae, sensum literalem non esse deserendum nisi graves urgeant rationes. Atqui observationes geologicae hucusque factae *nondum cogunt* ad sensum literalem relinquendum: ergo. Ad illas vero observationes, quae petuntur ex nostri globi structura, ex fossilibus animalium, ex exuviis plantarum aliisque factis, quae aetatem mundi materialis longe vetustiorem supponere videntur, respondent sufficere ad haec omnia explicanda vel diluvii universalis catastrophem, vel divinam omnipotentiam quae uno temporis momento efficere valet id, ad quod naturales vires nonnisi post saecula pervenire possunt — *Tertia* dici nequit Scripturae contraria, cum vox *dies* in usu biblico non habeat constantem significationem, et pluries usurpetur ad indeterminatam temporis periodum significandam [1]. Est omnino libera inter catholicos et etiam *probabilis*, quippe quae a non paucis viris bene de Ecclesia et de scientia meritis defenditur — *Quartam* sententiam defendunt plures non modo e protestantibus, verum etiam e Catholicis, quos inter Schlegel, Car. Maria Mayrhofer, Vestermayer.

CAPUT II.

De angelica creatura.

ARTICULUS I.

De angelorum existentia et natura.

464. **Natura quaestionis** (n. 294-296) — *Angelus* iuxta *vim vocis* idem est ac *nuntius*, vi autem significationis usu tam biblico quam ecclesiastico intelligitur *substantia spiritualis, creata et completa*. Porro *primo* quaeritur utrum reapse angeli *existant*. Angelorum existentiam negavere veteres quidam philosophi « qui ignorantes vim intelligendi « et non distinguentes inter sensum et intellectum, nihil esse existi- « maverunt in mundo nisi quod sensu et imaginatione apprehendi

1. Gen. II. 4.

« potest » [1] — Item sadducaei [2] ac demum materialistae omnes. At Conc. Vatic. post Later. IV. definivit [3]: « Solus verus Deus simul ab « initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem « et corporalem, angelicam videlicet et mundanam ac deinde humanam « quasi communem ex spiritu et corpore constitutam » — *Secundo* autem quaeritur quaenam proprie sit angelorum *natura?* Nonnulli veteres Patres visi sunt angelis tribuere corpus subtile, aëreum vel igneum, ipsis naturaliter unitum. Quae opinio nondum penitus reiiciebatur saec. XII., ut patet ex s. Bernardo qui adhuc dubitanter loquitur [4]. Imo post Conc. Later. IV. theologi nonnulli eandem doctrinam adhuc tradiderunt, quos inter Caietanus, Sixtus Senensis et Dominicus Bannez; recentius vero Leybnitius, Wolfius, Kant rati sunt spiritum activum absque corpore existere non posse. At in mox allatis ecclesiasticis documentis natura angelica distinguitur hinc quidem a natura *corporea,* inde vero ab *humana,* ex spiritu et corpore constituta. Atqui talis natura esse nequit nisi *pure spiritualis:* ergo.

465. **Vera angeli definitio** (n. 297) — Vera igitur definitio angeli est: *substantia creata pure spiritualis.* Substantia enim immaterialis seu *incorporea* duplici modo esse et appellari potest talis: — a) illa quae non dependet quidem a materia *in esse* ideoque separatim ab ipsa existere potest, dependet tamen *in operando* sive *intrinsece* quoad quasdam operationes, sive *extrinsece* tantum quoad alias. Talis est anima humana quae in operationibus sensitivis dependet *intrinsece* a corpore, in intellectivis vero solum *extrinsece.* Hanc propterea non repugnat dicere esse quadamtenus *immaterialem,* quadamtenus vero materialem. Praeterea — b) *incorporea* dici potest substantia quae omnem naturalem ordinem ad coniunctionem cum corpore a se excludit atque in actibus suis omnino a materia independens est. Haec est substantia *pure* immaterialis et est angelus.

466. **Conclusio I.** « *Fides docet praeter rerum visibilium universitatem invisibilem existere naturas quae angeli appellantur* » (n. 298-299) — Conclusio est *de fide catholica* — Ceteris omissis, sufficit recolere frequentes apparitiones in Scriptura enarratas. Sic — a) *in œconomia patriarchali* angelus apparuit Agari a facie Sarai fugienti eique dixit: « *Revertere ad dominam tuam et humiliare sub manu illius* » [5]; eundemque Agarem in deserto cum puero suo languentem solatus est dicens: « *Noli timere, exaudivit Deus vocem pueri* » [6] — apparuit Abraham immolaturo filium: « *Ecce Angelus Domini de coelo clamavit dicens: Abraham, Abraham..... Non extendas manum tuam*

1. s. Th. 1. p. q. 50. a. 1. — 2. Act. XXIII. 8. — 3. Const. *Dei Filius* c. 1. — 4. serm. 5. in Cant. — 5. Gen. XVI. 9. — 6. ib. XXI.

supra puerum » [1]: idemque Iacob « *vidit in somnis scalas.... angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalae* » [2]. Item — b) *in oeconomia mosaica* Gedeoni *apparuit angelus et ait : Dominus tecum* » [3] — item David vidit angelum tamquam ministrum ultionis suae [4] — item Eliae prophetae apparuit angelus tum ut illum fugientem confortaret, tum ut ipsi mandata divina patefaceret [5] — Tobias quoque comitem habuit angelum in itinere [6] — Item — c) *in oeconomia christiana* Angelus apparuit Zachariae praenuntians nativitatem Ioannis [7] — B. Virgini annuncians incarnationem Verbi [8] — Iosepho summum mysterium et mandata divina revelans [9] — necnon pastoribus nuntians nativitatem Salvatoris [10] — piis mulieribus annuntians resurrectionem Christi [11] — Cornelio centurioni, ipsum admonens ut Petrum accerseret [12] — angelus Petrum e carcere liberavit [13]. Idcirco concludit Augustinus [14]: « Quamvis non videamus apparitiones angelorum, tamen angelos esse novimus ex fide et multis apparuisse legimus [15] ».

467. **Conclusio II.** « *Angeli sunt substantiæ pure spirituales* » (n. 300-301) — Doctrina quae angelis corpus adscribit — a) est *præter* Scripturam: hac enim nec *diserte* unquam meminit corporum angelorum, neque *aequivalenter* quum eos nunquam appellet *animas* h. e. substantias ordinatas ut sint principium vitae in corporibus. Praeterea — b) est *contra* Scripturam in qua [16] saepe angeli appellantur *simpliciter spiritus*. Confirmatur — c) ex eo quod homo, licet ex spiritu et corpore constitutus, nunquam dicitur spiritus *sine additio;* eius autem anima modo *spiritus* vocatur, quia revera spiritualis est, modo *anima* quia est principium vitae in corpore, cuius est forma. Hinc iam Damascenus [17] definit angelum « substantiam intelligentem materiae atque corporis expertem »: nec aliunde quam ex communi TT. doctrina repeti potest sensus fidelium credentium angelos esse *puros spiritus* [18].

468. **Scholion I.** *De loco et motu angelorum* (n. 302) — Procul dubio — a) angeli non sunt *ubique*, quod proprium est Dei. Quod

1. ib. XXII. 11. — 2. ib. XXVIII. 12. — 3. Iud. VI. 12. — 4. 2. Reg. XXIV. 17. — 5. 3. Reg. XIX. 5. - 4. Reg. I. 3. — 6. Tob. XII. 15. — 7. Luc. I. 11. — 8. ib. 28. — 9. ib. II. 13. 17. - Matth. I. 20. — 10. Luc. II. 13. — 11. Matth. XXVIII. 5. — 12. Act. X. 3. — 13. ib. XII. 7. — 14. serm. 1. in ps. 103. — 15. De tempore quo angeli creati sint « sententia probabilior videtur quod angeli simul cum creatura corporea sunt creati » (1. p. q. 61. a. 3.). Angelorum vero numerum certum est esse *ingentem*: de ipsis enim legitur Dan. (VII. 10.): « *Millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei* » — « *Et erat numerus eorum millia millium* »: et Christus ait (Matth. XXVI. 53) sibi præsto esse « *plusquam duodecim legiones angelorum* ». — 16. Ps. 103. - Hebr. I. 14. - Apoc. I. 4. — 17. De fide orthod. — 18. cfr. s. Th. 1. p. q. 50. 51. 52.

si — b) praesentes fiunt alicui loco materiali seu corpori, dicuntur esse ibi *definitive;* quod significat angeli praesentiam definiri loco aliquo adeo ut tamen sit totus in toto et totus in singulis loci partibus. Iuxta s. Thomam [1] angelus est in loco *per applicationem suae virtutis.* Sicut enim corpus est in loco *per contactum quantitatis,* sic angelus est in loco per contactum *virtutis,* secundum quod suam virtutem applicat ad aliquem locum, qualitercumque aliquid ibi operando. Certum quoque est — d) angelos moveri *motu locali:* in Scripturis enim dicuntur praecedere, abire, deambulare, currere, mitti, ingredi, ascendere, descendere. Moventur autem angeli per diversos contactus virtutis ad diversa loca, sive per motum *continuum,* successive dimittendo locum divisibilem sive etiam totum locum simul dimittendo, et toti alteri loco simul se applicando [2].

469. **Scholion II.** *De cognitione angelorum* (n. 303) — In angelo — a) tum actus intellectivus, tum facultas cognoscitiva realiter distinguuntur a substantia [3] — b) Non est in angelis intellectus *agens,* cum sit inutilis; idcirco species intelligibiles sunt ipsis divinitus infusae [4] — c) Angelica cognitio non est *discursiva,* sed simplex contemplatio veritatis, quamvis *successiva* [5] — d) *Obiectum* cognitionis angelicæ *adaequatum* est *ens qua late patet,* obiectum *proprium* est quidditas rei immaterialis creatae, media inter Deum et res materiales, quippe quae angelicae substantiae est proportionata [6] — e) *In specie* angeli per species divinitus infusas cognoscunt alios angelos, Deum, res materiales, singularia [7]: seipsos vero cognoscunt per propriam essentiam quae munere fungitur speciei intelligibilis. At — f) naturali virtute non cognoscunt *futura libera,* quæ cognitio in Scripturis exhibetur tamquam character divinitatis [8]: « *Annunciate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos* » — nec *secreta cordium* iuxta illud [9]: « *Tu solus nosti corda filiorum hominum* ». « Cuius ratio est, ait Angelicus [10], quia voluntas creaturae rationalis « soli Deo subiacet, et ipse solus in ea operari potest, qui est prin- « cipale eius obiectum, ut ultimus finis. Et ideo ea quae ex sola « voluntate dependent, vel in sola voluntate fiunt, Deo soli sunt « nota » — Nec « mysteria gratiae angeli cognoscere (naturaliter) « possunt: haec enim mysteria ex pura Dei voluntate dependent .... « Et ideo argumentatur Apostolus [11]: *Quae sunt hominis nemo novit « nisi spiritus hominis qui in ipso est; ita et quae sunt Dei nemo « novit nisi Spiritus Dei* » [12].

---

1. q. 52. a. 1. 2. — 2. q. 53. aa. 1. 2. 3. — 3. q. 54. aa. 1. 2. 3. — 4. q. 54. a. 4. 5. - q. 55. - q. 56. a. 2. ad 4. — 5. q. 58. aa. 3. 4. — 6. q. 12. a. 4. — 7. q. 57. a. 2. — 8. Is. XLI. 23. — 9. 2. Paralip. VI. 30. — 10. ib. a. 4. — 11. 2. Cor. II. 12. — 12. ib. a. 5.

470. **Scholion III.** *De illuminatione et locutione angelorum* (n. 304). Angelorum *illuminatio* intelligitur « manifestatio veritatis quam angelus superior inferiori facit cum quodam magisterio atque dependentia a Deo et ordine ad illum » — *locutio* autem est « simplex manifestatio veritatis quam unus angelus alteri facit » [1]. Porro — a) certum est dari inter angelos simplicem *locutionem:* angeli enim unam quandam societatem constituunt; ergo procul dubio inter ipsos admittenda est mutua conceptuum ac voluntatum communicatio. Item — b) datur inter angelos *illuminatio:* « lex enim est a Deo sancita ut in una-« quaque hierarchia et primi sint et medii et postremi ordines: « inferiorumque superiores doctores sint eisque quasi digito viam « monstrent » [2]. Quod si quaeritur — c) modus quo angeli ad invicem loquantur et illuminentur, respondet Angelicus [3] angelicam locutionem in eo contineri quod angelus loquens exhibeat suum conceptum per modum obiecti ordinetque ad alterum, ut hic illum intueri possit et ad videndum determinetur: nam citra loquentis consensum eius actus interni latent alios.

ARTICULUS II.

De angelis bonis.

471. **Natura quaestionis** (n. 305) — Docet Conc. Later IV. [4]: « Diabolus et alii daemones a Deo quidem naturâ *creati sunt boni*, « sed ipsi *per se* facti sunt *mali* ». Quaerimus igitur — a) an primitiva angelorum conditio *supernaturalis* fuerit per collatam angelis gratiam *sanctificantem* eoque ipso per destinationem ad finem supernaturalem — b) quodnam sit bonorum angelorum ministerium quæque officia ipsi obeant in hominum utilitatem.

472. **Coelestis militiae constitutio** (n. 306-307) — Angeli beatifica visione fruentes unam sanctam societatem constituunt, cuius caput est Michaël archangelus. Cœlestis iila militia, uti docet s. Dionysius Areopagita [5] cui posteriores Patres fere in omnibus adstipulantur, in *tres hierarchias* seu sacros principatus distribuitur, quarum singulae continent tres *ordines* seu *choros*. In *suprema* hierarchia sunt Seraphim, Cherubim, Throni — in *media* Dominationes, Virtutes, Potestates — in *infima* Principatus, Archangeli, Angeli: quæ diversa nomina s. Dionysius ex spiritualibus angelorum perfectionibus repetit, s. Gregorius econtra [6] ex diversis eorum ministeriis [7] — Accedit

1. 1. p. q. 107. a. 2. — 2. s. Dionysius *de eccl. hierarch.* c. 4. — 3. 1. p. q. 107. a. 2. — 4. cap. *Firmiter*. — 5. op. cit. — 6. hom. 34. in evang. — 7. cfr. s. Th. 1. p. q. 108. a. 5.

praeterea distinctio inter angelos *assistentes* et *ministrantes*, « ad « similitudinem eorum qui alicui regi famulantur: quorum aliqui « semper ei assistunt et eius praecepta immediate audiunt, alii vero « sunt ad quos praecepta regalia per *assistentes* nuntiantur, sicut illi « qui administrationi civitatum praeficiuntur; et hi dicuntur *mini-* « *strantes* sed non *assistentes* » [1].

473. **Hominum custodia** (n. 308) — Angelorum autem ministerium quod praecipue spectamus est hominum *custodia*. Cuius salutaris ministerii effectus sic a Patribus recensentur. Custodes angeli — a) suos clientes a damnis exterioribus vel cavent vel eripiunt, iuxta illud [2]: « *Angelus qui eruit me de cunctis malis* » — b) sanctas cogitationes suggerunt, corripiunt, hortantur, docent [3] — c) arcent daemones et contra ipsos pro suis clientibus pugnant [4] — d) orationes suorum clientum ac omnia eorum opera bona Deo praesentant [5] — e) medicinales poenas quandoque infligunt. Talis vero custodia ex s. Thoma [6] incipit a momento nativitatis et perdurat usque ad mortem. Quapropter animas decedentes perfecte mundas ad coelos ipsi deducunt; animas purgatione indigentes ad purgatorii locum, ibique eas visitant et consolantur. Unde Christus de mendico ait [7]: « *Factum est autem ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum Abrahae* ». Sint ergo sqq. conclusiones.

474. **Conclusio I.** « *Constat dari angelos bonos, qui in gratia sanctificante creati propriis meritis visionem beatificam sunt consecuti* » (n. 310-311) — Conclusio haec est doctrina *theologice certa* eaque sic probatur. In Scripturis mentio fit de angelis in supernaturali beatitudine constitutis: sic e. g. dicuntur faciem Dei videre: « *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei qui in coelis est* [8]. Atqui simul certum est eos in beatitudine supernaturali non fuisse creatos: ergo eam merendo consecuti sunt. *Prob. min.* — a) « De « ratione beatitudinis est stabilitas sive confirmatio in bono. Atqui « angeli non statim ut creati sunt, fuerunt confirmati in bono; quod « casus quorumdam ostendit. Non ergo angeli in sua creatione fuerunt « beati » [9]. Ceterum — b) lex Dei est universalis quod « *non coronabitur nisi qui legitime certaverit* ». Inferes ergo — α) angelos fuisse aliquo tempore in statu *viae:* — β) hoc tempore exornatos fuisse gratia sanctificante, quæ est *semen gloriae* iuxta illud: « *gratiam et gloriam dabit Dominus* »: — γ) angelos ad gloriam proprio merito pervenisse:

1. q. 112. a. 3. — 2. Gen. XLVIII. 16. — 3. Gen. XVIII. - Iudic. XIII. - Matth. I. - Act. V. VIII. X. — 4. Tob. VI. VIII. — 5. Tob. XII. - Apoc. XIII. — 6. 1. p. q. 113. a. 4. - cfr. a. 6. — 7. Luc. XVI. 22. — 8. Matth. XVIII. 10. - cfr. Marc. XII. 25. - Hebr. XII. 22. - Tob. XII. 15. - Dan. VII. 10. — 9. 1. q. 62. a. 1.

unde Angelicus [1]: « Angelus post primum actum charitatis, quo beatitudinem meruit, statim beatus fuit ».

475. **Conclusio II.** « *Certum quoque est angelos in hominum custodiam deputari* » (n. 312) — Haec conclusio est *fide certa*. Angelos — a) *generatim* deputari in hominum custodiam, patet ex Scriptura. Sic legitur [2]: « *Angelis suis Deus mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum* ». Hinc s. Hilarius [3]: « Praeesse angelos absoluta auctoritas est ». Item — b) certum est *singulos fideles* suos habere angelos custodes. Legitur enim [4]: « *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis quod angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei qui in coelis est* ». Ex quibus sic: Iudaeorum pusillis sui aderant angeli nec ratio est cur illos adultos desererent: quod demonstrat Iudæorum fides recens conversorum. Quum enim Petrus a carcere liberatus ad domum ubi fideles erant congregati pulsaret et ancilla nuntiaret esse Petrum, fideles dixerunt: « *Angelus eius est* ». Atqui praerogativae Synagogae ad Ecclesiam transierunt: ergo singulis fidelibus deputantur custodes angeli. Imo — c) docent Patres angelos custodes dari *singulis hominibus*, quod deducunt ex verbis Christi antea relatis. Sic s. Hieronymus [5]: « Magna dignitas animarum ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum » — s. Anselmus [6]: « Unaquaeque anima dum in corpus mittitur, angelo committitur » — s. Bernardus [7]: « Putemus angelos dici, quia « singuli singulis hominibus dati creduntur ». Imo — d) ex Origene [8], cui adstipulantur Hermas pastor et Gregorius Nyss. [9]: « unicuique « duo assistunt angeli, alter iustitiæ, alter iniquitatis ». Præterea — e) docet s. Thomas archangelum Michaëlem esse praepositum universae Ecclesiae: « Ministerium illud erit principaliter unius archangeli sc. Michaëlis qui est *princeps Ecclesiae*, sicut fuit Synagogae » [10]. In quod conspirat tum communis Ecclesiae sensus, tum variae eius apparitiones [11], addita miraculorum multitudine in bonum Ecclesiae. Imo — f) singulis communitatibus, regnis, provinciis, ecclesiis particularibus suos angelos esse praepositos colligunt ex Dan. [12]: « *Princeps regni Persarum* (sic Gabriel refert Danieli) *restitit mihi viginti et uno diebus: et ecce Michaël unus de principibus primis venit in*

1. ib. a. 5. - cfr. a. 3. — 2. Ps. 90. - cfr. Hebr. I. 14. - Gen. XLVIII. 16. — 3. in 18. - Matth. n. 5. — 4. Matth. XVIII. 10. — 5. in Matth. 18. — 6. Elucid. l. 2. c. 28. — 7. De consid. l. 5. c. 4. n. 8. — 8. hom. 12. in Luc. — 9. l. 2. mand. 6. - De vita Moys. — 10. in 4. dist. 43. a. 2. — 11. celebris est apparitio in monte Gargano Apuliæ a. 493 sub Gelasio Pp. quam Ecclesia recolit die 8 maii. — 12. Dan. X. 13.

adiutorium meum et ego remansi ibi iuxta regem Persarum ». Hinc Basilius [1]: « Ex angelis alii quidem praefecti sunt gentibus, alii vero cuique adiuncti comites sunt ».

ARTICULUS III.

De angelis malis.

476. **Angelorum lapsus** (n. 313) — Est doctrina *fidei* angelos plures, duce Lucifero ex ordine Seraphim, gratiâ excidisse aeternisque pœnis addictos fuisse (n. 471). Id colligitur ex Scripturis: sic legitur [2]: « *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer qui mane oriebaris?* » « *Ille in veritate non stetit* » — « *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem* » — « *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reservari* ». Rationem vero cur Deus spatium pœnitentiæ angelis non concesserit, hanc reddit Gregorius M. dicens [3]: « Angelorum spi-« ritus idcirco irremissibiliter peccarunt, quia tanto robustius stare « poterant, quanto eos carnis commixtio non tenebat. Homo vero id-« circo post culpam veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid, « quo seipso minor esset, accepit ». Quod si quaeras *quodnam fuerit angelorum peccatum,* communis respondet sententia Luciferi peccatum fuisse *superbiam* in eo sitam quod similitudinem cum Deo appetierit. Legitur quippe Tob. [4]: « *Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim sumpsit initium omnis perditio* »: et Isai. [5]: « *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer qui mane oriebaris? Qui dicebas: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum .... similis ero Altissimo!* ». Appetiit autem similitudinem cum Deo vel — a) quatenus sua naturali felicitate contentus sibi ipsi sufficere vellet sicut Deus, ut explicat Angelicus [6]: vel quatenus — b) ut censet Suarez, sibi desideraret unionem hypostaticam qua fieret ipse Deus.

477. **Tentatio diabolica** (n. 314-315) — Malorum angelorum ad humanum genus relatio tota *polemica* est ideoque voce generica *infestationis* designatur. *Triplex* species distinguitur sc. *tentatio, obsessio* et *magia* — *Tentationis* diabolicae nomine intelligitur instigatio ad peccatum: et « quamvis homo quoque aliquando sic tentet, hoc agit in quantum est minister diaboli » [7]. Porro — a) contra Protestantes certum est dari huiusmodi instigationes: pluries enim Scri-

1. cont. Eunom. l. 3. n. 1. — 2. Is. XIV. 12. - Io. VIII. 14. - 2. Pet. II. 4. - Iudae v. 6. — 3. Moral. l. 9. c. 50. — 4. Tob. IV. 14. — 5. Is. XIV. 12. — 6. 1. p. q. 63. a. 3. — 7. s. Th. 1. p. q. 114. a. 2.

ptura homines exhortatur ad vitandas daemonum tentationes. Sic Petrus [1]: « *Sobrii estote et vigilate quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret: cui resistite fortes in fide* »: hinc plura exempla tentationis diabolicae refert [2]. Quapropter ait s. Bernardus [3]: « Diabolo nullum aliud est desiderium, « nullum negotium, nullum studium nisi animas perdere ». Tamen — b) ad rem docet Angelicus [4]: « Causa alicuius rei potest dici « aliquid dupliciter, *directe* et *indirecte*. Indirecte diabolus est causa « omnium peccatorum nostrorum, quia instigavit primum hominem « ad peccandum, ex cuius peccato consecuta est in toto genere hu- « mano quaedam pronitas ad omnia peccata.... Directe autem diabolus « non est causa omnis peccati: non enim omnia peccata committuntur « diabolo instigante, sed quaedam ex libertate arbitrii et carnis cor- « ruptione ». Idcirco ex Conc. Trid. [5] triplex est causa *proxima* peccati sc. *diabolus* – *mundus* — *caro* [6]: unde concludit Chrysostomus [7]: « Multi etiam absque diabolo pereunt ». Quod si quaeratur — c) *quae sit vis* diabolicae tentationis, respondetur tentationem nunquam esse supra vires hominis gratiâ roborati: quod aperte docet Apostolus [8]: « *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere* ». Hinc scite Hieronymus [9]: « Diabolus persuadere potest, praecipitare non potest ».

478. **Obsessio** (n. 316) — *Obsessionis* distinguitur *triplex* gradus — *primus* dicitur *circumsessio,* quando daemon hominis corpus nondum invasit, ipsum tamen extrinsecus quasi obsidet et vexat atque omni modo conatur mala physica corpori inferre — *secundus* dicitur *obsessio,* si nimirum daemon corpus iam inhabitat eiusque viribus ita iam utitur ut in tali homine grave oriatur actionum dissidium — *tertius* dicitur *possessio* quae est intensior obsessionis gradus adeo ut cesset veluti omnis hominis actio ac totus evadat diaboli instrumentum. Porro — a) exempla *circumsessionis* non desunt in Scriptura sacra: sic legitur Iob. [10]: « *Egressus igitur satanas a facie Domini percussit Iob ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem eius* ». Hinc ait s. Bonaventura [11]: « Tanta est diaboli crudelitas ut nos omni hora transglutiret, nisi divina protectio nos custodiret ». Nec — b) desunt exempla *obsessionis* et *possessionis* diabolicae, uti colligitur ex Matth. [12]: « *Obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus et*

---

1. 1. Petr. V. 8. - cfr. Eph. VI. 11. - Iac. IV. 7. — 2. Gen. III. 1. - Apoc. XII. 9. - Matth. IV. - Marc. I. - Luc. IV. - Io. XXII. 2. - Act. V. 3. - Luc. XXII. 31. — 3. Med. c. 15. — 4. 1. p. q. 114. a 3. — 5. sess. 6. c. 13. — 6. Gal. V. 17. - cfr. Rom. VIII. — 7. hom. 54. in Acta. — 8. 1. Cor. X. 13. — 9. in c. 4. Matth. — 10. Iob. II. 7. cfr. 1. Tob. III. 8. — 11. tit. 7. Diact. c. 1. — 12. Matth. IV. 24.

tormentis comprehensos, et qui daemonia habebant, et lunaticos, et paralyticos et curavit eos »: item Marc. [1]: « *Et curavit multos qui vexabantur variis languoribus, et daemonia multa eiiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum* ». Nec — c) daemonum obsessiones cessarunt post Christi mortem: quod constat ex potestate eiiciendi daemones Apostolis collata: « *Convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos* » — « *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eiicient* » [2]: necnon ex *ordine exorcistarum* qui a remotissima aetate in Ecclesia semper viguit. Quod si — d) quaeratur quibus de causis Deus daemoniacas obsessiones permittat, respondet Doctor Seraphycus [3]: « Permittit hoc Dominus sive ad gloriae suae ostensionem [4]: « sive ad peccati punitionem — sive ad peccantis correctionem [5], « sive ad nostram eruditionem ».

479. **Magia** (n. 317-318) — Hoc nomine generatim intelligitur *ars producendi mira*. Triplex distinguitur sc. *naturalis*, *artificialis* et *nigra;* quatenus effectus insoliti producuntur vel ope notitiæ virium naturalium — vel ope artis et dexteritatis — vel denique ope daemonis. De magia *nigra* seu *diabolica* et *superstitiosa* hic sermo est, cuius alii possibilitatem, alii factum negant. Porro distinctione facta inter *crimen*, *factum* et *artem*, dicimus — a) *crimen* magiae esse possibile uti per se evidens est: hinc Deus in veteri Lege, et nunc Ecclesia contra magos salutares leges tulit. Item — b) *facta magica* in dubium vocari nequeunt, tum quia testes fide digni talia referunt facta quae philosophice inspecta explicari nequeant; tum quia Scriptura nimis clare eiusmodi factorum existentiam testatur. Sic Christus praedixit [6]: « *Surgent pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia ita ut in errorem inducantur (si fieri posset) etiam electi* ». Verum — c) *artem magicam* seu facultatem producendi ope daemonis miros effectus, *positis quibusdam signis* et *certo* atque *constanter*, putamus non esse admittendam. Non enim facile probabitur Deum semper permissurum daemonibus ut pro lubitu omnibus impiorum conatibus inserviant in hominum damnum — Praeterea hæc ars supponeret quamdam dæmonis omnipræsentiam, liberrimum in res creatas dominium atque fidelitatem in servandis promissis. Atqui hæc *gratis* quidem *supponi* possunt, *probari* non possunt: ergo.

1. Marc. I. 31. - cfr. Luc. VIII. 30. - Marc. IX. 24. - Matth. VIII. 31. — 2. Matth. X. 11. - Marc. XVI. 17. — 3. in 2. dist. 8. p. 2. a. 1. q. 1. — 4. Io. IX. 3. — 5. 1. Cor. V. 3. — 6. Matth. XXIV. 24.

CAPUT III.

De homine in naturali conditione spectato.

ARTICULUS I.

De prima hominis origine.

480. **Transformismus** (n. 320-321) — Quum hominis natura ex duplici elemento constet, *corpore* sc. et *spiritu*, idcirco utriusque elementi origo quaeritur. Ut ab origine *primi* hominis quoad corpus incipiamus, catholici omnes, auctoritati Scripturae necnon unanimi Patrum consensui adhaerentes, uno ore respondent, corpus primi hominis efformatum fuisse per *directam* et *immediatam* Dei actionem, distinctam tum a *creatione*, tum a *generali concursu* quem Deus tamquam causa prima praebet causarum secundarum operationibus. At aliter qui *transformistae* vel *evolutionistae* appellantur. Hi statuto fundamentali principio de *transformatione specierum* idest conversione unius speciei in aliam, docent — a) Deum condidisse immediate materiam vel etiam quasdam formas inferiores, quae naturali et successiva actione in alias et alias perfectiores formas evolverentur, donec inde ipse homo exurgeret — b) id reapse per diuturna temporis intervalla factum esse dicunt ita ut ex eorum sententia homo nihil aliud sit quam quoddam animal transformatum [1].

481. **Sententiae erroneae de animae origine** (n. 322-323) — Quoad vero animae humanae originem habentur erroneae sententiæ tres sc. *pantheismus*, *traducianismus* et *creatianismus* — Statuit *pantheismus* animas humanas de divina emanare substantia — *traducianismus* ponit eas produci de substantia parentum vel ex semine corporali, vel ex semine spirituali; hinc duplex traducianismus distinguitur sc. alius *corporalis*, alius *spiritualis* qui postremus *generatianismus* appellatur — *pseudo-creatianismus* defendit animas humanas *creari* a parentibus per vim peculiarem sibi a Creatore inditam. Quod postremum docuit Doctor Froschammer in libro quem edidit a. 1854, quemque S. I. C. damnavit et Pius IX. iterum reprobavit [2] — Singularis est opinio Rosminii, qui (propp. 20. 21) docet animam filiorum quâ *sensitivam* derivari a parentibus per generationem ac postea evadere *intellectivam* ob apparitionem ideae entis, quam illi Deus

1. Ita Lamarck et Darwin. — 2. in Brevi et Archiep. Monac. et Fring. *Gravissimas* 11 dec. 1862.

manifestat [1]. Quibus evidens est, Rosminium instaurare traducianismum sive corporeum sive spiritualem.

482. **Ecclesiæ doctrina** (n. 324) — Porro ex recensitis opinionibus — a) *pantheistica* est *haeretica* quippe quae damnatur in Conc. Vatic. ut innuimus n. 353: — b) *traducianismus* corporeus tamquam *haereticus* damnatur ab Angelico [2]: — c) *generatianismus* ac *pseudocreatianismus* ea saltem certitudine reiiciuntur qua defenditur animae humanae *creatio a Deo*. Postrema haec sententia a saec. XII. vere *communis* dici potest in Ecclesia; et quamvis nulla fortasse *peremptoria* declaratione definita fuerit, in pluribus tamen authenticis decretis infra proferendis significatur vel supponitur, adeo ut oppositam sententiam saltem *temerariam* putemus. Sint ergo seqq. conclusiones.

483. **Conclusio I.** « *Revelatione divina edocemur primos parentes quoad corpus immediate a Deo conditos esse* « (n. 325-328) — Conclusio est *fide certa*. Revera — a) Scriptura sic describit protoparentum originem [3]: « *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem..... Dixit quoque Dominus: non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi..... Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit unam de costis eius et replevit carnem pro ea. Et aedificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem: et adduxit eam ad Adam* ». Ex quibus sic: — α) Tum formatio corporis Adami, tum aedificatio mulieris ex costa viri ita adscribitur Deo tamquam agenti, ut nullius intermedii agentis mentio fiat. Atqui haec in litterali ac propria significatione accepta enunciant *directam* et *immediatam* actionem Dei, nec gravis ratio latiorem sensum suadet: ergo. Atqui divina haec actio non est *creatio*, quia simul innuitur causa *materialis ex qua* Deus produxit effectum, scilicet *limum, ex quo* Adam formatus, et *costa ex qua* mulier aedificata: ergo. Praeterea — β) ita tribuitur Deo formatio Adami de limo terrae, sicut *inspiratio spiraculi vitae* seu animae creatio. Atqui vel plures ex ipsis transformistis libenter concedunt illud *inspiravit* denotare *immediatam* Dei actionem qua Deus auctor fuit animae: ergo et illud *formavit* intelligendum est de *immediata* actione qua Deus auctor fuit corporis. Insuper — γ) ipsum nomen *Adami* significare videtur *immediatam* hominis de limo productionem. Ideo enim dictus est Adam quia ex *Adamah* idest *terra* sit productus; sicut Eva dicta est *virago, quoniam de viro sumpta est*. Atqui id proprie affirmari non posset in systemate quod

1. Quem errorem iam innuebat suo tempore s. Thomas 1. p. q. 118. a 2. ad 2. — 2. « Haereticum est dicere quod anima intellectiva traducatur cum semine ». 1. p. q. 118 a. 2. — 3. Gen. II. 7.

impugnamus: in illa enim hypothesi homo non esset *immediate* de terra, sed immediate ex forma aliqua animalis inferioris, et nonnisi mediantibus innumeris formis demum de terra eductus esset: ergo. Praeterea — b) si transformistarum systema expendatur iuxta principia rationis, patet illud fundari in principio omnino arbitrario, imo constanti experientiae adverso: hac enim edocemur a piscibus pisces, ab avibus aves, ab equo equum exoriri: nempe generatim animalia non aliter nisi ex individuis eiusdem speciei propagari — Ast, respondet Darwin, animantia nunc acquisiverunt characteres omnino determinatos, ac proinde obstat *lex permanentiae* eorum transformationi. Verum si ex animalibus habentibus vagas et incertas formas per longam annorum periodum ortum duxissent species nunc existentes et praesertim homo, deberemus huiusmodi formas intermedias invenire. Atqui historice constat animalia eandem formam eosdemque mores semper retinuisse, ut patet ex sculpturis antiquissimis Ægyptiorum — ex iis quae apud scriptores sacros occurrunt de quibusdam animalibus — ex historia animalium Aristotelis — ex similitudinibus Homeri etc...: ergo. Ceterum dato etiam homines utcumque *potuisse* originem ducere a brutis, *ad factum* quod spectat revelatio contrarium testatur.

484. **Conclusio II.** « *Animae humanae a Deo creantur, cum corporibus infunduntur* » (n. 329-331). *Prob.* — a) ex Scripturis: sic [1]: « *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad* « *Deum qui dedit illum* » — « ex quo, ait s. Hieronymus in h. l., « satis ridendi sunt qui putant animas cum corporibus seri, et non « a Deo sed a corporum parentibus generari. Cum enim caro rever- « tatur in terram et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum, mani- « festum est Deum esse patrem animarum, non homines ». Item legitur [2]: « *Deinde patres quidem carnis nostrae eruditores habuimus et reverebamur eos; non multo magis obtemperabimus Patri spirituum et vivemus?* »: in quae Primasius: « Idcirco omnipotentem Deum « creatorem animarum appellat, non corporum, cum omnium creator « sit, quia corpus nostrum ex semine conficitur, anima vero a Deo « ex nihilo creatur ». Item — b) ex sensu traditionali, quem, ceteris omissis, sic exhibet Alexander VII. in Const. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum,* in qua eorum fidelium pietatem tuetur, qui sentiunt B. V. Mariae « animam in primo instanti *creationis* et infusionis in corpus « fuisse speciali Dei gratia et privilegio intuitu meritorum Iesu Christi « a macula peccati originalis praeservatam immunem ». Patribus vero — c) commune est illustrare Incarnationis mysterium exemplo creationis animæ humanæ. Quemadmodum nempe, aiunt, genitores carnis nostrae vere sunt parentes *hominum,* quamvis solum corpus generent,

1. Eccle. XII. 7. — 2. Hebr. XII. 9.

ita b. Virgo vere censeri debet *mater Dei,* quamvis naturam divinam non conceperit, sed solummodo humanam. Denique — d) ratio suffragatur. Revera — α) « *non est pars Dei anima* .... quod si esset, nec « deficeret in deterius, nec proficeret in melius » [1]. Nec — β) est *ex semine corporeo:* « impossibile enim est virtutem activam, quæ est in « materia, extendere suam actionem ad producendum immaterialem « effectum » [2]. Nec — γ) est *ex semine incorporeo:* « si enim anima « filiorum est ex anima parentum, vel est ex tota vel ex parte. Si « ex tota, igitur vel parens caret deinceps animâ, vel tota manet in « patre et in filio; quod utrumque est evidenter falsum ..... Si ex « parte, igitur anima partialis est ac per hoc corporalis et mortalis » [3]. Superest ergo — δ) ut dicatur *creari.* Et revera anima humana operationes habet spirituales. Ergo et esse habet spirituale h. e. a materia independens; modus enim operandi sequitur modum essendi. Atqui quod est a materia independens *in esse,* est quoque independens *in fieri,* cum fieri sit via ad esse: ergo anima, dum fit, est a materia independens idest *creatur.* Atqui non a parentibus: « solum enim « Deum *omnium creatorem* vera fides agnoscit et sancti omnes do- « cent » [4]: ergo a solo Deo.

485. *Obiectio* (n. 332) — « *Non inveni quomodo anima peccatum ex* « *Adam trahat, et ipsa ex Adam non trahatur* »: s. Augustinus [5].

Resp. — Peccatum originale, ut suo loco, nil est aliud quam *privatio gratiae sanctificantis inducta per peccatum primi parentis.* Quia ergo non est aliquid *positivum,* sed simplex *privatio,* idcirco non requiritur ut Deus *agat,* sed sufficit ut *non agat* idest ut non infundat gratiam, cum animam creat. Causa autem qua fit ut Deus creando simul non infundat gratiam, est peccatum primi parentis. Hinc ait s. Bonaventura [6], Deum creare animam nec *bonam* nec *malam:* non bonam quia non dat gratiam; non malam quia non ex ipso est, sed ex culpa primi hominis quod gratiam non largiatur.

486. **Scholion** -- *Tempus creationis animæ* (n. 333) -- Certum est -- a) ex prop. 35. damnata ab Innocentio XI., fœtum aliquâ animâ *animari* antequam in lucem edatur. At — b) quo tempore animae rationalis infusio contingat, utrum in ipso conceptionis instanti, an vero tunc tantum, quum foetus consecutus est organicam figuram humanam [7]

1. s. Augustinus ep. 166. n. 4. — 2. s. Th. 1. p. q. 118. a. 2. — 3. Bellarminus *De amiss. gratiae l.* 4. *c.* 11. — 4. Suarez *disp. met.* 20. s. 2. — 5. ep. ad Opt. — 6. 2. sent. dist. 32. — 7. Ita quidem veteres Doctores: « dicendum « est quod anima præexistit in embryone a principio quidem *nutritiva,* postmo- « dum *sensitiva* et tandem *intellectiva* » s. Th. 1. p. q. 118. a. 2. quam sententiam nostris diebus propugnant Liberatore (Del Comp. umano c. 6. a. 7.). - Vincentius Santi professor Anatomiæ in Univ. Perusina (Della forma, genesi, ecc. dei viventi, *Perugia* 1858) - Vincentius Liverani (Sui principii del moderno ippocratismo: *Fano* 1859).

(quod contingit iuxta nonnullos quadragesimo circiter die post conceptionem, iuxta alios, ut refert Scavini, quadragesimo die quoad masculos, octogesimo vero quoad foeminas, duplex est adhuc sententia probabilis.

Quibus relatis sententiis, ita concludit Card. Zigliara [1]: « Ad quaestionem *intrinsece* et *philosophice* veniendo, dico retinendum esse certo foetum ab initio conceptionis vivere, sicut observationes physiologicae ostendunt. Sed *utrum vivat animâ rationali statim*, an potius vegetativâ et postea sensitivâ, quae deinde pereant, adveniente anima rationali, definiri certe neque *a posteriori*, neque *a priori* potest: unde utraque opinio (speculative) suam habet probabilitatem. *A posteriori* siquidem habemus, quod fœtus statim vivit, non vitâ matris, sed vitâ propriâ: sed observationes non dicunt neque dicere possunt, an vita illa sit *ab anima rationali* — *a priori* vero nihil certo definiri posse concedunt propugnatores oppositarum sententiarum ». Si autem res *theologice* spectetur « prima opinio practice est sequenda quoties de baptismo foetui animato conferendo quaestio oboritur: quamvis enim certum non sit ipsum animari anima rationali, habetur tamen talis probabilitas quae sufficit ut baptismus conferatur *sub conditione*, ne a vita aeterna excludatur, si forte rationalis adesset anima: sicut etiam absolutio sacramentatis datur illi de quo rationabiliter dubitatur utrum sit necne adhuc vivus ».

487. **Conclusio III.** « *Revelatione adhuc edocemur humanum genus a communi stipite originem ducere sc. ab Adam et Eva* » — Haec conclusio *certa* est ex Trid., quod [2] Adam vocat *primum hominem* totumque humanum genus *eius propaginem*, eaque statuitur contra *præadamitas* et *coadamitas*, quorum *primi* tuentur iam *ante Adamum* homines extitisse, *alii* Deum plura hominum paria immediate creasse. Porro — a) unitatem stipitis humani generis in uno Adam diserte docet Scriptura [3] ex qua habemus: — α) Deus creavit Adamum qui *solus* ab initio extitit: « *Formavit igitur Deus hominem de limo terrae* »: item — β) ante Adamum *nullus* extitit homo: « *Et homo non erat qui operaretur terram* » — « *Adae non inveniebatur adiutor similis eius* ». Ideoque — γ) Deus dixit: « *Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi* »: et *unam* creavit Evam quae idcirco eo nomine est appellata *quod mater esset cunctorum viventium*. Ratio autem — δ) qua Deus creavit par illud, fuit ut repleret terram: « *Benedixitque illis et ait: crescite et multiplicamini et replete terram et subiicite eam* ». Atqui hæc omnia com-

1. Summa phil. v. 2. l. 2. a. 3. n. 10. — 2. sess. 5. decr. de pecc. or. — 3. Gen. cc. 1. 2. cfr. Sap. X. 1.

poni nequeunt cum systemate præadamitarum et coadamitarum: ergo. Hinc Apostolus [1]: « *Fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae* ». Nec — b) ulla ratio adversariis suffragatur. Nam praecipuum eorum fundamentum est magnum discrimen inter homines diversarum stirpium. Atqui haec ratio nihil probat: nam diversitates illae magnae apparent, si comparentur individua diversae stirpis, quorum unumquodque habet notas suae stirpis in summo gradu (ex. gr. summam nigredinem et summam albedinem); at minimæ sunt, si comparentur simul individua quorum unumquodque suae stirpis notas habet in inferiori gradu. Ceterum qualescumque sint differentiae inter homines diversae stirpis, bene ostenditur illas explicari posse ex clymate, victu, vitæ ratione etc... quin admittatur diversitas originis.

ARTICULUS II.

De intrinseca hominis constitutione.

488. **Ecclesia doctrina** (n. 388) — Catholicam de hac re doctrinam exhibent sequentia Ecclesiae documenta — a) Conc. Constp. IV. (a. 869) habet: « V. et N. Testamento *unam* animam rationalem et « intellectualem habere hominem docente et omnibus deiloquis pa- « tribus et magistris Ecclesiae idem asseverantibus, quidam *duas* « eum habere animas putant..... Itaque sancta haec et universalis « synodus talis impietatis parentes et eis consentientes anathematizat « vehementer » — b) Conc. Vienn. sub Clemente V. definivit: « Quis- « quis asserere, defendere seu tenere pertinaciter præsumpserit quod « anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per « se et essentialiter, tamquam haereticus sit censendus ». Quam definitionem innovavit Leo X. in Conc. Later. V. sess. 8. atque iterum inculcavit Pius IX. contra Günther [2]. Ex quibus documentis colligimus — α) *unicam animam* eamque *rationalem* in homine esse admittendam — β) hanc vero esse *veram, per se* et *immediatam humani corporis formam* [3].

489. **Trichotomia** (n. 339) — Contra *primum* doctrinae caput stat error, quem iam tradiderant philosophi graeci necnon manichæi ac deinde Apollinaris, quemque recentiori aetate renovarunt Günther

1. Act. XVII. 26. — 2. epist. ad Card. Geissel 15 iun. 1857. — 3. Qua in re Rosminius quoque erravit: « Forma substantialis corporis est potius effectus ani- « mae atque interior terminus operationis ipsius. Propterea forma substantialis « corporis non est ipsa anima. Unio animae et corporis proprie consistit in imma- « nenti perceptione, qua subiectum intuens ideam affirmat sensibile, postquam « in hac eius essentiam intuitum fuerit »: sic prop. 24.

et Baltzer, quorum opera damnavit Pius IX [1]. Secundum hos habet homo duas animas, unam *rationalem*, alteram mere *sensitivam*. Ad quam theoriam plus minusve omnes illi accedunt qui statuunt hominem componi ex *spiritu* et *natura animata*. Ideirco haec doctrina appellatur *trichotomia*, dum catholica doctrina *dichotomia* nuncupatur.

490. **Materia et forma** (n. 340-341) — Porro ad rite intelligendum *alterum* doctrinae caput breviter hic recolenda est Scholasticorum doctrina de *materia prima* et *forma substantiali*, prouti ea praesertim colligitur ex mutationibus substantialibus — a) *Mutatio* est *transitus* vel *unius rei in aliam*, vel eiusdem rei *ab uno modo ad alium modum se habendi*. Hinc in omni mutatione tria veluti elementa distinguenda sunt sc. *subiectum* quod mutatur — *terminus a quo* mutationis idest res praeexistens mutationi — *terminus ad quem* idest res mutata — b) Duplex mutatio distinguitur sc. *substantialis* et *accidentalis:* est *substantialis* quando *alia* est *substantia* in termino *a quo*, et *alia* in termino *ad quem* — est *accidentalis* quando in utroque termino est *eadem substantia* et diversitas est tantum in aliquo accidenti. Nunc — c) ex mutationibus substantialibus elucet quid sit *materia prima*, quid *forma substantialis*. Consideretur ex. gr. mutatio ligni in cinerem. Profecto aliquod elementum *substantiale*, quod prius erat in termino *a quo* sc. in ligno, mansit in termino *ad quem* sc. in cinere; at simul aliquod elementum *substantiale* desiit in ligno et *novum* aliquod productum est in cinere. Illud ergo elementum quod ex ligno manet in cinere merito dicitur *subiectum* mutationis. Hoc autem phœnomenum demonstrat tum lignum, tum cinerem ex duplici elemento constare, altero *communi* utrique sc. illo quod ex ligno mansit in cinere; altero *proprio* uniuscuiusque substantiae sc. illo quod desiit in ligno et quod productum est in cinere. *Character* elementi *communis* est ut indifferens sit ad hanc potius quam illam substantiam constituendam; *character* vero elementi *proprii* est ut sit determinatum et determinans. Porro elementum *commune* dicitur *materia prima* quae propterea definitur: « primum omnis transmutationis subiectum » — *proprium* dicitur *forma substantialis* « illud scilicet quo corpus in aliqua substantiae specie intrinsecus constituitur » [2]. Unio utriusque elementi fit per immediatam communicationem formae ad materiam, qua quidem suipsius communicatione forma tribuit materiae *esse substantiale* et *specificum*.

Ex his patet verus sensus definitionis viennensis: « anima humana est forma substantialis corporis » — Scilicet homo, sicut cetera composita, constat duplici principio seorsim incompleto sc. materiâ et

1. epist. cit. et alia ad Episc. Wratislav. 30 apr. 1860. — 2. cfr. s. Th. 1. p. q. 76. a. 4.

formâ, corpore et animâ, altero indeterminato, altero determinato et determinante, quod tribuit elemento determinabili *esse substantiale* seu *esse hominis* per suiipsius communicationem, ex qua exurgit homo: aliis verbis anima rationalis est in homine principium omnis vitae, sensus et motus.

491. **Forma corporeitatis** (n. 342) — At cum homo commune habeat *esse* cum lapidibus, *vivere* cum plantis, *sentire* cum animantibus, *intelligere* cum angelis, idcirco ulterius quæritur utrum anima præter *esse sentientis et viventis* tribuat homini ipsum *esse corporis*. Negat Scotus qui, praeter animam intellectivam, aliam formam in homine excogitavit quam *formam corporeitatis* appellavit et cuius munus est ut materiam in *esse corporis organici* constituat, adeo ut immediatum animae subiectum sit materia iam informata ab illa forma, seu *corpus illud* [1]. Affirmat s. Thomas qui docet: « In hoc homine non est alia « forma substantialis quam anima rationalis, et per eam homo non « solum est homo, sed animal, et vivum, et *corpus*, et *substantia*, et « *ens* » [2]. Sint ergo seqq. conclusiones.

492. **Conclusio I.** « *Fide patet unicam esse in homine animam eamque rationalem* » — Conclusio est *de fide catholica* — Quoties enim in Scripturis sermo est de intrinseca hominis constitutione, nonnisi duo elementa commemorantur sc. corpus et anima, corpus et spiritus. Sic e. g. ita describitur hominis formatio [3]: « *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem* » — sic pariter eius dissolutio [4]: *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum* » — ita etiam Christus [5]: « *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* ».

493. **Conclusio II.** « *Anima — 1° est forma substantialis hominis — 2° tribuens corpori ipsum esse corporis* » — Prima pars est *de fide catholica*.

Prob. 1. pars — Ex doctrina Scripturae [6] anima eaque rationalis est principium vitæ in homine. Atqui animam esse vitæ principium in homine idem est ac esse formam substantialem corporis ac humani compositi: ergo — *Prob. min.* Munus formae est ut sit principium communicativum *esse substantialis* [7]. Atqui anima hoc ipso quod est principium *vitae* in homine, est quoque principium communicati-

1. sent. d. 11. q. 3. — 2. De Spir. Creat. q. un. a. 3. - cfr. 1. p. q. 76. a. 6. - c. g. l. 4. c. 81. - De anima lect. 1. — 3. Gen. II. 7. — 4. Eccli. XII. 7. — 5. Matth. X. 28. — 6. Gen. II. 7. — 7. cfr. s. Th. 1. p. q. 76. aa. 1. 4. - c. g. l. 2. c. 68.

vum *esse substantialis*. « Vita enim, ait Angelicus, dicitur dupli « citer; uno modo *ipsum esse viventis* ..... alio modo ipsa operatio « viventis, secundum quam principium vitae in actum reducitur » [1]: quod idem iam docuerat Aristoteles dicens [2]: « vivere viventibus est esse ». Ergo si in homine vita est esse hancque vitam anima communicat, dicendum est ipsam communicare homini esse substantiale.

Prob. 2. pars — Anima cum sit forma substantialis corporis, est eoipso principium communicativum *esse substantialis*. Atqui si anima non constitueret corpus *in esse corporis*, non communicaret illi esse substantiale: ergo — *Prob. min.* ex Angelico [3]: « Est autem hoc « proprium formæ substantialis quod det materiæ esse simpliciter ..... « Si qua ergo forma est quae non det materiae esse simpliciter, sed « adveniat materiae iam existenti in actu per aliquam formam, non « erit forma substantialis: sola prima forma quae faceret esse sub- « stantiam actu, esset substantialis, aliae vero omnes accidentales ». Hinc statuit principium [4]: « Quidquid post primam formam (substan- « tialem) advenit rei, accidentaliter advenit ».

CAPUT IV.

De supernaturali hominis elevatione.

ARTICULUS I.

Notiones praeviae.

494. **Natura** (n. 349) — Vox *natura* — a) *etymologice* significat originem seu nativitatem [5] — b) *dynamice* idem est ac primum operationis principium seu prima radix omnis activitatis quæ est in subiecto — c) *ontologice* significat ipsam rei essentiam et quidquid in rei definitione continetur — d) eadem vox usurpatur ad significandum complexum rerum creatarum quatenus vel sunt obiectum scientiae *physicæ*, vel a Deo dependent.

495. **Naturale** (n. 350) — Hinc naturale — a) *etymologice* idem significat quod *originarium* [6] — b) *dynamice* idem est ac illud quod natura aliqua suis viribus attingere vel efficere potest, quo sensu saepe est sermo

1. 1. 2. q. 3. ad 1. Hinc vita *duplex* distinguitur sc. in actu *primo* (esse) et *secundo* (operari). — 2. 2. de anima. — 3. de anima a. 9. — 4. e. g. l. 2. c. 58. - cfr. 1. p. q. 76. a. 3. ad 4. — 5. Eph. II. 3. — 6. cfr. s. Th. 3. p. q. 2. a. 12.

de fine naturali, de actibus naturalibus etc.... — c) *ontologice* idem est ac illud quod naturam vel *constituit*, vel *consequitur*, vel a natura *exigitur :* hinc naturale *constitutive* — *consecutive* — *exigitive*. Insuper — d) naturale dici potest quidquid est naturæ *consentaneum*, vel etiam quidquid non est bonum *personale*, sed etiam *ad omnes* extenditur, vel etiam quidquid simul cum natura transfundi debet.

496. **Supernaturale** (n. 351) — Est igitur *supernaturale* — a) *etymologice* quod est *supra naturam*, ubi vox naturae sumitur tum pro eo quod est primum operationis principium, tum pro rei essentia cum suis facultatibus — b) *dynamice* est illud quod natura suis naturalibus viribus attingere vel efficere nequit : quo sensu sermo est de fine supernaturali, de actibus supernaturalibus etc....: — c) *ontologice* est illud quod est supra conditionem exigentiamque naturae idest quod excludit debitum *physicum* seu *naturae*, quatenus ad naturam non pertinet neque *constitutive*, neque *consecutive*, neque *exigitive*. Denique — d) quod excludit quoque debitum *morale* seu *operum* [1].

497. **Praeternaturale** (n. 352) — In dono supernaturali duplex elementum distinguendum est, *negativum* quod in eo situm est ut donum sit *indebitum* naturae — *positivum* quod in eo consistit ut naturam *perficiat*. Porro — a) si per donum indebitum natura ita perficitur ut *supra se* elevetur atque ad ordinem divinum transferatur, habetur *supernaturale*. Si autem — natura perficitur quidem, sed intra suos limites adeo ut non transferatur in ordinem divinum, donum dicitur *praeternaturale*. Tale fuit e. g. donum *immortalitatis* homini concessum in statu iustitiae originalis. Hinc — c) præternaturale est *medium* inter naturale et supernaturale: convenit cum supernaturali quatenus est *indebitum*, cum naturali quatenus naturam non elevat ad ordinem divinum.

498. **Definitiones praecedentium** (n. 353-354) — Ex dictis colligere licet definitionem *naturae* — *naturalis* — *supernaturalis* et *praeternaturalis* prouti a nobis hic sumuntur — a) *Natura* intelligitur « ipsa rei essentia tum in se seu *ontologice* spectata, tum *dynamice* quatenus est principium operationis » — b) *naturale* intelligitur « tum *ontologice* illud quod est naturae debitum, tum *dynamice* illud quod natura suis viribus attingere vel efficere potest » — c) *supernaturale* intelligitur « donum naturae indebitum eamque perficiens et elevans ad ordinem divinum » — d) *praeternaturale* intelligitur « donum naturae indebitum eamque perficiens intra limites naturae creatae ». Quocirca reiicimus notionem supernaturalis — α) *rationalistarum* secundum quos supernaturale idem est ac *supersensibile* ac

1. cfr. s. Th. 1. 2. q. 111. a. 1. ad 2.

spiritale — β) eorum qui cum Xav. Vockio [1] dicunt supernaturale idem esse ac id quod *immediate a Deo* producitur. Item — γ) supernaturale non est confundendum cum *gratuito* nec cum *miraculoso:* omne quidem supernaturale est gratuitum, sed non e converso — item supernaturale, licet esse possit miraculosum, non omne tamen supernaturale est miraculosum.

499. **Partitiones** (n. 355) – Supernaturale dividitur — a) in *absolutum* et *relativum* prouti indebitum est vel *omni* creaturae uti e. g. gratia sanctificans, vel tantum *alicui* creaturae ex. gr. humanae. Dividitur — b) in supernaturale *quoad substantiam* cuius nempe entitas excedit naturam, ut gratia sanctificans — *quoad modum* cuius entitas, naturam non superans, modo supernaturali confertur — *quoad subiectum* quod reducitur ad supernaturale *relativum*. Dividitur — c) in supernaturale *eudaemonicum* seu ratione *finis,* ut beatitudo — secundum *sanctificationem,* ut gratia sanctificans — et secundum *virtutem sanctificatricem* ut sacramenta. Dividitur — d) in supernaturale *intrinsecus* et *extrinsecus,* quatenus vel est tale *in se,* vel *per se* quidem est naturale, sed ad finem supernaturalem ordinatur.

ARTICULUS II.

De statu iustitiae originalis.

500. **Status quid et quotuplex** (n. 356) — *Status* hic intelligitur « modus se habendi naturae rationalis in ordine ad Deum tamquam ad ultimum finem iuxta divinae providentiae ordinationem ». Praecipui sunt — a) status *naturae purae* in quo natura humana *positive* habet quidquid ei debetur ad vitam *physicam* et *moralem* agendam, consequenter ad finem naturalem consequendum — *negative* vero nil habet sive boni, sive mali quod sit *praeter* aut *supra* naturam — b) Status *iustitiae originalis* qui est ille in quo protoparentes nostri constituti sunt et quem mox expoliemus — c) Status *naturae lapsae* qui mox Adami lapsum consecutus est. Denique — d) status *naturae lapsae et reparatae* per Christum qui est praesens status humani generis.

501. **Status iustitiae originalis** (n. 357) — Status primi hominis dicitur status *iustitiae originalis:* — a) *iustitiae* quidem, quo nomine significatur rectus ordo totius hominis omniumque eius partium ad invicem et in ordine ad Deum: quae iustitia dicitur — b) *originalis* tum quia eam ab origine consecuti sunt primi parentes, tum quia in eadem iustitia nati essent omnes posteri Adae, si ipse non

1. Theol. dogm. t. 2. tr. 4.

peccasset. Porro indolem illius iustitiæ sic paucis enunciat Angelicus [1]: « Erat rectitudo secundum hoc quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, et animae corpus ». Scilicet anima erat bene disposita in se et in suis potentiis et recte conversa ad Deum per gratiam sanctificantem et virtutes — pars inferior subdebatur parti superiori per donum *integritatis* seu immunitatis a concupiscentia — corpus subdebatur animae per donum *impassibilitatis* et *immortalitatis*. Ex his patet iustitiam originalem auctam fuisse partim donis *supernaturalibus* uti gratia sanctificans et virtutes; partim vero donis *praeternaturalibus* uti integritas, immortalitas, impassibilitas. Quae dona alligata erant tamquam *radici* gratiae sanctificanti, qua conservata omnia conservata essent, qua amissa, omnia fuissent amissa. Idcirco iustitia originalis *adaequate* est illorum donorum complexus, *inadæquate* et *radicaliter* gratia sanctificans -- Sint ergo seqq. conclusiones.

502. **Conclusio I.** « *Creator munificus protoparentes vostros creavit in iustitia et sanctitate veritatis, ita quidem ut* — 1° *animam gratia sanctificante* — 2° *intellectum praeclara scientia* — 3° *voluntatem perfecta rectitudine exornaverit* » (n. 360-367).

Prob. 1. pars — quae est *de fide catholica* ex. Trid. [2]: « Si quis « non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in « paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et iustitiam in qua « constitutus fuerat amisisse ..... A. S. ». Revera — a) finis incarna- « tionis fuit *renovatio* ac *restauratio* humani generis: « *Venit Filius hominis salvum facere quod perierat* » [3]. Atqui haec renovatio et restauratio perficitur et continetur in infusione gratiae sanctificantis: ergo — *Minor* supponitur ex tract. *de gratia*, ubi demonstratur causam formalem nostrae iustificationis, quae est spiritualis nostra regeneratio et renovatio, esse gratiam nobis intrinsecus inhaerentem, qua ex inimicis amici, ex filiis irae filii Dei constituimur: ergo. Hinc — b) cum e. g. legitur [4]: « *Deum fecisse hominem rectum* ». Intelligi debet rectitudo *supernaturalis* sc. ex gratia profecta: item cum Apostolus nos hortatur [5]: « *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis* »: procul dubio intelligitur Adam renovatus in Christo et per Christum, vel Adam gratiâ exornatus ante lapsum.

Prob. 2. pars — Res patet -- a) ex Scripturis. Legitur [6] Deus adduxisse omnia animantia ad Adamum ut propria eis nomina imponeret: « *appellaritque Adam nominibus suis cuncta animantia et universa volatilia coeli et omnes bestias terrae* ». Atqui nominum

1. p. q. 95. a. 1. — 2. sess. 5. cn. 1. — 3. Matth. XVIII. 11. — 4. Eccle. VII. 30. — 5. Eph. IV. 23. — 6. Gen. II. 19.

impositio rerum ipsarum notitiam praesupponit, quae in illis adiunctis plane insignis esse debuit: ergo. Idcirco de protoparentibus legitur Eccli. [1]: « *Disciplina intellectus replevit illos, creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, mala et bona ostendit illis* ». Praeterea — b) insignem scientiam postulat quoque character Adami proprius. Nam « quia res primitus a Deo institutae sunt non solum « ut in seipsis essent, sed etiam ut essent aliorum principia, ideo « productae sunt in statu perfecto, in quo possent esse principia « aliorum. Homo autem potest esse principium alterius non solum « per generationem corporalem, sed etiam per instructionem et guber- « nationem. Et ideo sicut primus homo institutus est in statu perfecto « quantum ad corpus ut statim posset generare, ita etiam institutus « est in statu perfecto quantum ad animam ut statim posset alios « instruere et gubernare. Non potest autem aliquis instruere nisi « habeat scientiam; et ideo primus homo sic institutus est a Deo ut « haberet omnium rerum scientiam, in quibus natus est homo instrui. « Et haec sunt omnia illa quae virtualiter existunt in primis principiis « per se notis, quaecumque scilicet naturaliter homines cognoscere « possunt » [2].

Prob. 3. pars — Perfecta voluntatis rectitudo in eo consistit quod ipsa informetur virtutibus moralibus, quibus disponitur ad bonum operandum malumque vitandum cum promptitudine et libenti animo. Atqui huiusmodi virtutes infusae fuere protoparentibus: hae enim gratiam sanctificantem concomitantur, ad quam ita se habent sicut facultates ad naturam a qua dimanant. Scite autem advertit Angelicus [3]: « Virtutum quaedam sunt quae de sui ratione nullam imper- « fectionem important ut charitas et iustitia. Et huiusmodi fuerunt in « statu innocentiae quantum ad habitum et ad actum. Quaedam quae « de sui ratione imperfectionem important. Et si huiusmodi imperfectio « non repugnat perfectioni primi status, poterat esse ibi virtus secun- « dum habitum et non secundum actum, ut patet de pœnitentia quae « est dolor de peccato commisso, et misericordia quae est dolor de « miseria aliena ».

503. **Conclusio II.** « *Idem munificus Creator protoparentes nostros perfectos fecit quantum ad corpus — 1° per donum integritatis seu immunitatis a concupiscentia — 2° per donum immortalitatis — 3° per donum impassibilitatis* » (n. 368-372).

Prob. 1. pars — Concupiscentia heic intelligitur « *appetitus sensitivus seu inferior quo homo concupiscere potest obiecta per sensus proposita, quae adversantur dictamini rationis* ». Quae quidem con-

1. Eccli. XVII. 5. — 2. s. Th. 1. p. q. 94. a. 3. — 3. 1. p. q. 95. a. 3. - cfr. q. 89. a. 3.

cupiscentia *in se* est malum *physicum* seu naturalis humanæ naturæ imperfectio: in praesenti vero ordine est quoque malum *poenae* consequens culpam originalem, ac malum physicum *attingens morale* quatenus ad peccatum inclinat [1]. Porro donum *integritatis* primo homini collatum fuisse docet Trid. [2], quod ait Christum restituisse quidem quod in primo parente perdidimus, « remanere tamen in « baptizatis *concupiscentiam* vel *fomitem*, quae cum ad agonem *relicta* « *sit*, nocere non consentientibus, sed viriliter per I. C. gratiam « repugnantibus non valet ». Et revera legitur Gen. [3]: « *Erat autem uterque nudus, Adam sc. et uxor eius, et non erubescebant* »: at post peccatum « *aperti sunt oculi amborum; cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata* »: et Deus: « *Quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti?* ». Ex quibus sic: Adam et Eva ante peccatum nullam ex nuditate patiebantur erubescentiam, quam tamen statim post peccatum experti sunt. Atqui erubescentia, de qua hic agitur, est effectus concupiscentiae: ergo ante peccatum erant a concupiscentia immunes. Ad rem Chrysostomus [4]: « Usque ad praevaricationem quasi angeli in paradiso versa- « bantur, non concupiscentiis flagrantes. Peccato enim nondum prae- « sente, gratiâ, quae superne venerat, vestiti erant et ideo non « erubescebant ».

Prob. 2. pars — Praenota : — a) mors est homini *naturalis* ex parte corporis quod, cum contrariis elementis constet, est corruptioni obnoxium — b) est *violenta* si venit a causa extrinseca, ut ex. gr. igne, aqua, ense — est *naturalis* si causatur ab intrinseco idest vel ex defectu convenientis alimenti vel ex humorum elementorumque discordia. Porro — c) protoparentes a morte *violenta* praeservabantur per providentiam peculiarem Dei, a morte autem *naturali* tum per fructus arborum paradisi ne alimenta deessent [5] — tum per perfectam humorum elementorumque contemperationem ne in discordiam devenirent — tum praesertim per *lignum vitae* quod erat in paradiso: unde Deus emisit Adam peccatorem de paradiso voluptatis et collocavit ante paradisum Cherubim: « *ne forte mittat manum suam et sumat de ligno vitæ et comedat et vivat in æternum* » [6].

Porro Deum creasse hominem *immortalem* est *de fide catholica* ex Trid. [7]: « Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum man- « datum Dei in paradiso fuisset transgressus ..... incurrisse per of-

1. cfr. Trid. sess. 5. cn. 5. — 2. ib. cp. 5. — 3. Gen. II. 25. - III. 7. 11. — 4. in Gen. hom. 15. n. 4. — 5. Gen. II. 16. — 6. Gen. III. 22. sqq. — 7. sess. 5. cn. 5. - cfr. prop. 78. in Baio damn. a Pio V. Const. *Ex omnibus afflictionibus* a. 1557.

« fesam praevaricationis mortem, quam antea illi comminatus fuerat « Deus .... A. S. ». Et sane ita Deus allocutus est Adam [1]: « *In quocumque die comederis ex eo* (sc. ex ligno scientiae boni et mali) *morte morieris* » h. e. mortalis efficieris. Ex quibus ita: Deus in pœnam praevaricationis comminatus est mortem Adamo: ergo si Adam praevaricatus non esset, mortem non cognovisset. Atqui hic sermo est de morte corporis: ad hanc enim Deus damnavit Adam post peccatum [2]: « *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris* ». Hinc ait Apostolus [3]: « *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit* ».

Prob. 3. pars — Protoparentes in prima sui conditione immunes fuisse ab aerumnis doloribusque quibus nos subiicimur, satis aperte indicat locus, in quo constituti sunt, qui dicitur *paradisus voluptatis*. In quod advertit Chrysostomus [4]: « Non simpliciter dixit in *horto*, « sed apposuit *voluptatis*, ut excellentem voluptatem, qua fruiturus « esset inhabitando, nobis declararet ».

504. **Conclusio III.** « *Recensita bona iustitiae originalis fuerunt humanae naturae indebita* » (n. 373-374) — Conclusio est contra Lutherum, Baium, Iansenium, Quesnellum, qui contendunt illa dona fuisse *naturalia* et *debita* [5]. *Prob.* — a) *quoad gratiam sanctificantem*. Effectus enim formales gratiae sanctificantis, uti proprio loco demonstratur, sequentes sunt: — α) *deificatio* seu naturae divinae participatio [6] — β) *filiatio* divina adoptiva [7] — γ) *amicitia* cum Deo [8] — δ) *haereditas* ipsius Dei et cohaereditas cum Christo [9]. Atqui deificatio, adoptio divina et amicitia cum Deo superant cuiusvis creaturæ exigentiam, tum quia omnis creata natura est essentialiter *serva* respectu Dei, tum quia illa tria secum ferunt bonorum divinorum communitatem necnon quamdam cum Deo *aequalitatem* : ergo — Item licet debita esse possit creaturae aliqua merces, nunquam tamen ius habere potest ad haereditatem Dei, ad participationem gaudii Dei, ad cohaereditandum cum Christo qui est *naturalis* filius Dei [10].

b) *quoad donum integritatis*. Naturale est homini per appetitum sensitivum ferri in bonum sensibile, per rationem vero in bona quæ rationali suae naturae conveniunt. Atqui exinde naturaliter oritur

1. Gen. II. 17. — 2. Gen. III. 19. — 3. Rom. V. 12. cfr. Sap. II. 23 - 1. Cor. XV. 21. — 4. in. Gen. hom. 14. — 5. cfr. propp. Baii 9. 21. 23. 24. 78. - prop. 16. pistoriensium - prop. 35. Quesnelli. — 6. 2. Pet. I. 4. — 7. 1. Io. III. 1. — 8. Trid. sess. 6. c. 7. — 9. Rom. VIII. 17. — 10. Quod argumentum contra Ripalda demonstrat gratiam sanctificantem indebitam esse cuilibet creatae et *creabili* creaturae.

conflictus, quo caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem: ergo *concupiscentia* est homini *naturalis*, immunitas ab ipsa donum *praeternaturale*.

c) *quoad donum immortalitatis*. Mors est vel *naturalis* vel *violenta*. Atqui indebita est homini exemptio a morte *naturali*, quia homo ex parte materiae est naturaliter corruptibilis — indebita exemptio a morte *violenta*, quia hæc postulat specialem providentiam, quam probari nequit esse homini debitam: ergo.

d) *quoad cetera dona*. Revera — α) Si homo est naturaliter mortalis, cur non erit ceteris quoque malis subiectus, quæ indicia, initia atque causae existunt futurae mortis? Ergo indebita est ipsi *impassibilitas*. Item — β) si gratia sanctificans est humanae naturae indebita, virtutes quoque ipsam concomitantes, quibus perfecta rectitudo in voluntate comparatur, erunt ipsi indebitae. Excipimus — γ) insignem scientiam ob rationem suo loco (n. 502) allatam. Ad rem igitur s. Athanasius: « Praecepti transgressio illos *ad propriæ naturæ conditionem* revocavit » [1].

505. **Conclusio IV.** « *Status ergo purae naturae censeri debet possibilis* » (n. 375) — Haec conclusio est contra Theologos *augustinenses*, qui distinctione facta inter Dei potentiam *absolutam*, quo nomine intelligunt divinam potentiam seorsim a sapientia, iustitia et misericordia, et *ordinatam* quam intelligunt eandem divinam potentiam cum aliis attributis coniunctam, statuunt, dona iustitiae originalis, utut supernaturalia, non potuisse homini deesse in prima sui conditione, ideoque dicunt statum *puræ naturæ* possibilem quidem fuisse de potentia Dei *absoluta*, minime vero de potentia *ordinaria* seu *ordinata*. At perperam. Prostat enim propositio 55. in Baio damnata sic sonans: « Deus non potuisset talem ab initio creare « hominem, qualis nunc nascitur ». Ex quo ita: in doctrina catholica Deus potuisset hominem creare prouti nunc nascitur h. e. destitutum donis iustitiae originalis. Atqui in sententia adversariorum Deus *nullo modo* potuisset ita creare hominem: ergo — *Prob. min.* Est *absolute* impossibile ut Deus agat contra sua attributa ideoque *insipienter, iniuste, inique:* hinc Apostolus [2]: « *Deus seipsum negare non potest* ». Atqui in sententia adversariorum status purae naturae Dei sapientiae, iustitiae et bonitati adversatur: ergo. Idcirco non videmus quomodo haec sententia a damnata haereticorum doctrina discedat — Quod argumentum ostendit — a) distinctionem inter potentiam Dei *absolutam* et *ordinatam*, qualis ab his theologis intelligitur, admitti non posse. Idcirco — b) solum admittenda est distinctio potentiae *absolutae* et *ordinariae* prouti communiter a Theologis

1. De Inc. n. 4. — 2. 2. Tim. II. 13.

intelligitur, quatenus potentia Dei *absoluta* est divina potentia nondum alicui libero decreto alligata, *ordinaria* vero eadem potentia iam determinata per libera voluntatis decreta ad hoc potius quam ad illud agendum.

CAPUT V.

De humanae naturae lapsu.

ARTICULUS I.

De personali protoparentum lapsu.

506. **Ecclesiae doctrina** (n. 377) — Exordium sumimus a Conc. Trid. quod de personali protoparentum peccato statuit [1]: « Si quis « non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in « paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et iustitiam in qua « constitutus fuerat amisisse, incurrisseque per offensam praevarica- « tionis iram et indignationem Dei, atque ideo mortem quam illi « antea comminatus fuerat Deus et cum morte captivitatem sub eius « potestate, qui mortis deinde habuit imperium h. e. diaboli, totumque « Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et « animam in deterius commutatum fuisse A. S. ». Ex qua doctrina tria lemmata sequuntur.

507. **Lemma I.** (n. 378) — « *Deus verum praeceptum protoparentibus imposuit* » — Legitur quippe Gen. [2]: « *Praecepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris* ». Atqui vox *praeceptum* in sensu litterali veram *legem* significat, obligationém inducentem in conscientia: ergo. Hinc adiicitur comminatio pœnæ, quæ pariter legem supponit.

508. **Lemma II.** (ib.) — « *Protoparentes praeceptum transgressi graviter peccarunt* ». Quod — a) præceptum transgressi fuerint, patet ex Gen. [3]: « *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, pulchrum oculis aspectuque delectabile: et tulit de fructu illius et comedit deditque viro suo, qui comedit* ». Quod — b) haec transgressio fuerit *formale* peccatum, aperte ostendunt cognitio praecepti ac libertas in illo transgrediendo, quae sane in protoparentibus non deerant. Quod — c) peccatum illud *grave* fuerit, liquet, ceteris

1. sess. 5. cn. 1. — 2. Gen II. 16. — 3. Gen. III. 6.

omissis, ex *gravitate poenae* quam Deus comminatus fuerat. Quod si quaeritur — d) cuius speciei peccatum illud fuerit, communis tenet fuisse *superbiam* iuxta illud [1]: « *Initium superbiae hominis apostatare a Deo* ». Peccavit autem superbiâ « *principaliter* appetendo similitudinem Dei quantum ad scientiam boni et mali, sicut serpens ei « suggessit, ut sc. per virtutem propriae naturae determinaret sibi « quid esset bonum et quid esset malum ad agendum: *secundario* « appetendo similitudinem Dei quantum ad propriam potestatem « operandi, ut sc. virtute propriæ naturæ operaretur ad beatitudinem « consequendam » [2].

509. **Lemma III.** (ib.) — « *Homo peccando a supernaturali statu excidit* ». Sane — a) statim amisit *gratiam* cum virtutibus *et ius ad æternam beatitudinem:* nam ait Apostolus [3]: « *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quae societas lucis ad tenebras?* ». Amisit — b) donum *integritatis* et *immortalitatis*, uti ostendunt Scripturæ testimonia supra relata n. 503. Amisit — c) donum *impassibilitatis*, uti ostendunt verba Domini ad Evam [4]: « *Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos: in dolore paries filios et sub viri potestate eris et ipse dominabitur tui* »: Adamo vero dixit: « *In sudore vultus tui vesceris pane* ». Per horum vero donorum amissionem totus homo secundum corpus et animam in deterius commutatus fuisse dicitur.

ARTICULUS II.

De peccato originali.

510. **Ecclesiæ doctrina** (n. 379) — Docet Trid. [5]: « Si quis Adae « praevaricationem sibi soli et non eius propagini asserit nocuisse, et « acceptam a Deo sanctitatem et iustitiam, quam perdidit, sibi soli « et non nobis etiam eum perdidisse: aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum mortem et poenas corporis tantum in omne « genus humanum transfudisse, non autem et peccatum quod mors « est animae A. S.; quum contradicat Apostolo dicenti: *Per unum « hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors et ita « in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* ». « Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, et propagatione, « non imitatione transfusum, inest unicuique proprium, vel per humanae naturae vires vel per aliud remedium asserit tolli, quam « per meritum unius mediatoris D. N. I. Christi A. S. ». Hoc peccatum, quod in posteris Adae generatione propagatur, dicitur *origi-*

1. Eccli. X, 14. — 2. s. Th. 2. 2. q. 163. a. 2. — 3. 2. Cor. VI. 14. — 4. Gen. III. 16. — 5. sess. 5. cn. 2. 3.

nale quia a nativitate illud contrahimus. Solet autem distingui peccatum *originale originans*, quod est personalis Adami lapsus, et *originatum* quod est in eius posteris; et de hoc procedit quaestio.

511. **Errores** (n. 381) — Negarunt peccatum originale saec. V. ineunte Pelagius, Coelestius et Theodorus mopsuestenus, secundum quos peccatum Adami suis quoque posteris nocuit non *propagatione*, sed *imitatione*, quatenus qui peccant, Adamum *imitantur:* idcirco iuxta ipsos mors et concupiscentia non habent rationem *penae*. Eorum rationes praecipuae [1] erant: — a) si Adae peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo etiam iustitia Christi non credentibus prodest — b) si Baptismus ab hoc peccato mundat, ergo qui de duobus baptizatis nascuntur debent hoc carere peccato — c) si anima non est ab Adamo, ergo ipsa non inquinatur per Adamum — d) iniustum est Deum peccatum alienum nobis imputare. Sit ergo sequens

512. **Conclusio unica** — « *Adæ prævaricatio non sibi soli, sed eius quoque nocuit propagini, quatenus peccatum suum cum suis sequelis in totum genus humanum transfudit* » (n. 383-387) — Conclusio est *de fide catholica.*

1) Locus classicus est cp. 5. Rom. a v. 12. ad 19.: « *12. Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt: 13. Usque ad legem* (intellige mosaicam) *enim peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. 14. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae qui est forma futuri. 18. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae. 19. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem iusti constituentur multi* ». Quot incisa, tot argumenta — a) « *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* ». Ex quibus ita: tam late patet peccatum, quam late patet mors. Atqui mors plane *universalis* exhibetur: ergo et peccatum. Atqui infantes quoque sunt morti obnoxii et moriuntur: ergo et ipsi peccato inficiuntur. Atqui non peccato proprio actuali, non peccato *imitationis:* ergo inficiuntur peccato *propagationis*, quod in origine contrahunt — b) « *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur cum lex non esset. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae qui est forma futuri* ». Adverte nomine *peccati*

1. ex s. Aug. *De pecc. mer. et. remiss.* l. 3. c. 2.

heic designari peccatum *actuale*, quod utique patratur in similitudinem praevaricationis Adae: nomine autem *legis* designari legem *divino-positivam* datam per Moysem, ideoque sermonem hic esse de imputatione peccati non *theologica*, sed solummodo *legali* sc. in ordine ad poenam subeundam a Lege sancitam. Quibus animadversis sic arguimus: mors in omnes homines regnat ut sequela peccati (v. 12.): atqui non regnat ut sequela peccati *actualis*, quia regnat *in eos quoque qui non peccant in similitudinem praevaricationis Adae* h. e. peccato *proprio* et *actuali:* ergo regnat ut sequela peccati *communis*, quod cum infantes quoque inficiat, excogitari aliud nequit quam peccatum *originis* — c) « *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae* ». Quare: omnes condemnantur per unius Adami delictum. Ergo omnes *eiusdem culpae* rei sunt, quae cum ab infantibus quoque contrahatur, nonnisi *generatione* contrahi dicenda est — d) « *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem iusti constituentur multi* ». Quare: teste Apostolo, ita homines constituuntur peccatores per Adami inobedientiam, sicut per Christi obedientiam iusti. Atqui homines constituuntur iusti per Christi obedientiam quatenus *regenerantur*. Ergo et peccatores constituuntur per Adami inobedientiam ipsâ naturali *nativitate* [1].

2) Accedit sensus traditionalis christianae antiquitatis, ad quem probandum ad *unam* appellamus antiquam, universalem, constantem Ecclesiae fidem de Baptismi necessitate. Semper enim creditum est Baptismum conferri in *remissionem peccatorum* [2]: « *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine I. C. in remissionem peccatorum* »: ergo et parvuli, qui eodem ritu eademque forma baptizantur qua adulti, peccatum habent a quo indigent purgari. Atqui non peccatum *actuale:* ergo peccatum in origine contractum.

513. **Quaestio I.** *Quae sunt damnatae sententiae circa naturam peccati originalis?* (n. 389) — Tres recenseri possunt. *Prima* est lutheranorum et calvinistarum, iuxta quos peccatum originale consistit *in concupiscentia*, quam Deus ante Baptismum quidem nobis imputat ad culpam, minime postea. A qua sententia vix discedit opinio Hermesii [3], rationem peccati originalis reponentis *in dispositione ad concupiscentiam inordinatam*.. At contra: dogma catholicum est per Baptismum vere et proprie tolli peccatum originale, dicente Apostolo: « *Nihil damnationis est iis qui sunt cum Christo Iesu* ». Atqui in

1. cfr. ex Scriptura veteri Iob. XIV. 1. - Ps. 50. — 2. Act. II. 32. — 3. cfr. Breve Gregorii XVI. *Dum acerbissimas* 26 sept. 1835 ubi damnans opera Hermesii atro stigmate notat quæ Auctor de peccato originali disputat.

renatis remanet concupiscentia : ergo non est ipsa originale peccatum — *Secunda*, cuius meminit s. Anselmus [1] quamque renovarunt Albertus Pighius et Ambrosius Catharini, dicit peccatum originale nil esse aliud quam externam imputationem peccati personalis Adæ. At haec sententia adversatur Conc. Trid. (n. 510) docenti peccatum originis *inesse unicuique proprium :* ergo non est peccatum *alienum* nobis imputatum — *Tertia* sententia est Rosminii, iuxta quem peccatum originale *radicaliter* consistit *in physica quadam infectione carnis*, at vero *formaliter* situm est *in pronitate ad malum* et *in concupiscentia*. Scilicet iuxta Rosminium — a) fructus, protoparentibus vetitus, erat *ex se* nocivus [2] quia in ipso latitabat daemon! (prop. damn. 33.): — b) deinde sumptus fructus ille carnem hominis infecit seu maculavit, caro autem dum animae coniungitur ipsam quoque inficit, atque huiusmodi carnis et spiritus physica infectio producit pronitatem voluntatis ad malum, quæ maxime viget ex concupiscentia. Idcirco — c) peccatum originale *radicaliter* consistit *in physica infectione carnis*, at *formaliter* in illa *pronitate ad malum et in concupiscentia*, quae ante Baptismum quidem habent rationem peccati, minime autem *in renatis*, quibus illae non amplius imputantur. Hinc — d) in rosminiana doctrina peccatum originale *generatione* propagatur, quia generatione propagatur caro, quae physice in se infecta animam inficit. Contigit vero — e) ut daemon primum hominem per esum ligni vetiti ingressus, ex oblivione vel inadvertentia particulam seminis incorruptam reliquerit. Haec incorrupta transmittitur de generatione in generationem usque ad parentes b. Virginis — corpus Deiparae ex illa non infecta particula formatur — caro ergo Virginis dum animae coniungitur non ipsam maculat — Beata Virgo immaculata concipitur! (prop. 34). En quanta levitate dogmata tam carum catholicis a Rosminio exponitur! Collige ergo ex his Rosminium restaurare lutheranam et calvinisticam haeresim a Concilio Tridentino proscriptam.

514. **Quæstio II.** *Quae est ergo nostra sententia circa naturam peccati originalis?* (n. 391) — Doctrina nunc fere communis statuit « peccatum originale consistere in privatione gratiae sanctificantis in « nobis inducta per actum peccati a primo parente libere commissum ». Quae doctrina sic illustratur et simul probatur — a) Peccatum gene-

1. De conc. Virg et pecc. orig. cc. 23. 26. — 2. Angelicus e contra docet opusc. 2. c. 188.: « Eius ligni esus non ideo prohibitus est quia secundum se « malus esset, sed ut homo saltem in hoc modico aliquid observaret ea sola ra- « tione quia esset a Deo praeceptum ». Idem tradunt Augustinus De civit. Dei l. 14. c. 12. - s. Theophilus antioch. ad Aut. l. 2. n. 35. - Chrysosthomus hom. 16. in Gen.

ratim aliud est *actuale*, aliud *habituale*: illud situm est in libero actu transgressionis alicuius praecepti, istud vero est status perseverans aversionis a Deo ultimo fine, sub displicentia et improbatione Dei. In praesenti vero ordine — b) homo tunc est ad Deum *conversus* quum gratia sanctificante exornatur, tunc *aversus* quum illâ destituitur. Quare peccatum *habituale* consistit in privatione gratiae sanctificantis. Porro — c) peccatum originale rationem habet peccati *habitualis*: non enim est actus a nobis commissus. Ergo reponendum est in privatione gratiae sanctificantis inducta per peccatum primi parentis. Revera — α) Baptismus institutus est ad delendum peccatum originale: atqui Baptismus hoc delet peccatum per gratiam quam confert.: definit enim Trid. [1]: « Si quis per I. C. D. N. gratiam quae in Ba- « ptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam « asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati ratio- « nem habet; sed illud dicit tantum radi aut non imputari A. S. ». Ergo gratiae privatio maculam constituit originalis culpae. Praeterea — β) ex Conc. Arausicano II. (can. 2.) peccatum originale est *mors animae*: atqui in praesenti ordine mors animae est privatio gratiae sanctificantis, sicut eius vita est gratia: ergo. Item — γ) quid sit originale peccatum melius intelligi nequit quam per oppositionem ad iustitiam originalem cuius est privatio. Atqui inter dona iustitiae originalis nullum est *praeter gratiam sanctificantem*, cuius privatio hominem a Deo avertat: ergo [2].

515. **Quaestio III.** *Quae ratio voluntarii peccato originali inest?* (n. 392) — Advertendum est rationem voluntarii diversimode reperiri in peccato actuali et habituali; illud enim voluntarium est *ratione sui*, istud vero per relationem ad peccatum actuale cuius est effectus. Porro — a) peccatum originale non est voluntarium *voluntate parvuli habituali* prouti contendebat Baius in prop. 48. in ipso damnata: « Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium et « habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium « voluntatis arbitrium ». Eatenus enim id posset affirmari, quatenus esset in parvuli potestate contrariam gerere voluntatem. Atqui falsa conditio: ergo et conditionatum. Neque — b) voluntarium dici potest prae voluntate ipsius parvuli, quatenus, ut explicant nonnulli, Deus pro iure supremi dominii voluntates omnium hominum transtulerit in voluntatem Adami easque *per fictionem iuris* in ea inclusserit, adeo ut *secundum moralem æstimationem* omnes tunc cum Adamo peccaverint. Nam, praeterquamquod haec hypothesis est prorsus *gratuita*, adverti

1. sess. 5. cn. 5. — 2. quam argumentationem adhibuit Angelus Paschalis episc. motulensis in congreg. praevia Conc. Trid. 21 maii 1546 uti, refert Pallavicini l. 7. c. 8 - cfr. s. Th. 2. sent. dist. 30. a. 2. - 1. 2. q. 82. a. 3.

praeterea debet voluntatem, quae nondum existit, nullo modo agere ac propterea nullo modo peccare posse. Superest ergo — c) ut sit voluntarium *mediate* et *relative* prae voluntate Adami *capitis naturae*. Revera peccatum habituale eatenus est voluntarium, quatenus relationem habet ad peccatum actuale. Atqui praeter peccatum actuale Adami aliud excogitari nequit quod sit causa peccati originalis: ergo. Hinc patet relationem ad peccatum Adae esse *intrinsecam* peccato originali eique *essentialem*.

516. **Quaestio IV.** *Quomodo propagari concipitur peccatum originale?* (n. 393) — Duplex est quæstio præsens. *Prima* est: quomodo fieri potuit ut *uno* peccante *omnes* constituti fuerint peccatores? — En doctrina quam ad rem tradit Angelicus [1] — a) Adam sicut erat *physicum principium* totius humanae naturae ab ipso propagandae, ita a Deo constitutus est *caput morale* seu *iuridicum* quoad propagationem iustitiae originalis. Idcirco — b) sicut servata iustitia originali in capite, omnia membra in hac iustitia nata essent; sic illâ in capite amissâ, eius posteri ea destituti nascuntur et ita peccatores constituuntur. Ad id vero — c) necessaria quidem erat *positiva divina institutio*, at nullo modo necessarium est admittere pactum Deum inter et Adamum initum, quo Adam veluti acceptaverit sub tali conditione dona innocentiæ, uti nonnulli contendunt — *Altera* quæstio est: quanam veluti causa efficienti *proxima* singuli homines originali peccato inquinentur? Suntne *parentes?* — Ratio dubitandi est quia peccatum hoc *generatione propagari* dicitur, ex quo sequi videtur causam generationis esse quoque causam peccati. At hoc dictum: *peccatum generatione propagatur:* nil aliud significat quam *per generationem haberi subiectum peccati* idest *individuum illius naturae, quae in Adamo, sicut in radice, vitiata est*. Quare causa *unica* propagationis peccati est libera transgressio Adami. Unde recte Angelicus [2]: « Humana natura traducitur a parente in filios per tradu- « ctionem carnis, cui postmodum anima infunditur; et ex hoc infe- « ctionem incurrit, quod fit cum carne traducta una natura. Si enim « non uniretur ad constituendam unam naturam, sicut angelus non « unitur corpori assumpto, infectionem non acciperet ».

517. **Quaestio V.** *An propagatio peccati originalis divinis attributis adversetur?* (n. 394) — Est perpetua rationalistarum obiectio, divinae iustitiae et bonitati repugnare ut, uno peccante, omnes peccatores constituantur omnesque puniantur. At advertatur — a) unum peccare et omnes constitui peccatores, omnes puniri, nil aliud significat quam homines per peccatum Capitis privari bonis *indebitis*, subiici vero malis, a quibus exemptio non est naturae humanae debita. Quod

1. 1. 2. q. 80. a. 1. - De malo q. 4. a. 1. — 2. De pot. q. 3. a. 9. ad 3.

illustrant Theologi exemplo principis, qui subditum eiusque posteros honoribus gratuitis privat propter grave crimen, quod ipse in principem commiserit. Ceterum — b) nonne iuxta rei veritatem canit Ecclesia: *O felix culpa! O vere necessarium Adae peccatum? Superabundavit enim gratia ubi abundavit delictum* [1].

ARTICULUS III.

De sequelis peccati originalis.

518. **Iustitiae originalis amissio** (n. 395) — Quoniam cum gratia connexa erant dona supernaturalia et iustitiae originalis, idcirco sequela peccati fuit illorum donorum amissio. Hinc homo amisit — a) in ordine *theologico* ius ad finem supernaturalem — b) in ordine *ethico* rectitudinem in voluntate ac donum integritatis — c) in ordine *physico* donum immortalitatis, impassibilitatis insignemque felicitatem. Denique — d) humanum genus devictum daemonis *captivitatem* incurrit ac totus homo, uti docet Tridentinum [2], secundum corpus et animam in deterius commutatus fuit.

519. **Liberum arbitrium mansit** (n. 396) Est dogma fidei contra lutheranos et iansenianos: « Si quis liberum hominis arbitrium post « Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de « solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a satana in« vectum A. S. » [3]. Re quidem vera — a) saepe Scriptura memorat praecepta, consilia, exhortationes, promissiones, minas etc..... Atqui uti bene arguit Augustinus [4] « sublata libertate omnis humana vita « subvertitur, frustra leges dantur, frustra obiurgationes, laudes, vi« tuperationes, exhortationes adhibentur, nec ullâ iustitiâ bonis præ« mia, malis supplicia constituta sunt »: ergo. Idem — b) testatur iugis nostra experientia. Nec refert — c) quod Conc. Trid. [5] docet per peccatum Adae liberum arbitrium fuisse *viribus attenuatum et inclinatum;* sensus enim est, exercitium virtutis per amissionem donorum iustitiae originalis factum fuisse difficile.

520. **Homo per peccatum homo spoliatus est gratuitis et vulneratus in naturalibus** (n. 397) — Quæritur ergo in quo consistit *illud vulnus naturæ* a peccato illatum. Respondet imprimis Angelicus [6] quatuor esse vulnera nobis per peccatum inflicta sc. *ignorantiæ* in ratione, *malitiæ* in voluntate, *infirmitatis* in irascibili, *concupiscentiae* in concupiscibili. Haec autem naturae vulneratio, iuxta senten-

1. Rom. V. 15. - cfr. s. Th. *Comp. theol.* c. 195. — 2. sess. 5. cn. 1. — 3. Trid. sess. 6. cn. 5. - cfr. prop. 5. Iansenii. — 4. De civ. Dei l. 5. c. 9. — 5. sess. 6. c. 1. — 6. 1. 2. q. 85. a. 3.

tiam quam sequimur, nil aliud est quam donorum iustitiae originalis amissio, per quae totus homo recte componebatur in se et in ordine ad Deum: « Ex peccato originali sequitur aliqua inclinatio in actum « inordinatum non directe, sed indirecte sc. *per remotionem prohi-* « *bentis* idest originalis iustitiae, quae prohibebat inordinatos motus » [1]: idcirco « destitutio originalis iustitiae *vulneratio naturae* dicitur » [2]. In hac igitur sententia homo in statu naturae lapsae differt ab homine in statu naturae purae non *re* sed *consideratione* tantum, sicut homo *spoliatus* ab homine *nudo* sc. quatenus mala quae in statu naturae purae rationem habuissent solummodo *defectuum* naturam consequentium, in praesenti statu habent quoque rationem poenae.

Appendix

De receptaculis animarum post mortem.

521. **Mors - iudicium** (n. 398-399) — Mors in præsenti providentiæ ordine est *sequela peccati* (n. 503) — est plane *certa* ac *semel* tantum obeunda [3] — ventura *tempore incerto* [4] — finem imponens *statui viæ* sc. tempori merendi et demerendi [5] — plane *universalis* [6] — Mortem statim excipit *iudicium particulare* quod est examen et sententia, qua Deus unicuique secundum opera sua præmium vel poenam decernit. Constat — a) ex Apostolo [7]: « *Statum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium* »: necnon — b) ex ratione theologica. Animae enim statim post mortem praemium vel poenam recipiunt : atqui sententia supponit iudicium: ergo [8].

522. **Receptacula animarum** (n. 400) — Morientium animae destinantur vel ad *paradisum* seu aeternam beatitudinem — vel ad *infernum* — vel ad *purgatorium* — vel ad *limbum* ; quae quatuor loca animarum receptacula appellantur. De prima sede iam supra [9] disputavimus: nunc de tribus aliis receptaculis.

§ 1. — Infernus.

523. **Quatuor de fide catholica** (n. 401) — Nomen *inferni* speciatim ac *communiter* designat locum *damnatorum* idest locum suppliciorum [10]. De hoc damnatorum inferno *quatuor* sunt *de fide catholica* nempe — a) infernum existere — b) damnatorum animas statim

1. 1. 2. q. 82. a. 1. — 2. 1. 2. q. 85. a. 3. — 3. Hebr. IX. 27. — 4. Matth. XV. 13. — 5. Io. IX. 4. — 6. Rom. V. 12. — 7. Hebr. IX. 27. — 8. cfr. s. Th. Suppl. q. 88. a. 1. ad. 1. — 9. tract. 4. p. 1. c. 2. a. 2. — 10. cfr. s. Th. in 3. dist. 22. q. 2. a. 1. q.cla 2.

post mortem in infernum detrudi — c) poenas quidem dispares esse pro delictorum diversitate, at — d) omnes in aeternum duraturas. *Tria priora* definivit Conc. Flor. [1]: « Definimus illorum animas, qui « in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in in- « fernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas » — *quartum* continetur in symbolo athanasiano: « Qui bona fecerunt ibunt in vitam aeternam, qui vero mala in ignem aeternum ».

524. **Poena damni et sensus** (n. 402) — Duplicem poenam ponunt Theologi in damnatis sc. poenam *damni* quae in privatione visionis summi boni continetur — poenam *sensus* quo nomine intelligitur quaevis poena positiva, quae damnatis divinitus infligitur præter poenam *damni*. Praecipuum instrumentum poenae sensus recenseetur *ignis*, quem Origenes, Calvinus, Beza et ex catholicis Ambrosius Catharinus dicunt esse *metaphoricum*, quatenus sc. symbolo ignis exprimitur *generatim* gravitas poenarum, *speciatim* vero designantur stimuli conscientiae ac desperatio, quemadmodum etiam per metaphoram *vermis;* communis tamen sententia et fidelium sensus tenet esse *verum* et *proprium*, quamvis non prorsus eundem cum nostro igne. Sint ergo seqq. conclusiones.

525. **Conclusio I.** « *Ratione ipsa certum est existere infernum* » (n. 403) — Scripturae auctoritate praetermissa, quam increduli non verentur, uno utimur argumento quod Chrysostomus ex divina iustitia sic derivat [2]. « Iustus est Deus: omnes fatemur et graeci et « iudaei et haeretici et christiani. At hinc multi qui peccaverunt, « abierunt impune: multi qui cum virtute vixerant, tum demum « abierunt cum sexcentas subiissent calamitates. Ergo si iustus est « Deus, ubinam his quidem praemia, illis vero supplicia tribuet, si « non est gehenna (locus ignis), si non est resurrectio? ». Idcirco s. Iustinus [3] docet, ex negatione inferni sequi « vel Deum non esse, « vel si sit, nullam hominum curam gerere nec quidquam esse vir- « tutem et vitium, et inique a legumlatoribus puniri qui praeclara « instituta transgrediuntur » [4].

526. **Conclusio II.** « *Animae in peccato decedentes — 1° in infernum statim descendunt — 2° imparibus poenis cruciandae* (n. 404-405).

Prob. 1. pars — ex Luca [5]: « *Factum est autem ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem dives et sepultus est in inferno. Elevans autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe et Lazarum in sinu eius, et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei et mitte La-*

1. Decr. *Unionis* - idem definiverat Benedictus XII. in Const. *Benedictus Deus*. — 2. in ep. ad Phil. hom. 6. n. 6. — 3. Apol. 2. n. 9. — 4. cfr. s. Th. c. d. l. 3. c. 140. — 5. Luc. XVI. 22.

zarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma ». Hinc ad rem s. Hilarius [1]: « Excipit impios *statim* ultor infernus et decedentes de corpore con« festim de via iusta peribunt. Testes nobis sunt evangelii dives et « pauper ».

Prob. 2. pars — « Ignis ille, ait Angelicus [2], erit instrumentum « divinae iustitiae punientis. Instrumentum autem non solum agit « in virtute propria et per proprium modum, sed etiam in virtute « principalis agentis et secundum quod est regulatum ab eo. Unde « quamvis ignis secundum propriam virtutem non habeat quod ali« quos cruciet secundum magis vel minus secundum modum peccati, « habet tamen secundum quod eius actio modificatur ex ordine di« vinae iustitiae ». Idcirco legitur Apoc. [3]: « *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum* »: et s. Gregorius M.: « Sicut in hoc mundo sub uno sole multi consistunt, nec tamen « eiusdem solis ardorem aequaliter sentiunt; ita illic in uno igne non « unus est modus incendii; quia quod hic diversitas corporum, hoc « illic diversitas peccatorum, ut et ignem non dissimilem habeant et « tamen eosdem singulos dissimiliter exurat » [4].

527. **Conclusio III.** « *Fide et ratione constat poenas inferni esse aeternas* » (n. 406-408). *Prob.* — a) ex Scriptura, ubi Christus ait [5]: « *Ibunt isti in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam* ». Ex quibus ita Augustinus [6]: « Christus in una eademque sententia « dicit: *Ibunt isti etc...* Si utrumque *aeternum,* profecto aut utrumque « cum fine diuturnum aut utrumque sine fine perpetuum intelligi « debet; par pari enim relata sunt. Hinc supplicium *aeternum,* inde « vita *aeterna.* Dicere autem in hoc uno eodemque sensu vitam « aeternam *sine fine* futuram, supplicium aeternum *finem* habiturum, « multum absurdum est ». Item de poenis damnatorum legitur [7]: « *Vermis eorum non moritur et ignis non extinguitur* ». In quae iterum Augustinus [8]: « Qualiscumque poena significata sit nomine « *vermis* atque *ignis*, certe si non morietur, si non extinguetur, *sine* « *fine* praedicta est ». Idem dogma — b) cum sana ratione concordat. Ea enim docet convenire omnino ut proportio sit inter culpam et poenam. Atqui peccatum lethale quamdam habet infinitam malitiam ex infinita maiestate personae offensae: ergo « cum non possit esse « infinita poena per intensionem ..... requiritur quod sit saltem « duratione infinita » [9] — Item sana ratio docet convenire ut qui pro aeterno peccat, in aeternum puniatur. Atqui « qui in peccatum

---

1. in ps. 2. — 2. Suppl. q. 97. a. 5. ad 3. — 3. Apoc. XVIII. 7. — 4. Dial. l. 4. c. 43. — 5. Matth. XXV. 46. — 6. De civ. Dei l. 21. c. 23. — 7. Marc. IX. 43. — 8. Ad Oros. c. 7. — 9. cfr. s. Th. 1. 2. q. 87. a. 4.

« mortale labitur, se ponit in statu a quo erui non potest, nisi divinitus « adiutus; unde ex hoc ipso quod vult peccare, consequenter vult « in peccato manere perpetuo » [1]: ergo — Item docet sanctionem divinarum legum debere esse talem ut homines a peccato efficaciter deterrere valeat. Atqui talis est poena infinita, seu aeterna. Si enim nunc fides de poenarum aeternitate homines a peccando vix deterret, quid fieret hac veritate sublata? Quare s. Hieronymus [2]: « Evertit « penitus hoc dogma (Origenis negantis poenarum aeternitatem) « timorem Dei, dum homines facile labuntur ad vitia, putantes « etiam diabolum, qui auctor est et peccatorum omnium fons, actâ « poenitentiâ posse salvari ». Sequitur ex his *nullam in inferno esse redemptionem,* neque per *poenitentiam*, neque per aliorum *orationes*, neque per damnatorum *destructionem,* ut nonnulli sociniani opinati sunt, aut per universalem quamdam *restaurationem,* uti praeeunte Origene multi rationalistarum excogitarunt.

528. **Conclusio IV.** « *Damnati* — 1° *duplici poenae subiiciuntur sc. damni et sensus* — 2° *cuius praecipuum instrumentum est rerus ac proprius ignis* » (n. 409-411) — Conclusio est *theologice certa.*

Prob. 1. pars — Rem sic egregie probat Angelicus [3]: « Poena « proportionatur culpae, et ideo peccato actuali mortali, in quo « invenitur aversio ab incommutabili bono et conversio ad bonum « commutabile, debetur et poena damni sc. carentia visionis divinae, « respondens aversioni; et poena sensus, respondens conversioni ». Idcirco de poena *damni* legimus in Scripturis [4]: « *Discedite a me, maledicti* » — « *Nescio vos unde sitis: discedite a me omnes operarii iniquitatis* »: poenam autem sensus passim testantur Scripturae cum commemorant *tenebras inferni et vermem qui non moritur* [5]: « *Hi sunt quibus caligo tenebrarum reservatur* » — « *Quibus procella tenebrarum servata est in æternum* » — « *Vermis eorum non moritur* ». Hinc Auctor *de Imit. Christi* [6]: « Nullum vitium erit quod suum « proprium cruciatum non habebit. Ibi erit una hora gravior in « poena, quam hic centum anni in gravissima poenitentia ».

Prob. 2. pars — In Scripturis saepe fit mentio de igne inferni [7]. Atqui — a) nulla est ratio cur deseramus sensum *proprium* — b) quem potius omnia suadent — c) in quem conspirat Patrum consensus: ergo — *Prob. 1ma* Ratio potissima discendendi a sensu proprio esset apparens repugnantia, quod substantia spiritualis ab igne ma-

1. Suppl. q. 99. a. 1. — 2. In Ion. 3. — 3. De malo q. 5. a. 2. - cfr. c. 9. l. 3. q. 146. — 4. Matth. XXV. 41. - Luc. XIII. 27. - 1. Cor. VI. 9. — 5. Matth. XXII. 13. - 2. Pet. II. 17. - Iud. 13. - Marc. IX. 43. — 6. l. 1. c. 8. — 7. Ps. X. 7. - XX. 10. - Is. LXVI. 24. - Marc. IX. 44. - Matth. XIII. 42 - Apoc. XIX. 20 - Matth. XXV. 41.

teriali torqueatur. At sic ad rem ratiocinatur Lessius [1]: « si ignis « naturaliter per suum calorem potest affligere spiritum hominis me- « diante corpore (anima enim est principium sentiens mediante cor- « pore), cur idem ignis ut istrumentum Dei non poterit affligere « eundem spiritum sine ullo corpore medio? (virtus enim sentiendi « manet in anima post mortem). Corpus enim solum se habet ut « medium, per quod immediate calor spiritui applicatur, ut eius « praesentia vi sentiendi percipiatur. Deus autem non eget aliquo « medio, sed facile omnem medii effectum et defectum supplere « potest: ergo ». Praeplacet autem explicatio s. Thomae, qui docet [2] daemones et animas separatas ab igne torqueri per solam *alligationem* ad eundem ignem, in quo tamquam in carcere inviti teneantur, ita ut neque se inde liberare, nec libere actiones suas ponere possint, ubi et quomodo voluerint: unde maxime affliguntur — *Prob. 2um.* Suadet sensum proprium — α) frequens ignis repetitio, in omni genere loquendi, adeo ut desint verba quibus aptius *verus* ignis designetur. Homines autem de iis rebus, quas proprie significare possunt, non solent *semper* et *ubique* metaphorice loqui. Suadet — β) quod nunquam haec metaphora explicetur. Merito ergo sensus proprius præsumitur — *Prob. 3um* Patres ignem inferni corporeum esse tradunt. Sic Gregorius Nyss. [3]: « Cum ignem audis inferni, didicisti aliquem « a nostro diverso intelligere ex eo quod illi igni aliquid sit additum, « quod est in hoc. Nam ille quidem non extinguitur, hunc autem « multa sunt inventa quae extinguunt » — Gregorius M. [4]: « Ignem « inferni corporeum esse non ambigo » — Ephrem [5]: « Omnes debent « fateri et credere, saeculi illius (futuri) ignem hoc nostro longe « esse atrociorem » — Prudentius trecensis [6]: « Corporeum esse, « flammeum atque visibilem mixta obscuritate ignem gehennæ, omnes « orthodoxi omnino consentiunt » — Hugo a s. Victore [7]: « Veris- « sime auctoritate sacri eloquii et catholicae veritatis probatur testi- « monio corporali et materiali igne animas etiam nunc ante susce- « ptionem corporum cruciari ».

529. **Status moralis damnatorum** (n. 412) — Damnati — a) nunquam *salutarem poenitentiam* agere possunt: hinc legitur [8]: « *Quia non infernus confitebitur tibi neque mors laudabit te; non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam* ». Idcirco — b) nullum actum *moraliter* bonum peragere possunt ac propterea sunt *in malo obstinati*. Causa autem — c) obstinationis damnatorum in malo ex

1. De div. perf. l. 13. c. 30. — 2. c. g. l. 4. c. 90. - De verit. q. 26. a 1. - De an. a. 21. cfr. Suarez *De angelis* l. 8. c. 14. n. 26. — 3. Or. cath. c. 40. — 4. Dial. l. 4. cc. 28. 29. — 5. serm. exeg. tom. 2. p. 354. — 6. cont. Scot. Erig. c. 19. — 7. De sacram. l. 2. 16. c. 3. — 8. Is. XXXVIII. 18.

Deo est « non sicut faciente vel conservante malitiam, sed sicut non « largiente gratiam. Iustum est enim ut qui bene velle, dum possent, « noluerunt, ad hanc miseriam deducantur ut bene velle omnino « non possint » [1].

§ 2. — De purgatorio deque statu animarum decedentium cum solo peccato originali.

530. **Quid purgatorium** (n. 413) — *Purgatorii* nomine venit locus quidam expiationis in quo animae iustae, nondum perfecte mundae, reatum poenae temporalis exsolvunt antequam in coelum admittantur. Hunc locum negant protestantes, qui docent sola mortis amaritudine omnem reatum poenae exsolvi. At Trid. definivit [2]: « Si « quis dixerit, post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori « poenitenti ita culpam remitti, ut nullus remaneat reatus poenae « temporalis exsolvendae vel in hoc saeculo vel in futuro in Purga- « torio, antequam ad regna coelorum aditus patere possit A. S. ». Hinc

531. **Conclusio I.** « 1° *Purgatorium existit in quo* — 2° *animae detentae duplici poena affliguntur sc. damni et sensus* » (n. 414-419). Prima pars est *de fide catholica.*

Prob. 1. pars — a) ex Scriptura [3]: « *Facta collatione duodecim millia dracmas argenti misit* (Iudas) *Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium* »: et concludit: « *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur* ». Ex quibus sic: animae possunt in altera vita a *peccatis solvi* per fidelium suffragia. Atqui — α) eae certo non sunt animae inferni, in quo nulla est redemptio; neque — β) animae beatae utpote quae sunt perfecte mundae: ergo sunt animae in quodam statu medio positae seu in loco expiationis, qui locus merito dicitur *purgatorium.* Crescit autem huius argumenti vis, si consideretur factum hoc Iudae fuisse *solemne* et *publicum* — talem fuisse existimationem non solius Iudae, sed et totius populi iudaici — Iudam fuisse virum prudentem, acerrimum legum patriae restauratorem et vindicem. In idem — b) consentit sensus traditionalis Ecclesiae, qui constat praesertim *ex praxi orandi pro defunctis,* cuius praxis characteres sunt *antiquitas, universalitas* et *solemnitas.* Hinc s. Augustinus [4]: « orationibus Ecclesiae et sa- « crificio salutari et eleemosynis non est dubitandum mortuos adiu- « vari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum pec- « cata meruerunt. Hoc enim *a patribus* traditum *universa* observat « Ecclesia ». Denique — c) existentia Purgatorii est *postulatum rationis christianae.* Fieri enim potest ut animae iustae ex hac vita decedant obstrictae aliquo reatu vel poenae temporalis, vel culpae venialis. Atqui animae huiusmodi — α) coelum non ingrediuntur

1. s. Th. De verit. q. 24. a. 10. — 2. sess. 6. cn. 39. — 3. 2. Mach. XII. 43. — 4. serm. 172. n. 2.

immundae, cum *nihil coinquinatum ingrediatur regnum Dei* [1]: neque — β) in infernum damnatorum detruduntur, cum nullo inficientur peccato lethali: neque — γ) statim condonatur ipsis omne debitum, quod est arbitrarium dicere. Ergo admitti debet locus praevius *expiationis.*

Prob. 2. pars — In purgatorio admittendam esse — a) poenam *damni* evidens est eoipso quod non est *locus beatitudinis.* Esse admittendam — b) poenam *sensus* colligitur ex Conc. Florentino quod in decreto *unionis* dicit, illas animas *pœnis* purgari. Inter poenas sensus — c) adesse *verum* et *corporeum ignem* adeo inter se consentiunt Theologi ut Eugenius IV. sententiam hanc in decretum *unionis* recipere voluerit, nisi graeci obstitissent. Revera Patres bene multi de igne purgatorii intelligunt verba Apostoli [2]: « *Uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.... Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem* (spiritus) *salvus erit: sic tamen quasi per ignem* ». Quod spectat — d) poenarum gravitatem, docet s. Bonaventura [3] *maximam* purgatorii pœnam quamlibet huius vitæ pœnam superare; et Angelicus tuetur [4] *quamlibet* purgatorii poenam *omnes* excedere poenas huius vitae — Quod vero pertinet — e) ad poenarum durationem, tria haec certa sunt: — α) poenarum duratio et gravitas erit secundum mensuram debiti poenae temporalis mortis tempore luendæ — β) pro nonnullis admodum sunt diuturnae, uti colligitur ex anniversariis quae Ecclesia per plurimos annos pro defunctis peragit — γ) purgatorium non durabit ultra diem iudicii, uti explicite docet Augustinus [5]: « Purgatorias poenas nullas futuras opinetur christianus nisi *ante* illud ultimum tremendumque iudicium ».

532. **Scholion.** — *De statu morali animarum purgantium deque earum cum viatoribus relatione — de loco purgatorii* (n. 420). Animae — a) in purgatorio *certae sunt de propria salute,* uti constat ex prop. 38. in Luthero a Leone X. damnata. Hinc peccare non possunt seu *in gratia confirmatae* dicendae sunt, uti pariter constat ex prop. 39. Lutheri; ac propterea dici possunt esse in termino *gratiae,* etsi nondum in termino *gloriae* — b) Sicut fideles viatores possunt animas purgantes tum *universim,* tum *speciatim* propriis precibus, oblatis indulgentiis et bonis operibus, imprimis vero acceptabili Altaris sacrificio iuvare, ut docet Tridentinum [6]; sic haud improbabile est illas animas pro viventibus *intercedere* easque a nobis *invocari* posse. Demum — c) ad *locum* purgatorii quod spectat, duplicem distinguit s. Thomas [7]: « Unum *secundum legem communem,* et sic locus purgatorii est locus inferior (sub terra) inferno coniunctus, ita quod

1. Apoc. XXI. 27. — 2. 1. Cor. III. 13. — 3. in 4. sent. dist. 20. a 1. p. q. 2. — 4. dist. 21. q. 1. a. 1. qcla 3. — 5. De civ. Dei l. 21. c. 16. — 6. sess. 6. cn. 39. — 7. in 4. dist. 21. q. 1. a. 1 qcl. 2.

« idem ignis sit qui damnatos cruciat in inferno et qui iustos in « purgatorio purgat ..... Alius est locus purgatorii secundum *dispen-* « *sationem*, et sic quandoque in diversis locis aliqui puniti leguntur vel « ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem, ut viven- « tibus eorum poena innotescens per suffragia Ecclesiae mitigetur ».

533. **Conclusio II.** « *Parvuli sine baptismo decedentes* — 1° *quamvis a vita aeterna excludantur, tamen* — 2° *naturalem quamdam beatitudinem absque poena sensus consequi censeri possunt* » (n. 421-422).

Prob. 1. pars — contra pelagianos et socinianos necnon calvinianos, quorum illi universim omnibus infantibus sine baptismo decedentibus, isti vero saltem fidelium infantibus salutem pollicentur — contra Caietanum qui tuetur [1] hos parvulos salvari posse votis et precibus parentum — Revera dogma fidei est baptismum *in re* vel *in voto* necessarium esse necessitate medii ad salutem. Atqui parvuli de quibus hic agitur, non suscipiunt baptismum *in re* uti supponitur — non *in voto* cuius incapaces sunt: ergo — *Excipe* casum *martyrii* quod tum adultos, tum infantes iustificat iuxta illud s. Augustini: « *Quicumque* « etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione « moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si « abluerentur sacro fonte Baptismatis » [2].

Prob. 2. pars -- Parvuli decedentes absque baptismo — a) nullam patiuntur tristitiam propter *poenam damni*, vel ideo quod ne notitiam quidem habeant visionis beatificae, vel ideo quod voluntatem habeant divinae conformem sibique sint conscii, se propriâ culpâ non excidisse a beatitudine prorsus indebita [3]. Neque — b) ullam patiuntur *poenam sensus*, uti communissima tenet Theologorum sententia, quam sic probat Angelicus [4]: « Acerbitas poenae sensibilis delectationi culpae « respondet, iuxta illud Apocal. [5]: *Quantum glorificavit se et in* « *deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*. Sed in pec- « cato originali non est aliqua delectatio, sicut nullla est operatio; « delectatio enim operationem sequitur. Ergo peccato originali non « debetur poena sensibilis ». Quare ait Innocentius III. [6]: « Poena « originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero peccati est « gehennae perpetuae cruciatus ». Ex quibus consequi videtur — c) hos infantes *beatitudine quadam naturali* gaudere, quod plures cum s. Thoma tuentur Theologi. Revera, uti scribit Suarez [7] « peccatum « originale in essentia sua non includit aversionem a Deo fine ultimo « naturae, sed solum ut est finis ultimus gratiae, quia peccatum hoc « non privat aliqua perfectione naturali; conversio autem ad Deum, « ut finem naturae, naturalis est ».

1. in 3. p. q. 68 a. 2. et 11. — 2. De civ. Dei l. 13. c. 7. — 3. cfr. s. Th. in 2. dist. 33. q. 2. a. 1. et de malo q. 5. a. 2. — 4. in 2. sent. l. c. — 5. Apoc. XVIII. 7. — 6. cont. Vald. l. 3. decret. t. 42. c. 3. *Maiores*. — 7. De virt. et pecc. d. 9. s. 2. n. 21.

TRACTATUS VI.

De Verbo Dei incarnato

534. **Prologus** (n. 423) — Nobilissimum inter opera Dei *ad extra* est Verbi incarnatio « *magnum pietatis Sacramentum quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria* » [1]. Porro quinque capitibus agendum est — a) de convenientia, possibilitate et necessitate Incarnationis — b) de ratione intrinseca huius mysterii — c) de Christi praerogativis — d) de munere Christi *salvatoris* — e) de B. V. Maria, quae, cum ad incarnationis mysterium concurrerit necnon ad humani generis cooperetur salutem, idcirco *mediatricis* et *corredemptricis* nomine salutatur.

CAPUT I.

De possibilitate, convenientia et necessitate Incarnationis.

535. **Incarnationis possibilitas** (n. 425) — Venerandi huius mysterii possibilitas — a) *negative* demonstrari potest: hinc enim ex ipso Incarnationis facto quod revelatio evidenter docet, inde vero ex certissimo principio, inter revelationem et rationem nullam esse posse pugnam, manifesto colligitur rationem numquam demonstrare posse Incarnationis *impossibilitatem* seu repugnantiam. Potiores difficultates expendemus infra. At — b) incarnationis possibilitas *positive* demonstrari nequit. Incarnatio enim — α) in divinis litteris *mysteriis* iisque *maximis* accensetur. Sic ac Eph. [2] vocatur « *Sacramentum absconditum a saeculis in Deo* » h. e. *in sola dei notitia* — item Apoc. [3] appellatur « *liber quem nemo in coelo et in terra aperire poterat, et cuius solus Deus poterat signacula solvere* » per suam nempe revelationem. Praeterea — β) obiectum cognitionis naturalis est ordo naturae sensibilis, cum ratio nostra *sensibus manuducatur*. Atqui

1. 1 Tim. III. 16. — 2. Eph. I. — 3. Apoc. V. 2.

nihil est in ordine naturae sensibilis, quod connexionem *necessariam* habeat cum possibilitate Incarnationis: ergo. Tamen — c) ratio fide illustrata optime uti potest coniecturis, exemplis et analogiis ad illustrandum hoc mysterium.

536. **Convenientia incarnationis** (n. 426) — Scite ait Angelicus [1]: « Si quis diligenter et pie Incarnationis mysteria consideret, « inveniet tantam sapientiae profunditatem quae omnem humanam « cognitionem excedat, iuxta illud Apostoli [2]: *Quod stultum est Dei,* « *sapientius est hominibus.* Unde fit ut pie consideranti semper magis « ac magis admirabiles rationes huius mysterii manifestentur ». Et revera — a) incarnatio conveniens fuit *Deo.* Nam conveniens est summo bono se communicare; bonum enim est diffusivum sui. Atqui Incarnatio est *maxima* communicatio Dei *ad extra:* ergo — *Prob. min.* Deus quadruplici modo sese communicat *ad extra* sc. in ordine *naturae,* in quo sua tantum bona et quidem *naturalia* creaturae largitur — in ordine *gratiae,* in quo dona quoque *supernaturalia* naturae confert — in ordine *gloriae,* in quo seipsum communicat creaturae tamquam *obiectum visionis* ideoque per unionem solummodo accidentalem, qualis est inter cognitum et cognoscentem — in ordine *unionis hypostaticae,* qualis fuit in Incarnatione Verbi. Atqui quarta haec communicatio est *maxima* omnium, quia est unio substantialis per quam, uti ait Augustinus [3] « ex tribus sc. Verbo, anima et carne « fit una persona »: ergo. Ad rem praeterea Angelicus [4]: « Illud « videtur esse convenientissimum ut per visibilia monstrentur invi- « sibilia Dei. Sed, sicut Damascenus dicit, per incarnationis myste- « rium monstratur *bonitas* Dei, quoniam non despexit proprii pla- « smatis infirmitatem — *iustitia,* quoniam homine victo, non alio quam « homine fecit vinci tyrannum, neque vi eripuit ex morte hominem: « *sapientia,* quoniam invenit difficillimi pretio decentissimam solu- « tionem — *potentia* quia nihil est maius quam Deum fieri hominem ». Item — b) incarnatio conveniens fuit *humano generi* tum quia per ipsam natura humana ad tantum celsitudinis gradum elevata est ut altius omnino evehi non possit, tum quia per ipsam humanum genus a daemonis captivitate redemptum est. Denique — c) incarnatio conveniens fuit *toti universo.* Cum enim homo sit quoddam universi compendium; habet enim commune esse cum lapidibus, vivere cum plantis, sentire cum brutis, intelligere cum angelis, fit inde ut omnia cum homine per Incarnationem decorata sint atque nobilitata. Et ideo dicuntur [5] « *omnia in Christo esse instaurata* » [6].

---

1. c. g. l. 4. c. 54. — 2. 1. Cor. I. 25. — 3. 13. De Trin. c. 18. — 4. 3. p. q. 1. a. 1. — 5. Eph. I. 10. — 6. Alias incarnationis convenientias *secundarias* vide apud s. Thomam 3. p. q. 1.

537. **Incarnationis necessitas** (n. 427-428) — Verbi incarnatio — a) non fuit *absolute* necessaria cum sit opus *ad extra*. Nec necessaria — b) *in hypothesi creationis* uti contendunt Raymundus Lullus, Malebranchius et Leybnitius. Licet enim incarnatio stupenda plane sit divinæ gloriæ manifestatio, semper tamen est quaedam Dei demissio et exinanitio, quam divinitas *nequaquam postulat*, et simul *exaltatio indebita* creaturae in Deum. Neque necessaria — c) *in hypothesi lapsus humani generis*. Sicut enim prima hominis elevatio ad ordinem supernaturalem fuit indebita, ita et indebita in eundem statum restitutio. Quod si Deus angelis peccantibus non pepercit, nec humano generi lapso parcere tenebatur. Neque *absolute* necessaria — d) *ad hominem reparandum*. Ad rem Angelicus [1]: « Ad finem aliquid « dicitur necessarium dupliciter. Uno modo sine quo aliquid esse non « potest, sicut cibus ad vitam. Alio modo per quod melius et conve- « nientius pervenitur ad finem, sicut equus ad iter. Primo modo Deum « incarnari non fuit necessarium ad reparationem humanae naturae. « Deus enim per suam omnipotentiam poterat humanam naturam « multis aliis modis reparare. Secundo autem modo necessarium fuit « Deum incarnari ». At — e) in hypothesi redemptionis humanae naturae per *condignam* satisfactionem incarnatio erat *absolute* necessaria: *pura* enim *creatura*, etiam auxilio supernaturalis gratiæ adiuta, non potuisset *condigne* satisfacere — Praenota *satisfactionis* nomine intelligi *active* compensationem iniuriae illatae et exaequationem poenae debitae — *obiective* ipsum opus quo iniuria compensatur et exaequatur poena. Est *condigna*, si iniuriam adaequate compensat — *congrua* si inadaequate. Porro *assertum* sic probatur. Gravitas iniuriae Deo per peccatum illatae est *relative infinita*. Peccatum enim *in genere moris* malitiam continet *infinitam* ex infinita dignitate personae divinae: cum generatim gravitas offensae ex dignitate personae, cui irrogatur, determinetur. Ergo oportet ut satisfactio condigna pro peccato sit *infiniti valoris*. Atqui actus cuiusvis creaturae, quacumque exornetur gratia, est valoris et aestimabilitatis *finitae*. Actus enim valorem moralem ex dignitate agentis desumunt iuxta illud: *honor est in honorante, iniuria autem in persona iniuriata*. Ergo ad condignam satisfactionem necessaria erat personae divinae incarnatio, cuius actus satisfactorii, quamvis eliciti per naturam assumptam, ratione tamen personae operantis sunt actus valoris et dignitatis *infinitae*. Ad rem s. Thomas [2]: « Dignitas carnis Christi « non est aestimanda solum secundum carnis naturam, sed secundum « personam assumentem, in quantum sc. erat caro Dei, ex quo « habebat dignitatem infinitam ».

---

1. 3. q. 1. a. 2. — 2. 3. p. q. 48. a. 2. ad 3.

538. **Quaeres** *an vi praesentis decreti Verbum incarnatum esset si Adam non peccasset* (n. 429) — Praesens quaestio proprie est utrum *motivum* praesentis decreti Incarnationis fuerit *redemptio* humani generis, adeo ut non extante redemptionis necessitate Verbum non fuisset incarnatum, an e contra aliud motivum cum peccato non connexum? Hac in re duplex est sententia. Nonnulli cum Suarez [1] et s. Francisco Salesio [2] censent, motivum *principale* propter quod Deus Incarnationem decrevit, fuisse intrinsecam excellentiam mysterii tam bene conducentis ad gloriam Dei et Christi; motivum autem *secundarium* et veluti *superveniens* fuisse reparationem humani generis. Alii e contra cum Angelico censent, unicum motivum Incarnationis fuisse redemptionem humani generis, etsi Deus eam semel decretam non potuerit non ordinare ad gloriam suam tamquam ad supremum *finem*. Quae sententia praeferenda videtur. Nam « ea quae « ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturae, « nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacra Scriptura « traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit. Unde cum « in sacra Scriptura ubique Incarnationis ratio ex peccato primi « hominis assignetur [3], convenientius dicitur Incarnationis opus « ordinatum esse a Deo in remedium contra peccatum, ita quod « peccato non existente, Incarnatio non fuisset. Quamvis potentia « Dei ad hoc non limitetur; potuisset enim, etiam peccato non exi- « stente, Deus incarnari » [4]. Hinc s. Augustinus, plurimis locis ex Scriptura relatis, affirmat [5] « Dominum I. C. *non aliam ob causam* in « carne venisse nisi ut omnes homines vivificaret, salvos faceret, « liberaret, redimeret » — « *Nulla causa* fuit veniendi Christo Do- « mino nisi *peccatores salvos facere*. Tolle morbos, tolle vulnera, et « nulla est causa medicinae ».

CAPUT II.

De quidditate Incarnationis.

539. **Ecclesiae doctrina** (n. 430-431) — Docet Conc. Chalcedonense (oecumen. IV.) sub. Leone I. a. 451. « Sequentes ss. Patres « unum eundemque confiteri Filium et Dominum nostrum I. C. con-

1. De Inc. d. 5. s. 5. — 2. Dell'amor di Dio l. 2. c. 4. — 3. « *Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat* » Luc. XIX. 10. - « *C. I. venit in hunc mundum peccatores salvos facere* » 1. Tim. I. 15. - « *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret* ». - Gal. IV. 4. - cfr. Io. III. 16. — 4. s. Th. 3. q. 1. a. 3. — 5. De pecc. mer. l. 1. c. 26. - serm. 175. al. 9. de verbis Ap. n. 1.

« sonanter omnes docemus, eundemque perfectum in deitate et eun-
« dem perfectum in humanitate, Deum vere et hominem vere, eun-
« dem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum
« divinitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem, per
« omnia nobis similem absque peccato. Ante secula quidem de Patre
« genitum secundum deitatem, eundem novissimis diebus propter
« nos et propter nostram salutem ex M. V. Dei genitrice secundum
« humanitatem; unum eundemque Christum Filium Dominum uni-
« genitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise,
« inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata naturarum diffe-
« rentia propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque
« naturae et in unam personam atque subsistentiam concurrente,
« non in duas partitum atque divisum, sed unum et eundem Filium
« unigenitum Deum Verbum Dominum I. C. ». Quidditas ergo incarnationis in quatuor consistit, quod sc. Christus — a) sit *verus Deus*, ac simul — b) *verus homo* — c) per unionem inter divinam et humanam naturam in unitatem personae Verbi — d) manentibus tamen duabus naturis post unionem inconfusis et impermixtis cum propriis praerogativis. Sint ergo seqq. conclusiones.

540. **Conclusio I.** « *Christus Iesus est Filius Dei incarnatus ideoque verus Deus* ». Haec conclusio est *de fide catholica* eaque vindicatur contra Paulum samosatenum (saec. III) — contra arianos negantes divinitatem Verbi, necnon photinianos (saec. IV.) — contra socinianos (saec. XVI.) qui contendunt, Christum appellari Deum in Scripturis sensu *improprio* sc. quia sublimem potestatem a Deo accepit et eximia quadam ratione fuit prae ceteris Divinitatis particeps; cui errori ex protestantibus multi adhaesere. *Prob.* — a) ex Scripturis. Ille enim qui in Scripturis *Filius Dei, Filius Patris, Verbum Dei* appellatur, est proprius et verus Deus (n. 411 seqq.). Atqui hoc Verbum humanam assumpsit naturam et habitavit in nobis: « *Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis* » [1]. Verbum igitur carofactum est verus Deus. Atqui ex tota Scripturarum serie Verbum incarnatum non alius est a Christo Iesu: de hoc enim scribit Apostolus [2]: « *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut filiorum adoptionem reciperent* »: ergo Christus Iesus est verus Deus. Idcirco Iesus Christus dissertis verbis appellatur *Deus* [3] atque ipsi tribuuntur attributa divina ut e. g. *aeternitas* [4] et *creatio* [5] — ipse exhibetur uti principium *gratiæ et vitæ supernaturalis* ipsiusque *Spiritus sanctificatoris* [6] — uti obiectum

1. Io. I. 14. — 2. Gal. IV. 4. — 3. Baruch III. 36. - Rom. IX 5. - cfr. ad Tit. II. 11. - Io. XX. 28. - 1. Io. V. 20. — 4. Io. XVII. 5. — 5. Hebr. I. - Coloss. I. 16. — 6. Io. X. 28. XV. 26. XI. 25.

cultus divini [1] ac propterea uti obiectum *fidei* [2] — obiectum *spei* [3] — obiectum *amoris* super omnia [4]. Omni igitur iure Christus asseruit se esse unum cum Patre: « *Ego et Pater unum sumus* » [5]: quod de seipso testimonium probavit esse verum miraculis, sua a mortuis resurrectione, vaticiniis eventu completis, sanctitate vitæ et doctrinæ. *Prob.* — b) ex patribus antenicaenis, quibus contendant sociniani fidem in Christi divinitatem ignotam fuisse. Cum enim Arius ineunte saec. IV. coepit impia sua dogmata spargere, totus orbis, pastores et greges, contra tantam impietatem insurrexit, adeo ut episcopi omnes, paucis exceptis, Nicaeae coacti, omnibus plaudentibus, solemniter dogma definierint. Atqui consensus eiusmodi est ineluctabile veritatis argumentum: si enim *philosophice* spectetur, cum ipse fuerit tam publicus tamque universalis, causam aeque publicam universalemque postulat, quae alia esse nequit, quam praedicatio et fides ab Apostolis ortae. Si *theologice* consideretur, est consensus illius Ecclesiae quae regitur Sp. Sancto ipsam inducente in omnem veritatem et in qua vi divinae promissionis numquam deesse poterit doctrina apostolica vel alia aut contraria doctrina praedicari: ergo. Hinc videmus Patres Nicaenos contra arianos ad antiquam fidem appellare: « Ecce nos « demonstramus vobis, nostram sententiam a patribus ad patres « transiisse: vos autem, o novi Iudaei, quos patres qui vestris voculis « favent, exhibere potestis? Nullum certe profertis, omnes a vobis « abhorrent » [6].

541. **Solvuntur difficultates** (n. 436-438). *Obiectio I. — Christo tribuuntur divina quatenus est legatus Dei: ergo.* Socinus.

Resp. neg. antec. — Nam — a) praerogativæ *legantis* eatenus tribuuntur *legato* quatenus hic unam cum legante personam constituit: atqui Christo tribuuntur divina quatenus est a Patre distinctus: ergo. Praeterea — b) sicut Christo homini tribuuntur divina, ita Deo tribuuntur humana: atqui non solent imperfectiones legati transferri in legantem: ergo.

542. *Obiectio II. — Cum Iudaei vellent Christum lapidare eoquod se fecisset Deum, respondit: « Nonne scriptum est in Lege vestra:* Ego dixi: dii estis? » [7]: *ergo nonnisi improprie seipsum Deum appellabat.*

Resp. neg. conseq. — Christum enim — a) in citato loco sibi vindicasse divinitatem constat ex dissertis eius verbis v. 30.: « *Ego et Pater unum sumus* », necnon ex intellectu Iudaeorum (v. 32-33), uti obiicitur. Cur ergo — b) Christus appellavit ad Scripturam, in qua pro-

1. Io. V. 23. — 2. ib. — 3. 1. Tim. I. 1. - Io. XIV. 13. - 1 Io. III. 2. — 4. Io. XIV. 15. - Matth. X. 37. — 5. Io. X. 30. — 6. ita s. Athan. *Lib. de decr. Nic. Syn.* — 7. Io. X. 34.

phetae ut *divini legati* appellantur *dii* ideoque sensu *improprio?* Christi argumentatio non fuit *a pari*, sed *a minori ad maius*, idest: si Scriptura citra crimen blasphemiae appellat deos illos, ad quos sermo Dei factus est i. e. prophetas, *a fortiori* dici poterit Deus ille quem Pater sanctificavit et misit in mundum quique est in Patre sicut Pater in ipso, adeo ut *unum* sint.

543. *Obiectio III. — Christus dicitur Filius Dei, quia mirabili modo ex Virgine conceptus est; Angelus enim, enarrato B. Virgini modo quo conceptura erat, subiunxit:* « Ideoque et quod nascetur ex te « sanctum, vocabitur Filius Dei » [1]: *ergo.*

Resp. — nego antec.; particula enim *ideo* non indicat causam divinae filiationis Christi, sed ex antecedentibus eam demonstrat. Cum enim a prophetis praenuntiata fuerit et Messiae divinitas et mirabilis eius conceptus [2], quae quidem promissiones perspectae erant b. Virgini; idcirco Angelus, postquam Mariae declarasset modum supernaturalem conceptionis, subdidit: « *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* »; quasi diceret: ex hoc disces illum, quem concipies, esse Messiam divinitus praenuntiatum.

544. **Conclusio II.** « *Christus credi quoque debet verus homo — 1° ex vera carne — 2° anima rationali informata — 3° et ex genere nostra assumpta constitutus* » (n. 439-445) — Conclusio est *de fide catholica.* Quod dogma impugnatum est — a) saec. I. II. III. a *phantasiastis* et *docetis*, dicentibus carnem Christi fuisse umbratilem et apparentem seu *phantasticam* — b) ab *arianis* et *apollinaristis*, qui carnis Christi integritatem inficiati sunt, illi quidem docentes corpus Christi non fuisse animâ informatum, sed Verbum fuisse loco animae; isti vero animam Christi fuisse mentis expertem seu irrationalem — c) a *valentinianis* et *apellianis* (saec II.) effutientibus carnem Christi non fuisse nobis consubstantialem, non ex genere nostro, non ex b. Virgine desumptam, sed ex coelestibus elementis confectam per Mariam veluti per canalem e coelo ad nos transiisse. Quem errorem renovarunt anabaptistae et quakeri.

Prob. 1. pars — Veritas carnis Christi patet — a) ex Scripturae testimoniis in sensu litterali acceptis. Sic. Io. [3]: « *Et Verbum caro factum est* » — « *Omnis spiritus qui confitetur I. Christum in carne venisse, ex Deo est* » — « *Quoniam multi seductores exierunt in mundum qui non confitentur I. Christum venisse in carne; hic est seductor et antichristus* » Idcirco Christus perhibetur natus, circumcisus, ambulasse, manducasse, dormiisse, passus, mortuus. Neque huic doctrinae adversatur Apostolus [4]: « *Misit Deus filium suum in*

1. Luc. I. 35. — 2. Is. VII. 14. — 3. Io. I. 14. - 1. Io. IV. 2. - 2. Io. I. 7. - Rom. I. 3. — 4. Rom. VIII. 3.

similitudinem carnis peccati »: hisce enim non detrahitur Christo humanae carnis *substantia*, sed *infectio* per peccatum. Accedit — b) Patrum doctrina, iuxta quos *docetismus* — α) componi nequit cum veracitate Christi. Sic. e. g. Augustinus [1]: « Si phantasma fuit corpus « Christi, fefellit Christus, et si fefellit, veritas non est. Est autem ve- « ritas Christus: non igitur fuit phantasma corpus eius »: — β) ducit ad absurdam negationem omnis certitudinis. Sic e. g. Irenaeus [2]: « Iudicabit autem (homo credens) et eos qui *putativum* Christum « inducunt. Quomodo ipsi vere se putant disputare, quando magister « eorum putativus fuit? aut quomodo firmum quid habere possunt « ab eo, si putativus et non veritas erat? » — γ) ducit ad subversionem dogmatis redemptionis humani generis. Sic Tertullianus [3]: « Cum mendacium deprehenditur caro Christi, sequitur ut ea omnia « quae per carnem Christi gesta sunt, mendacio gesta sint. Mors Christi « negatur, quam tam impresse Apostolus demandat utique veram, « summum eam fundamentum constituens Evangelii et salutis nostrae « et praedicationis suae. Negata vero morte, nec de resurrectione « constabit. Proinde etiam resurrectione infirmata, etiam nostra « subversa est ».

Prob. 2. pars — Christi corpus — a) fuisse *aliquâ animâ* informatum ex eo patet quod hoc negato, alterutrum sequeretur aeque falsum, sc. vel Christum passum non esse, vel divinitatem ipsam passam esse. Hanc vero animam — b) fuisse *rationalem* evincitur — α) ex *dissertis* Scripturae verbis: « *Pater in manus tuas commendo spiritum meum* » [4] — β) ex testimoniis *aequipollentibus*; quoties nempe memoratur *voluntas* Christi distincta a voluntate Patris: « *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me* » [5] — eius virtutes, ut *obedientia* [6] — *humilitas* [7] — *reverentia* [8] in Deum — adoratio Dei, oratio, zelus pro gloria Patris, tristitia [9]. Quapropter — c) Scriptura Christum simpliciter *hominem* appellat: « *Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus* » [10].

Prob. 3. pars — Christum esse secundum carnem nobis consanguineum, clare patet — a) ex evangeliis ubi describitur eius conceptus ex b. Virgine: « *Ecce concipies et paries filium. Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* » — « *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus* » — « *Misit Deus Filium suum factum ex muliere* » [11]. Idcirco passim appellatur

1. l. 83 q. 14. — 2. l. 4. c. 33. n. 15. — 3. adv. Marc. l. 3. c. 8. — 4. Luc. XXIII. 46. — 5. Io. VI. 38. — 6. Hebr. V. 8. — 7. Matth. XI. 29. — 8. Hebr. V. 7. — 9. Io. IV. 22. VII. 18. VIII. 49. - Matth. XXVI. 38. — 10. 1. Tim. II. 5. - cfr. Io. VIII. 40. - Matth. XVIII. 11. - Rom. V. 15. - 1. Cor. XV. 21. — 11. Luc. I. 31. - Matth. I. 16. - Gal. IV. 4.

filius Mariae et Maria *mater* Christi. Rationem vero congruentiae — b) sic ex ss. Fulgentio, Irenaeo, Ambrosio, Athanasio, Hilario aliisque proponit Angelicus [1]: « Christus humanam naturam assumpsit ut eam « a corruptione purgaret. Non autem purgatione indigebat natura « humana, nisi secundum quod infecta erat per originem vitiatam, « qua ex Adam descendebat. Et ideo conveniens fuit ut carnem su- « meret ex materia ab Adam derivata, ut ipsa natura per assum- « ptionem curaretur ». Cui rationi concinere videtur Apostolus cum ait [2]: « *Qui sanctificat* (Christus) *et qui sanctificantur* (homines) *ex uno* (stipite) *omnes* » — « *Per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum* ».

545. **Quaeres I.** *An corpus Christi in primo instanti conceptionis fuerit formatum atque animatum* (n. 446) — *Ad 1um* respondet Angelicus [3]: « Formatio corporis Christi fuit in instanti. *Primo* quidem « propter virtutem agentis infinitam sc. Sp. Sancti, per quem corpus « Christi est formatum. *Secundo* ex parte personae Filii, cuius corpus « formabatur. Non enim erat congruum ut corpus humanum assu- « meret nisi formatum » — *Ad 2um* idem Angelicus [4]: « Ad hoc quod « conceptio ipsi Filio Dei attribuatur, ut in Symbolo confitemur: *Qui* « *conceptus est de Sp. Sancto:* necesse est dicere ipsum corpus Christi, « dum conciperetur, esse a Verbo Dei assumptum ».

546. **Quaeres II.** *An Verbum assumpserit corporales defectus?* (n. 447) — S. Thomas ait [5] conveniens fuisse ut corpus a Verbo assumptum defectibus et infirmitatibus subiaceret propter tria: — a) ut satisfaceret pro peccato (et sic assumpsit naturam passibilem et mortalem) — b) propter fidem Incarnationis adstruendam — c) ut nobis esset exemplum patientiae. Ad hunc autem triplicem finem non fuit necessarium — α) ut assumeret defectus illos qui *particulares* audiunt, qui nempe oriuntur ex causa particulari vel *physica* ut coecitas a nativitate, vel *morali* ut varii morbi qui nascuntur a peccatis; neque — β) illos defectus qui *universales* quidem appellantur, quia communes sunt humanae naturae, sed simul *indecentiam* aliquam involvunt, ut ex. gr. ignorantia, concupiscentia, peccabilitas: sed — γ) illos tantum assumere debuit, qui nullam in se indecentiam includunt, quales sunt passibilitas, mortalitas, defatigari, esurire, sitire et cetera huiusmodi [6]. Hinc patet — δ) ex. gr. ieiunium per 40 dies a Christo toleratum [7] fuisse *miraculosum* [8], cum Christus *naturaliter* indigeret cibo ad vitam alendam; esuriem vero subsecutam fuisse *naturalem*, sicut in nobis qui cum diu ieiunamus, esuriem experimur.

---

1. 3. p. q. 31. a. 1. et ad 1. — 2. Hebr. II. 11. - 1. Cor. XV. 21. — 3. 3. p. q. 33. a. 1. — 4. ib. a. 2. — 5. q. 14. a. 1. — 6. a. 3. 4. — 7. Matth. IV. 2. — 8. cfr. 2. Reg. XVIII. 8.

547. **Quæres III.** *An Verbum susceperit quoque humanos affectus ex. gr. tristitiae, angoris, gaudii etc....?* (n. 448) — Non est hac de re ambigendum; patet enim, uti ait s. Ambrosius « *hominem sine affectu hominis esse non posse* ». Conveniens autem fuit ut hos quoque affectus assumeret — a) ut se verum testaretur esse hominem: — b) ad consolationem infirmorum membrorum, quorum ipse est caput: — c) ut discerent homines quid in eisdem adiunctis esset ipsis agendum: — d) ut hos affectus sanaret et sanctificaret. Tamen — e) erat in Christi potestate huiusmodi affectus pro nutu compescere, intendere atque minuere, et nunquam sinere eos rationis lumen turbare.

548. **Conclusio III.** « *Unio naturarum in Christo — 1° fuit hypostatica, et quidem — 2° indivisa adeo ut natura humana seorsim a Verbo nunquam extiterit nec extitura sit: tamen — 3° inconfusa, impermixtis manentibus duabus naturis* ».

Declaratur conclusio.

549. **Errores** (n. 449-450) — « Circa mysterium unionis duarum « naturarum in Christo, ita Angelicus [1], duplex haeresis insurrexit. « Una quidem confundentium naturas, sicut Eutychetis et Dioscori « qui posuerunt quod ex duabus naturis est constituta una natura; « ita quod confiterentur Christum esse *ex* duabus naturis, quasi *ante* « unionem distinctis, non autem *in* duabus naturis, quasi *post* unio- « nem naturarum distinctione cessante (hi appellati sunt *monophy-* « *sitae)* — Alia vero fuit Nestorii et Theodori mopsuesteni separan- « tium personas. Posuerunt enim aliam esse personam filii Dei et filii « hominis, quas dicebant sibi invicem esse unitas — a) *secundum* « *inhabitationem,* in quantum sc. Verbum Dei habitavit in illo homine « sicut in templo: — b) *per unitatem affectus,* in quantum sc. voluntas « illius hominis est semper conformis voluntati Verbi Dei: — c) « *secundum operationem,* prout sc. dicebant hominem illum esse « Verbi Dei instrumentum: — d) *secundum dignitatem honoris,* prouti « omnis honor qui exhibetur Filio Dei, cöexhibetur filio hominis « propter coniunctionem ad Filium Dei: — e) *secundum aequivoca-* « *tionem* idest communicationem nominum, prouti sc. dicimus illum « hominem esse Deum et Filium Dei. Manifestum est autem omnes « istos modos accidentalem unionem importare ».

A nestorianismo — a) vix discedit Günther, qui docuit unitatem Dei et hominis in Christo esse tantum *dynamicam,* in eo sitam quod persona divina agat et influat in humanam. Eundem errorem — b) renovavit

1. 3. p. q. 2. a 6.

Rosminius cuius damnata est prop. 27: « In humanitate Christi humana « voluntas fuit ita rapta a Sp. Sancto ad adhaerendum Esse obiectivo « idest Verbo, ut illa Ipsi integre tradiderit regimen hominis, et « Verbum personaliter illud assumpserit, ita sibi uniens humanam « naturam (così incarnandosi). Hinc voluntas humana desiit esse « personalis in homine, et, cum sit persona in aliis hominibus, in « Christo remansit natura ». Cuius propositionis triplex est vitium, quod sc. — α) persona humana *praeextitit* unioni cum Verbo: quod — β) voluntas humana Christi operata est ante unionem cum Verbo, quando sc. *tradidit* Verbo regimen hominis illius: quod — γ) humana Christi natura non erat persona, quia humana voluntas regebatur a Verbo. Atqui per hoc instauratur ille modus unionis nestorianae per conformitatem voluntatis humanae cum divina h. e. secundum *unitatem affectus:* ergo.

550. **Ecclesiae doctrina** (n. 451) — « Fides autem catholica, « prosequitur Angelicus [1], medium inter praedictas positiones tenens, « non dicit unionem factam Dei et hominis secundum essentiam vel « naturam, neque etiam secundum accidens, sed medio modo secun- « dum subsistentiam seu hypostasim ». Et revera Conc. Chalced. (n. 539) definivit, duas naturas in Christo *impermixtas* et *inconfusas* manentes *in unam personam* concurrere, adeo ut Christus non sit in duas personas divisus. Haec est illa quae appellatur unio *hypostatica*, quae breviter declarari debet.

551. **Ratio propria personae** (n. 452) — Iuxta notiones nn. 404 405 datas, *natura* est primum principium operationis: ratio autem *formalis* qua natura est *hypostasis* vel *persona,* sita est in nota *totietatis in se* seu *incommunicabilitatis.* Idcirco hypostasis definitur *substantia individua* seu *tota in se* — At quaestio fit *quanam re* substantia singularis et integra evadat *tota in se*, seu aliis verbis quodnam sit *constitutivum* hypostasis vel personæ. Triplex adest opinio — *Prima,* quam propugnant Scotistae, reponit constitutivum hypostasis *in sola negatione unionis* naturae cum nobiliori hypostasi — *altera* sententia, quam tuentur Caietanus et Suarez, reponit constitutivum hypostasis in realitate quadam, *in quodam modo substantiali* realiter a natura distincto, quem vocant *subsistentiam* seu *personalitatem* et per quem natura creata evadit *tota in se, incommunicabilis*, in seipsa *ultimo completa* — *tertia* sententia, admissa in creatis reali distinctione inter essentiam et existentiam, ponit constitutivum hypostasis in actuali rei *existentia:* scilicet in creatis *subsistens* nihil aliud est quam substantia *habens suum proprium esse in se.*

552. **Unio hypostatica** (n. 453) — Hisce praeiactis, ita conci-

1. 3. p. q. 2. a. 6.

pitur unio *hypostatica* in Christo iuxta diversas sententias. *Praenota* — a) unionem esse duorum vel plurium coniunctionem *ad quid unum constituendum:* idcirco — b) in quavis unione dari terminos *ex quibus* unum aliquod exurgit, et terminum *qui* unionis idest illud quod ex plurium coniunctione exurgit: — c) in unione *hypostatica* terminos *ex quibus* esse *naturas*, terminum *qui* esse *unam hypostasim* vel *personam*.

Porro — α) iuxta *primam* sententiam humanitas Christi non erat persona eoipso et eosolo quod erat unita Verbo — β) iuxta *secundam* ratio formalis qua Christi humanitas non erat persona, est quia *connaturali subsistentia* destituebatur, illo nempe modo reali a natura distincto, Verbo supplente illam realitatem — γ) iuxtam *tertiam* humanitas Christi non erat persona quia propriâ existentiâ carebat, Verbo illam supplente. Hinc unio *hypostatica* est « *unio qua duae* « *substantiae, quoad naturam completae, conveniunt in una hypostasis* « *vel persona* » [1].

Probatur conclusio.

553. *Prob. 1. pars* (n. 457-458) — Persona est subiectum omnis praedicationis [2]. Atqui in divina revelatione duplicem reperimur seriem praedicationum, quarum in prima exhibetur Christus uti verus Deus, in altera uti verus homo, utraque vero series de uno eodemque subiecto praedicatur, de Iesu Christo Deo-homine: ergo una per-

1. Unio ergo hypostatica — a) est unio *substantialis*, quia eius terminus *qui* est *una persona* subsistens et operans in duabus naturis, quarum unâ constituitur *verus Deus*, alterâ *verus homo*. Hinc differt ab unione animae cum Deo in via *per gratiam*, in patria per *visionem beatificam*. Differt — b) ab unione animae cum corpore in homine; terminus enim *qui* huius unionis est una persona *in una natura* ac propterea appellatur *naturalis* et *personalis*. Praeterea — c) in unione hypostatica principium *quod* operatur est *unum*, una nempe Verbi persona — principium vero *quo* Verbum operatur *duplex* est, natura nempe divina et humana. Patet etiam — d) quomodo una persona sine aliis potuerit incarnari. Incarnatio quidem *efficienter* inspecta, prouti sc. importat formationem corporis, creationem animae eiusque in corpus infusionem, quamvis Sp. Sancto *appropriatur*, tamen est opus totius Trinitatis (Lat. IV. cp. *Firmiter*). At *terminative* spectata, prouti sc. dicit communicationem esse personalis Verbi humanitati assumptae, est solius Filii: sicut enim Filius habet suam propriam personalitatem distinctam a Patre et a Sp. Sancto, sic eam communicare potest naturae alicui creatae seorsim ab aliis personis. Quare Angelicus: « Id quod est *actionis* in « assumptione, commune est tribus; sed id quod pertinet *ad rationem termini* « (terminare, complere, personare humanitatem), convenit ita uni personae quod « non alii; tres enim personæ fecerunt, ut humana natura uniretur uni personæ « Filii » (3. p. q. 3. a. 4). — 2. s. Th. 3. p. q. 2. a. 3.

sona — *Prob. mai et min.* ex Scriptura. Legitur [1]: « *Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Iesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam serri accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* » — « *Ex quibus Israelitis est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus, benedictus in saecula* ». Speciatim expendatur illud Io. [2]: « *Verbum caro factum est* ». Ex quibus sic: Verbum factus est homo. Atqui non per conversionem Verbi in humanitatem: ergo per assumptionem humanitatis, ideoque non alius est Verbum et alius homo, sed unus idemque est tum Verbum Deus, tum Verbum homo — unum subiectum prædicationis, Christus Iesus — una persona — b) Similes prædicationes invenimus in symbolis, in quibus ille qui est *Filius Patris, Deus de Deo, genitus non factus, consubstantialis Patri*, ille idem et non alius deinde dicitur *descendisse de cœlis, incarnatus, homo factus, crucifixus, passus, sepultus, resurrexisse*. Item — c) apud Patres similia habentur. Ita scribit s. Ignatius [3]: « Deus noster Iesus Christus parturiebatur « a M. Virgine » — s. Irenaeus [4]: « Verbum Dei, per divinam exten- « sionem manuum in cruce, congregavit duos populos ad unum « Deum » — Clemens Rom. [5]: « Passiones Dei erant ante oculos « vestros » — Tertullianus [6]: « Nonne vere crucifixus est Deus? « Nonne vere mortuus est?

554. **Solvuntur difficultates** (n. 459-463). *Obiectio I. — Verbum mutari nequit: ergo nec fieri homo.*

Resp. — dist. antec. mutatione *reali* conc. *nominali* neg. Mutatio *realis* ea est qua mutationis subiectum *in se* afficitur, ut e. g. homo qui ex sano fit aegrotus — *nominalis* qua non afficitur subiectum, cui per extrinsecam denominationem mutatio tribuitur, sed alia res ad ipsum relationem habens, ut e. g. sol, qui modo dicitur illuminans, modo non, quatenus aër illuminatur vel non. Porro per incarnationem nulla mutatio *realis* in Verbo facta est, sed solum *nominalis*. Verbum enim non est subiectum quod ratione potentiae passivae recipiat *in se* humanitatem, sed est humanitatis *terminus* et complementum, quatenus sc. sua *vi hypostatica* infinita complet et *personat* humanam naturam [7]. Mutatio *realis* in sola humanitate facta est, quatenus loco propriae connaturalis subsistentiae longe meliorem habuit h. e. infinitam Verbi subsistentiam.

555. *Obiectio II. — Persona est natura alteri incommunicabilis: ergo persona Verbi nequit humanae naturae communicari.*

---

1. Philipp. II. 5. - Rom. IX. 5. - Matth. XVI. 16. — 2. Io. I. 14. — 3. an. 107. ad Eph. n. 18. — 4. an. 202. l. 5. c. 17. — 5. an. 100. ep. 1. ad Cor. n. 2. — 6. an. 200. de carne Christi c. 5. — 7. cfr. s. Bonav. 3. dist. 1. a. 1. q. 1.

Resp. — *dist. antec.* per modum *recipientis* conc. per modum *dantis* neg. In assumptione humanitatis Christi alia est *communicatio* naturae assumptae, et alia personae assumentis. Natura enim communicatur Verbo, quatenus ab ipso *completur* — Verbum vero communicatur naturae, quatenus ipsam *complet*. Persona ergo eo sensu dicitur *incommunicabilis*, quatenus, manens persona, non potest ulterius compleri et perfici ab alia persona.

556. *Obiectio III.* — *Verbum iam totam suam vim exerit in terminanda natura divina: ergo non potest aliam terminare.*

Resp. — *dist. conseq.* naturam aliam *infinitam* conc. *finitam* neg. Duplex obiectum potentiae distinguatur sc. *primarium* seu *specificativum*, a quo virtus *specificam perfectionem* sumit: ex. gr. essentia divina sub ratione summae veritatis respectu intellectus divini — *terminativum*, ad quod potest et praeter quod non potest virtus extendi: ex gr. res creatae adhuc respectu divini intellectus. Hinc patet nullam potentiam posse extendi ultra suum obiectum *terminativum*, posse tamen ultra obiectum *primarium*, ut exemplum habemus in divino intellectu. Ergo quamvis subsistentia Verbi totam suam virtutem exserat in terminanda natura divina tamquam *obiecto primario*, nihil prohibet quominus eadem virtus hypostatica ad naturam creatam veluti extendatur.

557. *Obiectio IV.* — *Natura humana* — 1° *non est minoris dignitatis in Christo quam in nobis; praeterea* — 2° *est substantia individua: ergo.*

Resp. — *Ad 1um* « Dignius est alicui quod existat in aliquo di-
« gniori, quam quod existat in se. Et ideo ex hoc ipso humana
« Christi natura dignior est in Christo quam in nobis, quod in nobis
« quasi per se existens propriam personalitatem habet, in Christo
« autem existit in persona Verbi » [1] — *Ad 2um* « Non quodlibet in-
« dividuum in genere substantiae, etiam in rationali natura, habet
« rationem personae, sed solum illud quod per se existit, non autem
« illud quod existit in alio perfectiori. Licet ergo humana natura
« Christi sit quoddam individuum in genere substantiae, quia tamen
« non per se separatim existit, sed in quodam perfectiori sc. in
« persona Verbi, consequens est quod non habeat personalitatem
« propriam » [2].

1. 3. p. q. 2. a. 2. ad 2. — 2 ibid. ad 3. Specialis quaestio fieri solet *de unione hypostatica cum sanguine*. Indubium censeri debet, Verbum fuisse hypostatice unitum cum sanguine. Nam redemptio nostra pluries in Scripturis tribuitur sanguini Christi, tamquam pretio condigno: atqui sanguis Christi haud fuisset pretium condignum redemptionis sine unione ad Verbum: ergo. At quaestio acriter olim agitata est, utrum soluta fuerit unio hypostatica cum sanguine in cruce effuso: sententia

558. *Prob. 2. pars* (n. 464) — Unio verbi cum humana natura — a) facta est *in primo instanti conceptionis*. In contraria enim hypothesi sequeretur humanam illam naturam, antequam a Verbo assumeretur, fuisse personam. Atqui hoc semel constituto, sequeretur B. V. non esse Dei genitricem, nec Filium Dei conceptum esse de Sp. Sancto: ergo — *Prob. min.* Terminus *qui* generationis idest filius proprie est persona: atqui in tali hypothesi persona, ad quam terminata esset actio generativa B. Virginis, non fuisset persona Verbi, sed persona mere humana: ergo optime concludit s. Leo M. [1]: « Natura nostra « non sic assumpta est, ut prius creata, post assumeretur, sed ut « ipsa assumptione crearetur ». Praeterea — b) unio hypostatica semel facta, *nunquam soluta est*. Non ante passionem, cum nullum sit argumentum — Non tempore *passionis*, quum Christus in cruce dixit [2]: « *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me* », uti nonnulli haeretici commenti sunt: nam per illa verba significatur, uti ait Hugo Victorinus [3], quod « subtraxit Deus protectionem, non vero separavit unionem » — Non tempore *mortis*, cum mors non consistat in separatione humanitatis a divinitate, sed in separatione animae a corpore. Denique — c) unio hypostatica *nunquam solvenda est*. Nam « *Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula* » [4]: atqui Christus est synthesis ex Verbo et natura assumpta: ergo. Ipse praeterea est « *sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* ». Atqui Christus est sacerdos secundum naturam assumptam: ergo.

559. *Prob. 3. pars* (n. 466) — Si post unionem non essent in Christo duae naturae inconfusae et impermixtae, unum ex his tribus dicendum foret sc. vel quod humana natura in divinam conversa est — vel divina in humanam — vel quod duae naturae compositae sunt ad *novam* quandam naturam constituendam, sicut ex. gr. anima et corpus coalescunt in humanam naturam. Atqui non *primum*, quia natura divina est aeterna et ingenerabilis — non *secundum*, quia natura divina est prorsus incommutabilis et incorruptibilis — non *tertium*. In hac enim hypothesi terminus *qui* unionis esset tertia quaedam natura distincta a natura tum humana, tum divina, eo modo quo terminus *qui* unionis animae cum corpore est *nova* natura seu humana, distincta et diversa tum ab anima, tum a corpore. Atqui hoc semel constituto

---

negans praeferenda est. Etenim ex axiomate Damasceni apud Theologos vulgato: *Verbum quod semel assumpsit, nunquam dimisit* ex iis, quae ad humanae naturae integritatem pertinent. Atqui sanguis est pars pertinens ad integritatem hominis: ergo. Difficultas quae petitur ex plurimis reliquiis sanguinis Christi, facile solvitur si dicatur, Verbum tantum sanguinis reunivisse cum corpore suo glorioso, quantum sufficeret ad integritatem corporis, et modicum quid in terris reliquisse ad consolationem fidelium et in suae passionis memoriam. — 1. cp. 35. — 2. Matth. XXVII. 46. — 3. De Sacram. l. 2. p. 1. c. 10. — 4. Hebr. XIII. 8.

Christus non posset dici verus Deus et verus homo, sed denominandus esset a tertia natura resultante; sicut homo non est anima, nec corpus, sed natura resultans ex unione utriusque: ergo [1].

560. **Solvuntur difficultates** (n. 467-469) *Obiectio I. — Profitemur in symbolo athanas.: « Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus ». Atqui ex anima et carne fit una natura: ergo.*

Resp. — Audiatur Angelicus [2]: « Ex anima et corpore constituitur « in unoquoque nostrum duplex unitas, naturae et personae. Naturae « quidem secundum quod anima unitur corpori formaliter perficiens « ipsum, ut ex duobus fiat una natura. Et quantum ad hoc non at- « tenditur similitudo, quia natura divina non potest esse corporis « forma. Unitas vero personae constituitur ex eis, in quantum est « unus aliquis subsistens in carne et anima; et quantum ad hoc at- « tenditur similitudo; unus enim Christus subsistit in divina natura « et humana ». Quare prius in eodem Symbolo dicitur: « Unus Christus « non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis « in Deum: unus omnino non confusione substantiae, sed unitate « personae. Nam sicut anima rationalis etc..... ».

561. *Obiectio II. — Natura humana saepe dicitur a Patribus deificata: ergo conversa est in divinitatem.*

Resp. — iterum Angelicus [3]: « Caro dicitur deificata, non quia sit « facta divinitas, sed quia facta est Dei caro — quia etiam dona di- « vinitatis abundantius participat ex hoc quod est unita divini- « tati — quia est quasi instrumentum per quod divina virtus salu- « tem nostram operatur. Tangendo enim leprosum carne, sanavit per « divinitatis virtutem, et moriendo carne mortem vicit per virtutem « divinitatis. Virtus autem agentis aliquo modo est in instrumento, « quo mediante aliquid agit ».

562. **Corollarium I.** — *Falsitas nonnullarum opinionum circa constitutivum personae* (n. 470) — Errare videtur — a) Scotus qui constitutivum personae reponit in negatione unionis cum nobiliori persona (n. 551). In hac enim sententia non videtur quomodo salvatur unitas *substantialis* in Christo. Revera unio humanitatis cum Verbo esse nequit substantialis, nisi humana natura perficiatur a Verbo in aliquo substantiali. Atqui humanitas illa non perficitur in ratione naturae, quia nihil ipsi deest in ratione naturae — non in ratione personae, quia in tali sententia personalitas est quaedam negatio, est nihil. Quid ergo humanitas recipit a Verbo, quo substantialiter perficiatur? Non videmus. Errat — b) Günther secundum

1. cfr. s. Th. 3. p. q. 2. a. 1. — 2. ib. ad 2. — 3. in 3. dist. 5. q. 1. a. 2. ad 6.

quem persona nihil est aliud quam *substantia sui conscia*. Sequitur enim in divinis *unam* esse personam, cum *una* sit substantia sui conscia, in Christo vero *duplicem* personam, cum *duplex* sit substantia sui conscia. Errat — c. Rosminius qui constitutivum personae reponit in supremo principio activo, quod est in natura intellectuali nempe *in voluntate*. Sequitur enim in divinis esse unam personam pro una voluntate, in Christo vero duplicem pro duplici voluntate.

563. **Corollarium II.** — *Persona Christi composita* (n. 471) — Sequitur secundo loco personam Christi dici posse *compositam*. « Per« sona Christi, ait Angelicus [1], dupliciter potest considerari. Uno « modo secundum illud quod est in se; et sic est omnino simplex, « sicut et natura Verbi: alio modo secundum rationem personae, ad « quam pertinet subsistere in aliqua natura, et secundum hoc per« sona Christi subsistit in duabus naturis. Unde licet sit ibi unum « subsistens (una persona *formaliter*), est tamen ibi alia et alia ratio « subsistendi; et sic (*materialiter* inspecta) dicitur persona composita, « in quantum unum in duobus subsistit ».

564. **Corollarium III.** — *Unus de Trinitate crucifixus est* (n. 472). Haec formula *in se* inspecta sanum sensum habet, cum per ipsam exprimatur dogma de unitate personae in duabus naturis in Christo. Christus enim vere est *unus de Trinitate*, cum sit secunda persona Trinitatis incarnata. Atqui Christus vere crucifixus est, scilicet Verbum per naturam assumptam crucifixum est: ergo. Ratio autem, cur Hormisdas Pp. illam propositionem approbare noluerit, erat inopportunitas huius formulae, sicuti diximus n. 208.

565. **Corollarium IV.** — *Duplex voluntas et operatio in Christo* (n. 473) — Ex monophysitis prodierunt a. 630 *monothelitae*, qui asserebant unicam esse in Christo voluntatem et operationem eamque divinam. Huius haeresis auctor fuit Sergius Patriarcha CP. sub Heraclio imperatore et Honorio I. Pontifice, cooperantibus Athanasio antioch. et Cyro alex. Obstiterunt Sophronius hierosolymitanus et Pontifices Martinus I. et Agatho, sub quo habitum est Conc. œcum. VI. (CP. III. a. 680.) quod habet: « Duas naturales voluntates in Christo « et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter et insepa« rabiliter, inconfuse secundum ss. Patrum doctrinam praedicamus ». Revera, uti bene argumentatur Damascenus [2]: « Cum duae in Christo « naturæ sint, duas quoque in eo actiones dicere necesse est; quorum « enim natura diversa est, horum quoque dispar est actio; et contra « quorum natura est eadem, horum et actio est eadem: quorum « autem actio una est, horum etiam substantia una est ». Hinc de

1. 3. p. q. 2. a. 4. — 2. De fide orthod. l. 3. c. 15.

seipso Christus [1]: « *Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat* ».

566. **Corollarium V.** — *Operationes theandricæ* (n. 474) — In Christo *triplex* operationum genus distingui debet sc. operationes *mere divinae* ex. gr. creatio et conservatio — operationes *humanae* ut ex. gr. orare, pati, mori — operationes *per se* quidem divinae, sed peractae *cum aliqua subministratione humanitatis* ut ex. gr. puellam suscitare, eius manu apprehensa. Porro operationes secundi et tertiis generis, quia sunt actiones Verbi incarnati *formaliter* ut talis, idcirco recte dicuntur *theandricae* seu *deiviriles* operationes. Quod si quaeritur quomodo concurreret humanitas Christi in patrandis miraculis, respondetur cum nonnullis Verbum communicasse suae humanitati virtutem patrandi miracula, quemadmodum Apostolis aliisque thaumaturgis divinitus collata est — vel cum aliis humanitatem illam solummodo cooperari ad miracula quae a Verbo patrabantur: ex. gr. expuere, lutum ex sputo conficere et oculos cœcorum linire erat actio humanitatis; lutum autem in lucem convertere seu per lutum cœcum illuminare erat exclusive actio divinitatis.

CAPUT III.

De prærogativis humanæ naturæ Christi.

567. **Prologus** (n. 475) — Unio hypostatica fons erat sacratissimæ Christi humanitati insignium praerogativarum, quae sequentes præsertim sunt: — a) divino-naturalis Christi hominis filiatio — b) præclara scientia et gratia — c) dignitas cultus divini seu *latriae* — d) *communicatio idiomatum*. De singulis nonnihil.

568. **Filiatio naturalis et adoptiva** (n. 476) — Filiatio est relatio filii ad patrem et duplex distinguitur sc. *naturalis* et *adoptiva*. Prior nititur naturali generatione et definiri potest: « *relatio personae unius ad alteram personam, a qua genita est* » — altera fundatur in adoptione quae est assumptio personae extraneae in filium et haeredem et definiri potest: « *relatio personae unius ad alteram personam, a qua assumpta est* ». Hinc Filius *adoptivus* est persona patri *extranea*, filius *naturalis* vero est persona patri *intranea* eoquod de eius substantia genitus est [2].

569. **Errores** (n. 477) — Porro, praeter eos qui Christum habent uti *merum* hominem, vel, quod in idem recidit, in duas personas dividunt, non defuerunt qui sæc. VIII. labente, ducibus Felice episcopo Urgellitano et Elipando archiepiscopo Toletano, negata filiatione na-

1. Luc. XXII. 42. — 2. cfr. s. Th. 3. p. q. 23. a. 1.

turali, solam *adoptivam* Christo homini vindicarent: unde *adoptiani* noncupati sunt. Nec desunt inter catholicos, qui cum Durando et Scoto, etsi non negent Christo homini divino-naturalem filiationem, tamen adoptivam quoque eidem tribuunt tamquam effectum gratiae sanctificantis.

570. **Ecclesiae doctrina** (n. 478) — At iam Damasus Pp. in epist. ad Paulinum Antioch. anathematizabat « eos qui duos esse filios « affirmant, unum ante saecula et alium post assumptionem carnis « ex Maria ». Deinde doctrina adoptianorum proscripta fuit in Concilio Francofordiensi, cui præsederunt legati Hadriani I. Pp. quodque deinde a. 794 ab eodem Pontifice in Concilio Romano confirmatum est. Quare tenendum est Christum, quatenus est homo, esse filium *naturalem* Dei, minime vero *adoptivum* vel *etiam* adoptivum. Advertatur tamen propositionem hanc: « *Christus ut homo est filius naturalis Dei* »: defendi a nobis in sensu *specificativo* ita ut ita resolvatur: *hic homo, hoc subsistens in humana natura, est filius naturalis Dei:* non vero in sensu *reduplicativo,* quasi sc. Christus *ratione humanitatis* sit filius naturalis Dei.

571. **Conclusio I.** « *Ex dogmate unionis hypostaticae sequitur Christum ut hominem esse filium Dei naturalem* » (n. 479-482) — Conclusio quatenus vindicat Christo divinam filiationem naturalem, est *de fide catholica:* non ita quatenus asserit *solam* filiationem naturalem.

Prob. — a) *ex subiecto filiationis.* Filiatio enim proprie convenit personae, non naturae; quamvis enim communicatio naturae sit *ratio formalis* generationis, tamen terminus *qui* generationis seu *ille qui* generatur quique propterea relationem filii ad generantem dicit, est *persona.* Atqui in Christo unica est persona eaque illa est quae est filius naturalis Patris: ergo in Christo unicus est filius isque est filius naturalis Dei. Item — b) *ex natura adoptionis.* Adoptio enim supponit personam adoptandam esse *extraneam* adoptanti, quatenus non est de eius substantia. Atqui persona Christi est persona Patri *intranea* eaque est Filius naturalis Dei: ergo nullo modo est filius adoptivus [1]. Ex quibus patet — c) rationem *formalem* filiationis Christi hominis *proxime* esse unionem hypostaticam, *remote* vero et *radicaliter* esse generationem Verbi a Patre. Idcirco si Pater vel Sp. S. incarnatus esset, Pater vel Sp. S. incarnatus non esset filius nec naturalis, nec adoptivus Dei, sed vel Pater Verbi vel Sp. S. a Patre Filioque procedens.

572. **Solvuntur difficultates** (n. 483-484). *Obiectio I.* — *In Christo erat gratia sanctificans: atqui effectus formalis gratiae sanctificantis est filiatio adoptiva.*

---

1. cfr. s. Th. 23. a. 4.

Resp. — *dist. mai.* tamquam connaturalis proprietas *conc.* per modum spiritualis generationis *neg.* — *dist. min.* in subiecto capaci *conc.* incapaci *neg.* Gratia sanctificans *primario* delet peccatum, animam condecorat pulchritudine cœlesti ipsamque *deificat* [1] et habitus operativos supernaturales infundit — *secundario* vero *adoptat* in filium Dei, procul dubio illum qui non est filius *naturalis:* huic enim gratia infunditur per modum *spiritualis generationis* [2]. Atqui Christus *homo* cum iam sit filius Dei, esse nequit filius adoptivus: ergo gratia debita est ipsi tamquam *connaturalis proprietas.*

573. *Obiectio II.* — *Filius naturalis est filius non gratiâ, sed naturâ. Atqui Christus homo est filius Dei per divinam praedestinationem ideoque per gratiam: ergo.*

Resp. — *dist. min.* indirecte et antecedenter *conc.* directe et consequenter *neg.* Christus *homo* est quidem filius Dei naturalis, supposita unione hypostatica, quae est *gratia* pro Christi humanitate; idest supposito mysterio incarnationis, quod per liberam voluntatem ab aeterno fuit praedestinatum a Deo. Tamen *contingentia* incarnationis vel *gratuitas* unionis hypostaticae non adversatur divino-naturali filiationi Christi. Etsi enim sit ex libera voluntate Dei quod gratia unionis præordinata fuerit et in tempore collata illi humanitati, tamen *illâ suppositâ* naturale est Christo homini esse filium Dei; ea ratione qua est quidem ex libera voluntate Petri quod generet, at supposita generatione, naturale est illi, qui generatur, esse filium Petri. Quare propositio: « *Christus praedestinatus est Filius Dei* » [3]: in hanc resolvitur: praedestinatum est mysterium incarnationis, *quo supposito* Christus *homo* non potest non esse filius Dei [4].

574. **Conclusio II.** « *In intellectu Christi hominis triplex scientia poni debet sc.* — *1° beata per visionem intuitivam Dei* — *2° infusa per species divinitus receptas* — *3° acquisita per facultatum naturalium exercitium* » (n. 487-491) — Conclusio est *communis.*

Prob. 1. pars — Christus *homo* vi hunionis hypostaticæ erat filius naturalis Dei: atqui — a) filio debita est visio patris sui: aliunde — b) dignitas filii naturalis exigebat ut esset gratiâ et sanctitate consummatissimus, quae ultima gratiæ consummatio in visione beatifica sita est: ergo [5]. Quod argumentum demonstrat — α) Christi animam fuisse beatam *ab ipso incarnationis exordio* — β) Christum fuisse simul *viatorem* et *comprehensorem.* Ipse enim « ante passionem « secundum mentem plene videbat Deum et sic habebat beatitudi- « nem quantum ad id, quod est proprium animae: sed quantum ad « alia deerat ei beatitudo, quia et anima eius passibilis erat, et cor-

1. 2. Pet. I. 4. — 2. Trid. sess. 3. c. 4. — 3. Rom. I. 3. — 4. s. Th. 3. p. q. 24. — 5. s. Th. 3. p. q. 2. a 3.

« pus passibile et mortale. Et ideo simul erat comprehensor et via-
« tor » [1].

Quæres *quomodo visio beatifica, quam consequitur gaudium, conciliari possit cum tristitia et dolore, quem Christus passionis suae tempore expertus est* — Respondet Melchior Canus [2], de potentia Dei *absoluta* visionem beatificam separabilem esse a gaudio, atque ita in Christo suspensum fuisse tempore passionis gaudium, ut tristitiæ locus relinqueretur, quemadmodum « virtute divinitatis *dispensative* sic bea-
« titudo in anima continebatur quod non derivabat in corpus ut pati
« posset » [3].

Prob. 2. pars — Omnis perfectio concedenda est Christo quae non opponitur vel visioni beatificae uti est fides — vel eius impeccabilitati uti est pœnitentia — vel officio redemptoris uti est gloria corporis. Atqui scientia infusa est ornamentum intellectus, quod non adversatur visioni beatificae, nec Christi impeccabilitati, nec officio redemptoris: ergo [4]. Quae ratio, desumpta ex Christi dignitate, demonstrat, hac scientia ipsum ornatum fuisse a primordio Incarnationis.

Prob. 3. pars — Rem sic evincit Angelicus [5]: « Nihil eorum quæ
« Deus in nostra natura plantavit, defuit humanæ naturæ assumptæ
« a Verbo. Manifestum est autem quod Deus in humana natura plan-
« tavit non solum intellectum possibilem, sed etiam agentem. Unde
« necesse est dicere quod in anima Christi fuit non solum intellectus
« possibilis, sed etiam agens. Si autem in aliis Deus et natura nihil
« frustra faciunt, multo minus in anima Christi aliquid fuit frustra.
« Frustra autem est quod non habet propriam operationem, cum
« omnis res sit propter suam operationem. Propria autem operatio
« intellectus agentis est facere species intelligibiles actu, abstrahendo
« eas a phantasmatibus. Sic igitur necesse est dicere quod in Christo
« fuerint aliquae species intelligibiles per actionem intellectus agentis
« in intellectu possibili eius receptae; quod est esse in ipso scientiam
« acquisitam, quam quidam experimentalem nominant ».

575. **Scholion.** *De perfectione scientiae Christi* (n. 492) — Scientia *beata* — a) non fuit *comprehensiva* divinae essentiae: « infinitum enim non comprehenditur a finito » [6]. Hinc damnata prostat prop. Augustini de Roma in Conc. Basil. sess. 22.: « Anima Christi videt Deum tam clare et intense quam clare et intense Deus videt seipsum ». Fuit autem — b) tam *beata* quam *infusa* scientia *amplissima*, omnia comprehendens quae scitu necessaria erant Christo pro suo statu et dignitate supremi *magistri, regis, iudicis* et *capitis* omnium hominum.

---

1. s. Th. q. 15. a. 10. — 2. De locis l. 12. c. 14. cfr. s. Th. 3. q. 15. a. 5. ad 3. — 3. s. Th. l. c. Aliter rem explicat s. Bonaventura in 3. d. 16. a. 2. q. 2. — 4. cfr. s. Th. 3. p. q. 9. a. 3. — 5. ib. a. 4. — 6. s. Th. 3. p. q. 10. a. 1.

Ideirco legitur [1] in Christo fuisse omnes thesauros sapientiæ et scientiae Dei et super ipsum requievisse Spiritum sapientiae, scientiae, intellectus et consilii. « Per scientiam *acquisitam* — c) scivit Christus omnia quae possunt sciri per actionem intellectus agentis » [2], utique oblatis obiectis sensibilibus. Qua quidem scientia — d) Christus non *nova* cognoscebat, sed *novo modo* gradatim cognoscebat quae iam noverat per scientiam *beatam* et *infusam*. Ideirco — e) profectus Christi in scientia, de quo Luc. [3], intelligi debet non quidem secundum *essentiam*, sed secundum effectum et manifestationem [4].

576. **Conclusio III.** « *Duplex sanctitas in Christo agnoscenda est* sc. — 1° *substantialis seu increata per gratiam unionis* — 2° *accidentalis seu creata per gratiam sanctificantem* ».

Praenota triplicem gratiam poni in Christo sc. — a) *substantialem* et *increatam*, quae est unio hypostatica seu *ipsum esse personale* divinum quod gratis divinitus datur humanae naturae in persona Verbi [5]: — b) gratiam *accidentalem*, quae est gratia habitualis creata seu gratia *sanctificans*. Haec — c) prouti Christi animam *formaliter* sanctificat et est ornamentum ipsius, dicitur *personalis*: prouti vero a Christo capite et vite in nos derivatur tamquam membra et palmites, dicitur *capitalis*. Triplicem hanc gratiam innuit Ioannes dicens [6]: « *Verbum caro factum est — vidimus eum plenum gratiae — de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia* ».

Prob. 1. pars — Sanctitas in creaturis revocatur ad quamdam coniunctionem cum Deo sanctitate essentiali: atque ideo gratia sanctificans creata dicitur participatio quaedam divini esse. Atqui per unionem hypostaticam humanitas Christi erat substantialiter cum Deo coniuncta, ita ut traheretur in communicationem esse personalis Verbi: ergo humanitas per talem unionem vere sanctificabatur. Hinc merito Patres dicunt Christum unctum fuisse divinitate hacque de causa *Christum* appellari, unctionem pro *sanctificatione* sumentes iuxta illud Augustini [7]: « Donum gratiae visibili significatur unguento ».

Prob. 2. pars — Rem sic evincit Angelicus [8]: « Necesse est ponere « in Christo gratiam habitualem propter tria. *Primo* propter unionem « animae illius ad Verbum. Quanto enim aliquod receptivum est « propinquius causae influenti, tanto magis participat de influentia « ipsius. Influxus autem gratiae est a Deo secundum illud ps. 83. 12.: « *Gratiam et gloriam dabit Dominus* — *Secundo* propter nobilitatem « illius animae, cuius operationes oportebat propinquissime attingere « ad Deum per cognitionem et amorem, ad quod necesse est elevari

1. Coloss. II. 3. - Is. XI. 2. — 2. s. Th. 3. q. 12. a. 1. — 3. Luc. II. 52. — 4. cfr. s. Th. ib. a. 2. — 5. 3. p. q. 6. a. 6. cfr. q. 2. a. 10. ad 2. — 6. Io. I. 14. sqq. — 7. De Trinit. l. 15. c. 26. — 8. 3. p. q. 7. a. 1.

« humanam naturam per gratiam [1] — *Tertio* propter habitudinem « Christi ad genus humanum. Christus enim, in quantum homo, est « mediator Dei et hominum, et ideo oportebat quod haberet gratiam « etiam in alios redundantem secundum illud [2]: *De plenitudine eius « nos omnes accepimus, gratiam pro gratia* » [3].

577. **Corollarium** (n. 496) — Ex his sequitur — a) in Christo fuisse *virtutes infusas*. « Sicut enim gratia respicit essentiam animae, « sic et virtus respicit potentiam eius. Unde oportet quod sicut « potentiae animae derivantur ab eius essentia, ita virtutes sint « quaedam derivationes gratiae » [4]. Excipe *fidem* quae visioni in« tuitivæ adversatur — *spem* quoad beatificam Dei fruitionem [5] — *pœnitentiam*, cum nullum pro se peccatum deflendum haberet. Sequitur — b) *dona* quoque *Sp. Sancti* fuisse in Christi anima, cum talia dona consequantur gratiam sanctificantem [6]. Adverte tamen donum *timoris* fuisse in Christo non secundum quod timor respicit culpam vel poenam, sed secundum quod respicit divinam eminentiam, prout sc. anima Christi quodam affectu reverentiae movebatur in Deum [7].

578. **Scholion** — *De perfectione gratiae Christi* (n. 497) — In Christo fuit *plenitudo* gratiae tum *intensive* quatenus Christo collata est *maxima* gratia lege ordinaria a Deo conferibilis, propter maximam propinquitatem ad Deum; tum etiam *extensive* quatenus habuit Christus gratiam ad omnes operationes et effectus gratiae, quia « conferebatur « ei gratia tamquam cuidam universali principio in genere habentium « gratiam » [8]. Dicitur autem Christus profecisse *gratia* [9] *apud homines* quidem « quia cernentibus Christi gratia *magis conspicua* fiebat » [10] — *apud Deum* quia per manifestationem gratiæ et sapientiæ suis in operibus vere coram Deo merebatur, sibi quidem exaltationem supra angelos et homines necnon suae gloriae consummationem, nobis autem gratiam et salutem [11].

579. **Conclusio IV.** « *Christus* — 1° *non modo impeccantiae, verum etiam* — 2° *impeccabilitatis donum habuit* » (n. 498-500). Conclusio est *de fide catholica* ex Conc. Flor. [12] et ex Conc. œcum. V. cn. 2. contra Theodorum mopsustenum.

Prob. 1. pars — Christum — a) immunem fuisse a quovis *actuali*

---

1. Duplex elevatio distinguenda est sc. *extrinseca* qua anima eiusque facultates elevantur in Christo per unionem cum Verbo, quatenus non quidem informantur a Verbo, sed factae sunt aliquid quo Verbum utitur tamquam instrumento — *intrinseca* qua anima elevatur per gratiam sanctificantem a qua *intrinsecus* informantur. — 2 Io. I. 16. — 3. Haec est gratia quam supra diximus *capitalem* quae *ratione* tantum differt a gratia habituali, ut ostendit s. Thomas q. 8. a. 5. — 4. ib. q. 7. a. 2. — 5. ib. a. 4. — 6. Is. XI. — 7. a. 6. — 8. a. 9. coll. aa. 10. 11. 12. — 9. Luc. II. 52. — 10. s. Cyrillus Thes. t. 5. p. 1. — 11. q. 12. a. 2. — 12. Decret. pro iacobitis.

peccato testatur Petrus [1]: « *Qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius* ». Item — b) immunem fuisse a peccato *originali* testatur Paulus qui [2] ait: « *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati* »: quo in loco dum affirmatur veritas carnis Christi, simul negatur eam fuisse carnem peccati h. e. peccato originali infectam. Ratio autem intrinseca petitur ex Christi conceptione de Sp. Sancto [3]. Ex quo consequitur — c) Christum fuisse immunem *a fomite peccati* seu a *concupiscentia* [4].

Prob. 2. pars — Christus — a) fruebatur visione beatifica Dei: atqui cum visione beatifica conciliari nequit potentia peccandi (n. 330): ergo. Praeterea — b) quamvis principium *quo* humanarum operationem Christi esset humanitas, tamen principium *quod* operabatur et cui humanae operationes tribuebantur, erat Verbum (n. 552). Atqui *absolute* repugnat Verbum peccare etiam per assumptam naturam: ergo. Quod si — c) quaeras quomodo concilianda sit Christi libertas in morte subeunda pro redemptione humani generis cum impeccabilitatis prærogativa, respondetur tres haberi sententias — *Prima* tuetur mortem Christo fuisse quidem a Patre praeceptam, sed potuisse Christum dispensationem petere, qua non petita, non obstante praecepto, libere mortuus est — *Secunda* statuit praeceptam quidem fuisse mortem *in genere*, at non *in specie* et *in individuo* h. e. secundum omnia motiva et adiuncta interna et externa temporis, loci, modi et intensitatis cruciatuum. Quare praeceptum moriendi a Patre impositum non impedivit quominus mors, prouti hic et nunc a Christo fuit tolerata, esset libera et meritoria — *Tertia* sententia contendit mandatum Patris *antecedenter* ad liberam Christi electionem non fuisse rigorosum praeceptum, sed solummodo Patris *beneplacitum*, ita ut alius quoque redemptionis modus aeque gratus accidisset Patri, si Christus illum elegisset; *consequenter* vero ad liberam Christi electionem, voluntatem Patris *conditionatam* transiisse in *absolutam*, ratum habendo modum a Christo libere electum.

580. **Quid cultus** (n. 501-502) — *Cultus* est honor alicui personae vel rei exhibitus propter eius excellentiam. Hinc duplex *obiectum* cultus sc. *materiale* et *formale*: illud est persona vel res, cui cultus defertur, istud vero est illa excellentia quae constituit *motivum* cultus. Si motivum cultus est excellentia aliqua *naturalis*, cultus dicitur *civilis* ut ex. gr. honorare regem ob eius auctoritatem — si est excellentia *supernaturalis*, cultus dicitur *sacer* seu *religiosus*, qui si Deo defertur, nuncupatur cultus *latriae*, si Sanctis, dicitur cultus *duliae*, si b. Virgini propter *singularem* eius sanctitatem, appellatur *hyperduliae*.

1. 1. Pet. II. 22. - cfr. Hebr. VII. 26. — 2. Rom. VIII. 3. — 3. Luc. I. 35. — 4. cfr. s. Th. 3. p. q. 15. a. 1. 2.

Porro nemo non videt, opus esse ad cultum exhibendum ut obiectum *formale* cum *materiali* modo aliquo coniungatur. Haec autem coniunctio fieri potest vel per *identitatem* ut in Deo — vel per *informationem* ut in Sanctis — vel quomodocumque per *unionem* aliquam. Si huiusmodi unio est *intrinseca* adeo ut obiectum materiale et formale *quid unum* constituant, cultus dicitur *absolutus:* e. g. colere regem ob suam dignitatem — si est *extrinseca*, sita nempe in relatione aliqua rei vel personae colendae ad aliquid aliud, cultus dicitur *relativus:* e. g. colere imaginem regis ob eius ad regem relationem.

581. **Conclusio V.** « *Humanitas Christi adoranda est cum Verbo uno eodemque supremo cultu latriae* » (n. 504-505) — Conclusio est *de fide catholica* ex Conc. œcum. V. can. 9.: « Si quis non « una adoratione Deum Verbum incarnatum cum eius carne adorat, « sicut sanctae Dei Ecclesiae ab initio traditum est A. S. » — Et revera Verbum adorandum est adoratione latreutica: ergo adoratio eiusmodi eidem deferenda est sub quacumque forma se adorandum exhibeat. Atqui Verbum se nobis exhibet in Christo carne indutum per unionem hypostaticam: ergo Verbum ut *incarnatum*, idest cum sua carne, eodem latriae cultu honorari debet, quo colitur idem Verbum *in sola existens natura divina*. Hinc Athanasius [1]: « Quis ita desipit ut Domino dicat: Recede a corpore tuo, ut Te adorem? »: et Apostolus [2]: « *Et quum (Pater) iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes Angeli eius* ». Ex quibus patet — a) obiectum *materiale totale* adorationis esse Christum — b) humanitatem esse obiectum *materiale partiale* — c) obiectum *formale* esse *divinitatem* — d) humanitati Christi non alium cultum esse deferendum quam *latriae*, quamvis, si cum suis ornamentis et actibus (gratia nempe sanctificante, virtutibus, donis, meritis) seorsim a Verbo subsisteret, nonnisi culto *duliae* digna esset. Hoc in sensu censemus intelligendum esse s. Thomam [3].

582. **Conclusio VI.** « *Cultus quo fideles speciali fervore adorant Cor Iesu omni iure legitimus est* (n. 507-510) — Ille enim cultus est undequaque legitimus qui quam maxime conformis est Iuri divino-positivo, ecclesiastico et naturali. Atqui talis est cultus sacratissimi Cordis Iesu: ergo — *Prob. 1. pars min.* Ex divina revelatione obiectum *materiale partiale* cultus Christi est humanitas. Atqui humanitas ex anima et corpore coalescit, corpus pluribus constat partibus, ex quibus est *cor:* ergo *cor* est obiectum *partiale* cultus. Atqui humanitas adoratur non *propter se*, sed propter unitam sibi divinitatem: ergo et

1. Ad Adelph. n. 3. — 2. Hebr. I. 6. - cfr. Io. V. 23. - Matth. XXVIII. 17. — 3. 3. p. q. 25. a. 2.

singulæ humanitatis partes et *cor* adorantur propter divinitatem, cuius est hæc humanitas, hoc corpus, *hoc cor* divinum — *Prob. 2. pars min.* Ille cultus conformis est Iuri et spiritui Ecclesiæ, quem ipsa *theoretice* et *practice* comprobat. Atqui Ecclesia — a) *theoretice* hunc cultum adprobavit damnando propositiones nonnullas synodi pistoriensis, in quibus cultus Cordis Iesu vel impetitur, vel in suo conceptu pervertitur. Notatu digna est prop. 63: « Item in eo quod cultores Cordis Iesu, hoc « etiam nomine (Synodus) arguit, quod non advertant ss. carnem « Christi aut eius partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum « separatione aut præcisione a divinitate adorari non posse cultu *latriæ*, « quasi fideles Cor Iesu adorent cum separatione aut praecisione a « divinitate, dum illud adorant ut est Cor Iesu, Cor nempe personae « Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum quo exangue « corpus Christi in triduo mortis, sine separatione aut praecisione a « divinitate adorabile fuit in sepulcro: captiosa, in fideles Cordis Christi « cultores iniuriosa »: cfr. prop. 62. Item — b) *practice* Ecclesia hunc cultum adprobavit tum *per institutionem festi* cum Missa et Officio proprio de ss. Corde — tum *concessis indulgentiis* quibus fideles ad illum alliciantur — tum *per approbationem Congregationum* in ss. Cordis honorem institutarum — tum per decretum s. Congregationis (6 febr. 1765) ad episcopos Poloniae, quo impense commendatur cultus ss. Cordis — *Prob. 3. pars min.* Nec humana ratio aliquid improbandum reperit in hoc cultu. Non enim Cor Christi adoratur seiunctim a Divinitate, sed simul cum humanitate cuius est pars, et simul cum Divinitate cuius est haec humanitas, hoc cor. Quod si ex fructibus dignoscere licet bonitatem arboris, ex loetissimis fructibus huius cultus ubique locorum relatis inferendum est, hunc cultum esse revera *secundum Cor Iesu.*

583. Collige ergo — a) obiectum *materiale* cultus eiusmodi esse *Cor* Iesu *carneum, naturale, proprium* — b) obiectum *formale* veluti *generale* esse *divinitatem Verbi* — obiectum *formale* quasi *speciale*, quo nempe fideles colendo Christum cultum suum dirigunt *speciatim* in eius ss. Cor duplex esse: quia — α) cor est *sedes* vel saltem *naturale symbolum* infiniti illius amoris, quo Christus dilexit nos usque ad mortem quique nobis fons est inexaustus tot gratiarum, praesertim vero eucharistici sacramenti: quia — β) Cor Christi fuit lancea perforatum, quod vulnus illustre exhibet amoris *testimonium*. Hinc — c) vere dici potest, obiectum huius cultus esse *cor symbolicum* Christi, scilicet cor *physicum* quatenus est *sedes* et naturale *symbolum* amoris Christi Iesu. Devotio haec — d) *quoad substantiam* non est *nova* in Ecclesia — *quoad maiorem explicationem* dici potest *nova* et eatenus innixa revelationibus privatis, quatenus per eas manifestata est divina voluntas, ut pro specialibus adiunctis, frigescente nempe multorum charitate ob pestiferas iansenistarum doctrinas, ef-

ficacius excitarentur fideles ad amorem divinum accendendum in Divini Cordis charitate [1].

584. **Scholion I.** — *De cultu crucis et imaginum Christi* (n. 511). Christi *crux* — a) adoranda est cultu *latriae relativo*. Quod sic ostendit Angelicus [2]: « Honor seu reverentia non debetur nisi rationali crea- « turae; creaturae autem insensibili non debetur honor, nisi ratione « rationalis naturae. Et hoc dupliciter; uno modo in quantum repraesentat rationalem naturam; alio modo in quantum ei quocumque « modo coniungitur. Primo modo consueverunt homines venerari « regis imaginem; secundo modo eius vestigium. Utrumque autem « venerantur homines eadem veneratione, qua venerantur et regem « (idest eadem honoris specie). Si ergo loquamur de ipsa cruce, in « qua Christus crucifixus est, utroque modo est a nobis veneranda. « Uno in quantum repraesentat nobis figuram Christi extensi in ea; « alio modo ex contactu ad membra Christi et ex hoc quod eius « sanguine est perfusa (hinc habetur tamquam quaedam *reliquia* « Christi). Unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo « sc. *latriae*. Et propter hoc ipsam crucem alloquimur et deprecamur, « quasi ipsum crucifixum. Si vero loquamur de effigie crucis Christi « in quacumque alia materia, sic veneramur crucem tantum ut « imaginem Christi, quam veneramur adoratione *latriae* ». Idem cultus — b) imaginibus Christi deferendus est. Ad rem iterum Angelicus [3]: « Duplex est motus animae in imaginem, unus quidem in « ipsam imaginem secundum quod res quædam est, alius in imaginem « in quantum est imago alterius ..... Sic ergo dicendum est quod « imagini Christi in quantum est res quaedam (puta lignum), nulla « reverentia exhibetur, quia reverentia nonnisi rationali naturae « debetur. Relinquitur ergo quod exhibeatur ei reverentia in quantum « est imago: et sic sequitur quod eadem reverentia exhibeatur imagini « Christi et ipsi Christo ».

585. **Scholion II.** — *De invocatione et cultu Sanctorum* (n. 512). Morem sequentes TT. quæstionem hanc hic pertractamus. Porro — a) *sancti Dei comprehensores pro nobis intercedere possunt ac reapse intercedunt* — Ecclesia enim militans, purgans et triumphans unam constituunt societatem, unum mysticum corpus, cuius caput Christus, cuius membra viatores et comprehensores [4]. Atqui inter corporis Christi membra vigere debet *caritas:* ergo comprehensores cum viatoribus charitate sociantur. Atqui mutuæ charitatis genuinum germen, flos et fructus est oratio et sollicitudo pro aliorum salute; ergo procul dubio hunc fructum proferet charitas consummata in Beatis pro

1. cfr. egreg. opusc. Bucceroni *Comment. in cultum ss. Cordis Iesu.* — 2. 3. p. q. 25. a. 4. — 3. Ib. a. 3. — 4. Eph. I. 22. IV. 12. V. 30. - 1. Cor. XII. 26.

confratribus viatoribus. Nec ambigendum Deum eorum preces esse excepturum: si enim e. g. ad intercessionem Moysis placatus est « *ne faceret malum quod locutus fuerat adversus populum suum* » [1]: et ad orationes Iob pepercit Deus amicis servi sui [2]; *a fortiori* eorum preces excipiet, qui arctiori caritate sunt ipsi coniuncti. Hinc merito contra protestantes Tridentinum [3]: « Bonum atque utile est suppliciter « Sanctos una cum Christo regnantes invocare et ob beneficia impe- « tranda a Deo per Filium eius I. C. D. N., qui solus noster redemptor « et salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere ». Nec — b) *huic doctrinae adversatur dogma de uno mediatore Christo* [4], si semel distinguatur inter mediatorem *primarium* et *secundarium* seu *ministerialem*. Ut enim ait Angelicus [5] « ad mediatoris officium « proprie pertinet coniungere et unire eos inter quos est mediator: « nam extrema uniuntur in medio. Unire autem homines Deo *perfe- « ctive* quidem convenit Christo, per quem homines sunt reconciliati « Deo, secundum illud [6]: *Deus erat in Christo mundum reconci- « lians sibi*. Et ideo *solus* Christus est *perfectus* Dei et hominum « mediator, in quantum per suam mortem humanum genus Deo re- « conciliavit. Unde cum Apostolus dixisset: *Mediator Dei et hominum « homo Christus Iesus:* subiunxit: *Qui dedit semetipsum redemptio- « nem pro omnibus*. Nihil tamen prohibet alios *secundum quid* dici « mediatores inter Deum et homines, prout sc. cooperantur ad unio- « nem hominum cum Deo *dispositive* vel *ministeriaiiter* ». Item — c) *licitus honestusque est cultus SS.* uti colligitur — α) ex eius antiquitate, universalitate et constantia in Ecclesia Christi, in qua lex supplicandi statuit legem credendi — β) ex eius efficacia ad fideles provocandos ad excolendas christianas virtutes, praeuntibus illis quorum recolimus vitam et gesta — γ) ex intimo eius nexu cum cultu divino; sicut enim honor regis in eius redundat ministros, amor Dei in proximum, amor fontis amabiles reddit et rivulos, ita cultus Dei in eius amicos eosque omnes redundat, in quibus participatae refulgent divinae perfectiones — δ) ex exemplo Dei, qui ait [7]. « *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum* ». Quare et Tridentinum (l. c.) hunc cultum approbat, promovet et ab haereticorum calumniis vindicat. Nec — d) *minus laudabilis cultus reliquiarum et imaginum SS.* — Et revera — α) de honestate cultus ss. reliquiarum [8] ita ad rem scribit s. Thomas [9]: « Qui habet affectum ad aliquem, etiam ea quae post « mortem relinquuntur veneratur, non solum corpus aut partes eius,

1. Ex. XXXII. 9. sqq. — 2. Iob. XLII 8. — 3. sess. 25. decr. de inv. ss. — 4. 1. Tim. II. — 5. q. 26. a. 1. — 6. 2. ad Cor. V. 16. — 7. 1. Reg. II. 30. — 8. quem impugnarunt saec. IV. Vigilantius et post ipsum eunomiani et protestantes. — 9. 3. p. q. 25. a. 6.

« sed etiam aliqua exteriora, puta vestes et similia. Manifestum est « autem quod Sanctos Dei in veneratione habere debemus, tamquam « membra Christi, Dei filios et amicos et nostros intercessores. Et « ideo eorum reliquias qualescumque honore congruo in eorum me- « moriam venerari debemus, et praecipue eorum corpora, quae fue- « runt templa et organa Sp. Sancti in eis habitantis et operantis, et « sunt corpori Christi configuranda per gloriosam resurrectionem. « Unde et ipse Deus huiusmodi reliquias convenienter honorat, in « earum praesentia miracula faciendo ». Item — β) *imaginum* SS. cultus [1] commendatur tum ex usu universali, antiquo constantique in Ecclesia, tum ex ratione supra data ex Angelico (n. 584.), quam indicavit quoque Conc. Nicaenum dicens: « Imaginis honor ad pri- « mitivum (nempe ad prototypum) transit, et qui adorat (i. e. colit) « imaginem, adorat in ea depincti subsistentiam »: et Tridentinum: « Honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quae illae repraesentant ». Ex quibus patet, cultum ss. reliquiarum et imaginum SS. esse *relativum*.

586. **Idiomatum communicatio** (n. 513-515) — *Communicatio idiomatum* in eo continetur quod *idiomata* seu proprietates Verbi de Christo homine affirmari possint, et vicissim proprietates Christi hominis de Verbo. Unde exurgit admirabilis illa praedicatorum *commutatio* et *permixtio*, vi cuius dicimus: *Verbum natum, passum, mortuum est — hic homo est aeternus, omnipotens, Deus*. Huius praedicationis *radix* est *unio hypostatica*. Revera persona est subiectum omnis praedicationis. Atqui persona Christi est composita, in duplici nempe subsistens natura: ergo de persona Christi merito praedicantur *divina* et *humana*. Atqui persona Christi a natura *divina*, cum qua identificatur, vere constituitur et denominatur *Deus* — a natura *humana*, quam habet sibi hypostatice unitam, vere constituitur et denominatur *homo*. Ergo de Deo Verbo *humana*, de Christo homine *divina* praedicari poterunt -- Tres autem regulae praesertim servandæ sunt in hac mutua praedicatione:

Regula I. — « de duabus naturis earumque proprietatibus in concreto « sumptis (Deus, homo — omnipotens, mortalis) fieri potest idioma- « tum communicatio ». Revera: de qualibet hypostasi praedicatur in concreto natura in qua subsistit vel aliqua naturae proprietas: ex gr. Petrus est homo, est mortalis. Atqui in Christo persona divina in duplici natura subsistit: ergo de persona divina significata per nomen *Deus* praedicari potest natura humana vel aliqua humana proprietas; et de eadem persona significata per nomen *homo* praedicari potest divina natura vel proprietas aliqua divina. Dici ergo po-

1. quem impugnarunt sæc. VIII. qui iconomachi vel iconoclastæ appellati sunt.

test de Christo: *Deus est homo, est mortalis: hic homo est Deus, est omnipotens, est aeternus.*

Regula II. — « de naturis earumque proprietatibus in abstracto sumptis (divinitas, humanitas — omnipotentia, passibilitas) fieri nequit « idiomatum communicatio ». Nequeunt enim invicem praedicari quæ non habent identitatem. Atqui naturae earumque proprietates in abstracto sumptae identitatem non habent: ergo. Quare dici nequit: *divinitas est humanitas, est passa, est mortua: humanitas est immensa, est aeterna.*

Regula III. — « de concretis reduplicative intellectis non datur idiomatum communicatio ». Concretum enim in sensu reduplicativo resolvitur in abstractum: atqui de abstractis fieri nequit idiomatum communicatio: ergo. Hinc dici nequit: *Deus Verbum, quatenus Deus, est homo, est natus, est passus* [1].

Ad quaestionem autem, utrum vera sit haec propositio « *Christus, ut homo, est creatura* », sic respondet Angelicus [2]: « Cum dicitur, *Christus « secundum quod homo*, hoc nomen homo potest resumi in reduplicatione vel ratione suppositi, vel ratione naturae. Si quidem resumatur ratione *suppositi*, cum suppositum humanae naturae sit in « Christo aeternum et increatum, haec propositio erit falsa. Si vero « resumatur ratione *humanae naturae*, convenit Christo esse creaturam. Sciendum tamen quod nomen sic resumptum in reduplicatione magis proprie tenetur pro natura quam pro supposito..... Et « ideo haec propositio est magis concedenda quam neganda ».

CAPUT IV.

De Christo humani generis Salvatore.

587. **Salvatoris munera** (n. 516-517) — Christo *in se* considerato, nunc ipsum spectamus in sua ad humanum genus relatione seu in munere *salvatoris*. Finis enim Incarnationis *proprius* fuit humani generis redemptio [3]. Ad huiusmodi vero opus agendum duo praestanda erant a Christo sc. solvere *redemptionis pretium* et apte ordinare *applicationem* redemptionis in hominum beneficium. Recta autem applicationis ordinatio exigebat ut Redemptor nostras animas præpararet ad suscipiendum redemptionis fructum, intellectum quidem *per lumen veritatis*, voluntatem vero *per legem*, adeo ut illi omnes et illi soli fructum redemptionis percipere possent, qui doctrinam Christi fide susciperent ac iuxta leges a Christo praestitutas profiterentur. Ex quibus patet, quatuor munera a Christo salvatore explenda

1. cfr. s. Th. 3. q. 16. — 2. 3. p. q. 16. a. 10. — 3. Matth. XVIII. 11.

fuisse, quorum duo priora *ad pretium redemptionis solvendum* ordinantur, duo vero posteriora *ad illud applicandum*. Haec autem sunt munus *mediatoris* — *sacerdotis* — *prophetae* seu *doctoris* — *regis* seu *legislatoris*. De Christi *magisterio* et *regia* potestate iam egimus in Theologia generali: nunc de duplici priori munere.

588. **Christus mediator** (n. 518-519) — *Mediator* generatim intelligitur ille, qui medius existit inter duos vel plures ad eos aliquo modo coniungendos vel conciliandos. Quare mediatio *ontologice* importat quamdam coniunctionem cum utraque parte concilianda vel *naturalem* vel *per gratiam* — mediatio vero *formaliter* h. e. in proprii muneris functione, includit aliquam conciliationis operationem. Mediatio haec *formalis* quadruplici modo fieri potest sc. vel per modum *arbitri* — vel per modum *internuncii* — vel per modum *supplicantis* — vel per *satisfactionem*. Tribus prioribus modis alii cum Christo esse possunt mediatores nostri ad Deum, postremo solus Christus.

Porro — a) Christum esse apud Deum mediatorem humani generis patet ex disserta doctrina Apostoli [1]: « *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* ». Praeterea — b) in ordine *ontologico* eundem Christum esse *naturalem* mediatorem, patet ex supra demonstratis de natura *divina* Christi, qua cum Deo coniungitur, et de *humana* qua nobis consanguineus est. Hinc recte s. Irenaeus [2]: « Oportuerat mediatorem Dei « et hominum per suam ad utrosque domesticitatem in amicitiam et « concordiam utrosque reducere ».

589. **Christus sacerdos** (n. 520-521) — Nobilissima autem mediationis ratio est oblatio sacrificii per legitimum *sacerdotem*. Ideam sacerdotis exhibet Apostolus [3], ex cuius doctrina sic definiri poterit: « *Homo divinitus constitutus mediator Deum inter et homines, praesertim per sacrificii oblationem* »: et ex Isidoro Pelusiota [4]: « *Sacerdotium medium est divinam inter humanamque naturam ut et illam colat, et huic mutationem in melius afferat* ». Porro — a) Christum fuisse *sacerdotem*, ne plura afferamus, declarat disertissimum Scripturae testimonium [5]: « *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* »: quem locum de Christo intelligit Apostolus eumque illustrat et expolit una cum Christi sacerdotio [6]. Christi sacerdotium — b) *præstantissimum* fuisse probat idem Apostolus ex *iuramento divino* quo Christus sacerdos constitutus est — ex dignitate *hostiae* et *offerentis* qui fuit ipse Filius unigenitus Dei — ex *unitate* et *effectu* sacrificii, quo semel oblato multorum exhausit peccata, aeterna redemptione inventa — ex *aeternitate* sacerdotii [7]. Quaestioni autem — c) *secundum*

1. Tim. II. 5. — 2. l. 3. c. 18. — 3. Hebr. V. 1. — 4. l. 3. ep. 20. — 5. Ps. 109. — 6. Hebr. a cp. 5. ad 10. — 7. Hebr. cc. 7. 9. 10.

quam naturam Christus fuit sacerdos, sic breviter responderi solet: — α) *ille qui* sacerdotio fungitur adeoque denominatur et est sacerdos, est *Christus* seu *Deus-homo* — β) natura *secundum quam* Christus existit sacerdos et principium *quo* sacerdotio est functus, est *natura assumpta*. At — γ) *valor infinitus* functionum sacerdotalium Christi a divina Verbi persona procedit. Hinc damnata est in Baio prop. 19: « Opera Christi ex dignitate personae operantis non traxerunt ma- « iorem valorem ». Quapropter — δ) nec *alio tempore* et *ritu* constitutus est sacerdos quam in ipsa incarnatione per solam carnis assumptionem et divinam Patris destinationem. Quare Apostolus [1]: « *Ideo* (Christus) *ingrediens mundum dicit: hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi .... tunc dixi: ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam ..... In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis I. C. semel* ».

590. **Conclusio I.** « *Christus tum potissimum sacerdotis munus expleverit, cum seipsum in ara crucis hostiam immaculatam Deo Patri obtulit* » (n. 526-528) — Conclusio est *de fide catholica* ex Tridentino [2]. Ceteris omissis, conclusio nostra optime demonstratur hinc quidem ex conceptu sacrificii, inde vero ex morte Christi. Ex communi quippe sensu sacrificium est « *oblatio rei sensibilis Deo facta, per eiusdem realem vel aequivalentem destructionem, legitime instituta ad agnoscendum supremum Dei dominium, et in hypothesi lapsus ad profitendam divinam iustitiam hominisque reatum* ». Quare elementa sacrificii sunt: — a) *materia* idest *victima* sacrificii, quae esse debet *res substantialis* et *sensibilis* — b) *forma physica* quae est realis vel aequivalens victimae destructio. Actio vero qua inducitur forma in victima Deoque offertur, dicitur actio *sacrifica*. Haec poni debet ab ipso sacerdote sacrificante et non tam sita est in materiali et physica destructione victimae, quam potius in voluntate sacerdotis ordinantis victimae destructionem ad finem proprium sacrificii, etsi victima ad nutum sacerdotis ab alio non sacerdote immutetur [3] — c) *forma metaphysica* quae est destructionis significatio sc. ad protestandum Dei dominium hominisque reatum: quae proinde dicitur etiam *finis* sacrificii — d) *divina institutio*, vi cuius coeremonia esse debet *sacra* et a Deo ordinata ad significandum tum cultum erga Deum, ut supremum dominum vitae et mortis, tum reatum culpae. Addi potest — e) *legitima celebratio* h. e. sacrificii oblatio a legitimo sacerdote, quamvis id ad intrinsecas rationes sacrificii non pertineat.

Atqui huiusmodi recensitae notae in morte Christi reperiuntur. Nam — α) victima oblata fuit res *substantialis* et *sensibilis*, nempe

1. Hebr. X. 5. 10. cfr. s. Th. 23. a. 6. — 2. sess. 22. c. 1. 2. — 3. cfr. 2. Paralip. XXIX. 34.

Filius Dei *caro factus* [1] — β) *forma* physica fuit *passio* et *mors* Christi, non ut actio materialis iudaeorum crucifigentium, sed ut actio sacrifica Christi sacerdotis, voluntarie et manifesto suscipientis et dirigentis ad Patrem cruciatus et mortem [2] — γ) *finis* ad quem Christus suipsius mortem ordinavit, fuit *relate ad Deum* exhibitio honoris et satisfactionis valoris infiniti — *relate ad homines* fuit acceptatio, quam Deus fecit satisfactionis sibi exhibitae pro toto humano genere, adeo ut Deus voluntate antecedenti velit hoc pretium redemptionis omnibus prodesse secundum ordinem suae sapientiae et providentiae. Id utrumque patet tum ex fine Incarnationis, tum ex universalitate mortis Christi (de qua postea) et antecedentis voluntatis Dei salvificae, tum ex infra dicendis. Denique — δ) Christus fuit *legitimus sacerdos*, ut toties appellatur in Scriptura, et ad id constitutus sacerdos in ipsa incarnatione, ut se offerret Deo hostiam pro peccatis: ergo eius mors verum fuit sacrificium. Hinc in Scripturis appellatur *oblatio, immolatio, propitiatio*, et Christus cruci affixus appellatur *Pontifex qui per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa — agnus immolatus, oblatus, sacrificatus, hostia, victima pro peccato, propitiatio nostra* [3].

591. *Dices forte: — Christus Deus erat ideoque ille cui sacrificia sunt offerenda.*

Resp. — Non rite solvunt difficultatem, qui putant satisfactionem a Christo exhibitam fuisse *soli Patri*. Nam, licet satisfactio ratione termini *cui* exhibetur, *approprietur* Patri, reapse tamen exhibita est *toti Trinitati*, cui communis fuit iniuria per peccatum illata. Sic ergo respondemus cum Billuart [4]: « Licet in Christo sit *una* tantum per« sona *secundum rem et formaliter*, gerit tamen vices *duplicis* per« sonae ideoque *virtualiter* est *multiplex* [5]. Ideo sicut si foret *for« maliter multiplex* suppositum in Christo, unum divinum, alterum « humanum, facile conciperemus quod suppositum humanum rigorose « satisfaceret supposito divino: ita ex hoc quod sit *virtualiter mul« tiplex*, concipimus quod Verbum ut subsistens in humana natura, « sibi ipsi rigorose satisfecerit, ut subsistenti in divina natura ». Quod hoc exemplo illustrari potest. Qui simul est *tutor* et *creditor pupilli*, tamquam *tutor* ex bonis pupilli sibi satisfacit ut *creditori*. Porro humanum genus erat *pupillus*, impotens ad Deo satisfaciendum;

---

1. cfr. s. Th. 3. p. q. 22. a. 2. et 1. 2. q. 102. a. 3. ad 8. — 2. 3. p. q. 22. a. 2. ad 2. — 3. Is. LXXXIII. 6. Eph. V. 2. 1. Cor. V. 21. - 1. Io. II. 3. Rom. VIII. 25. Io. I. 29. Apoc. V. 6. - 1. Pet. I. 19. Matth. XX. 28. Hebr. IX. 11. - Si quæratur, quare martyrium non habeat rationem sacrificii, respondemus illud ex eo esse repetendum, quod martyres non sunt divinitus instituti nec ut victimæ, nec ut sacerdotes ad seipsos offerendos. — 4. De incar. d. 19. a. 7. — 5. Una persona *physica*, duplex *moralis*.

quocirca datus est ei *tutor* Christus, qui ex bonis humanae naturae, idest per humanitatem tamquam principium *quo*, satisfecit sibi Deo una cum Patre et Sp. Sancto.

592. **Conclusio II.** « *Laetissimi fructus sacrificii Crucis sequentia fuere sc.* — 1° *satisfactio Deo praestita pro peccato, quae* — 2° *fuit condigna et superabundans; necnon* — 3° *gratia et gloria nobis promerita* » (n. 530-535) — Hæc conclusio est *de fide catholica* ex Conc. Flor. [1]: « Ecclesia firmiter credit, profitetur et docet, neminem un- « quam a diaboli dominatione fuisse liberatum, nisi per meritum « mediatoris Dei et hominum I. C. D. N., qui sine peccato con- « ceptus, natus et mortuus, humani generis hostem, peccata nostra « delendo, solus sua morte prostravit: et regni coelestis introitum, « quem primus homo peccato proprio cum omni successione per- « diderat, reseravit ». Talem praeterea satisfactionem fuisse superabundantem, declaravit Clemens VI. Const. *Unigenitus* mox citanda. Ea autem statuitur contra socinianos, qui nonnisi satisfactionem *metaphoricam* tuentur, et ad loca Scripturae in quibus legimus per mortem Christi expiata fuisse nostra peccata, respondent id tripliciter factum fuisse — a) *antecedenter* quatenus mors Christi secundum Dei ordinationem erat conditio, quae praecedere debebat gratuitam peccatorum remissionem — b) *exemplariter* quia consideratio mortis Christi nos movet ad poenitentiam — c) *declaratorie* quia per mortem eius certificamur condonata esse nobis peccata per Dei misericordiam.

Ad maiorem vero intelligentiam doctrinae catholicæ de *vera* et *propria* Christi *satisfactione* et *merito* nonnulla praemonenda sunt. Ac — a) satisfactio *active* est compensatio honoris læsi sive iniuriae illatae — *obiectivae* est ipsum opus et obsequium quo quis iniuriam compensat vel a se, vel ab alio illatam: quo posteriori casu satisfactio dicitur *vicaria* — b) *meritum* est dignitas ad praemium seu remunerationem opere comparata — c) *valor* operis est moralis dignitas eiusdem, quae sita est in proportione operis cum iniuria illata in satisfactione *pro culpa* — cum poena sustinenda in satisfactione *pro poena* — cum praemio in actione *meritoria* — d) *valor* satisfactionis et meriti *primario* pendent ex dignitate personae satisfacientis et merentis, *secundario* ex intrinseca praestantia operis satisfactorii et meritorii — e) valor satisfactionis (idem dicatur de merito) vel non adaequat, vel adaequat, vel excedit iniuriae gravitatem et mensuram poenae: si *primum*, satisfactio dicitur *inaequalis* vel *congrua;* si *alterum*, dicitur *aequalis* vel *condigna;* si *tertium*, dicitur *superabundans* — f) nihil repugnat idem opus *in se* simul

1. Decr. pro Iacobitis.

esse *meritorium* et *satisfactorium;* meritorium quatenus cedit in alterius honorem, satisfactorium quatenus est poenale. Deus autem tantae est bonitatis ut eadem opera nostra bona pro *utroque* valore acceptet: quatenus *meritoria* superabundanti *praemio* recompensat, quatenus *satisfactoria* acceptat ad delendum *debitum* poenae: quod si hoc excedunt, eadem asservat ut aliorum debito extinguendo inserviant: hinc *thesaurus* ex quo Ecclesia indulgentias concedit.

Prob. 1. pars — Scripturarum doctrina de verissima Christi satisfactione pro humana genere, ad haec reducitur — a) Christus humanum genus redemit: « *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* [1]. Haec redemptio — b) non fuit *metaphorica* idest peracta sola praedicatione et exemplo, sed *vera et propria* h. e. pretio soluto: « *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati et incontaminati* [2]: quam redemptionem — c) Christus in patibulo crucis consummavit: « *Ideo novi testamenti mediator est ut morte intercedente in remissionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt aeternae haereditatis* » [3] — d) Christus in morte perferenda peccatorum nostrorum *poenas luit* idest satisfecit pro reatu poenae, quo humanum genus coarctabatur: « *Christus nos redemit de maledicto legis, factum pro nobis maledictum* » [4]: idest transferens in se maledictionem seu punitionem peccatis nostris debitam. Per hanc vero poenae solutionem — e) Deo reconciliati sumus: « *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii eius, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius* » [5].

Prob. 2. pars — Satisfactionem Christi — a) fuisse *sufficientem* et *condignam*, patet ex dignitate personae satisfacientis. Illa enim satisfactio est condigna, cuius valor in morali aestimatione adaequat gravitatem iniuriae. Atqui valor satisfactionis Christi adaequat gravitatem iniuriae Deo irrogatae: hinc enim offensa Deo irrogata sumit ex dignitate infinita personae offensae gravitatem quamdam infinitam — inde vero persona satisfaciens est infinitae dignitatis: ergo satisfactiones Christi *moraliter* spectatae adaequant gravitatem iniuriae Deo irrogatae. Praeterea — b) eam fuisse *superabundantem* ex eo patet, quod, cum ad redimendum humanum genus *unus* Christi actus sufficiens fuisset, reapse totam vitam ad hominum redemptionem ordinavit, quam in sacrificio crucis complevit. Hinc ait Clemens VI [6],

1. 1. Tim. XI. 6. — 2. 1. Pet. I. 18. - 1. Cor. VI. 20. — 3. Hebr. IX. 15. — 4. 1. Gal. III. 13. — 5. Rom. V. 10. - cfr. Coloss. II. 14. necnon cp. 53. Isaiae, quod pluries citatur in Scriptura N. T. e. g. - Luc. XXII. 38. - Marc. XV. 28. - Act. VIII. 32. - Matth. VIII. 17. - Pet. II. 21. — 6. Const. *Unigenitus.*

guttam modicam « *propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisse* ». Quod quidem Deus sapientes disposuit, uti ait Suares [1] — α) ad ostensionem caritatis suae — β) ut cognosceretur melius gravitas peccati — γ) ut gratia et remissio peccati maiori in pretio ab hominibus haberetur — δ) propter exemplum.

Prob. 3. pars — Christum esse causam meritoriam nostrae iustificationis et salutis, diserte tradunt Scripturae. Sane — a) Christo tribuitur *iustificatio* nostra: « *Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius* » [2]. Item — b) Christo tribuitur *filiatio nostra adoptiva*, quae est formalis effectus gratiae sanctificantis: « *Misit Deus Filium suum ..... ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum acciperemus* » [3]. Item — c) Christo tribuitur *aeterna salus* hominum: « *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae* » [4]. Et quidem — d) haec omnia ita tribuuntur Christo, ut talis exhibeatur esse finis Incarnationis: « *Misit Deus Filium suum in mundum, non ut iudicet mundum sed ut salvetur mundus per ipsum* » [5].

593. *Dices forte: — α) reatus culpae est personalis — β) iniustum est innocentem puniri pro reo — γ) si Christus pro nobis satisfecit, ergo ad nullam nos amplius tenemur sive satisfactionem, sive poenitentiam, iustitia originalis plene restituta fuisset, nostra iustificatio non amplius foret gratuita* [6] (n. 536).

Resp. — *Ad 1um* Ad peccati veniam obtinendam praeter dolorem et veniae petitionem, requiritur (saltem quoad animi dispositionem) condigna satisfactio, qua iniuria illata compensetur: hanc vero, accedente offensi acceptatione, alius præstare potest, et hanc præstitit Christus, qui simul peccatoribus gratiam impetravit ut, sicut oportet, dolorem et veniam petere possint — *Ad 2um* Quamvis iniustum sit innocentem, *qua talem*, affici poenâ, iniustum tamen non est innocentem *loco alterius* poenas pati, pro quo sponte sua se vadem exhibet, consentiente et acceptante eiusmodi satisfactionem ipso legislatore offenso. Tunc enim *legaliter* et *translatione iuris* innocens habetur ut reus et debitor — *Ad 3um* Christus — a) ita pro nobis satisfecit ut voluerit satisfactionem suam nobis prodesse ad salutem *sub variis conditionibus* a nobis adimplendis, ut sunt fides, pœnitentia, usus sacramentorum, opera etiam satisfactoria etc... quibus non impletis, nec salus obtinetur. Item — b) satisfaciendo et merendo voluit quidem restituere ordinem *supernaturalem*, non vero *praeternaturalem* [7]. Denique — c) iustificatio nostra dici potest et *gratuita*

1. d. 4. s. 4. n. 44. — 2. Rom. III. 24. — 3. Gal. IV. 4. — 4. Hebr. V. 8. - cfr. Io. III. 14. - 1. Io. II. 2. - Coloss. I. 14. — 5. Matth. XVIII. 11. — 6. Rom. III. 24. — 7. cfr. s. Th. in 3. dist. 19. q. 1. a. 3.

et *debita*. Est *debita* Christo, qui ut caput nostrum vere satisfecit et pro nobis meruit: ideoque Pater *ex iustitia* (qualis in Deo esse potest) debet intuitu meritorum Christi hominibus praescriptas conditiones implentibus condonare peccata — est *gratuita* respectu hominum, qui nil boni fecerunt nec facere potuerunt, quo talem tantumque promererent redemptorem.

594. **Conclusio III.** « *Inter laetissimos redemptionis fructus recenseri quoque debet gloriosa corporum resurrectio* » (n. 537-542). — Ad completam doctrinam de carnis resurrectione *quinque* spectant sc. — a) *factum* futurae resurrectionis — b) *universalitas* resurrectionis idest tam electorum quam reproborum — c) *identitas carnis* resurgentis cum carne quam singuli in statu viae gestarunt — d) *simultaneitas* resurrectionis, quatenus omnes eodem tempore resurgent — e) Christum esse *causam meritoriam* gloriosae electorum resurrectionis. Conclusio est *de fide catholica* ex Later. IV. [1]: « Omnes cum suis propriis corporibus resurgent quæ nunc gestant ».

Prob. 1um — Factum futurae resurrectionis duplici ratione probat Apostolus [2]. *Prima* est: « *Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est fides vestra* » (v. 13.). Ex quibus sic: honor corporis exigit ut capitis conditio membris communicetur. Atqui Christus caput nostrum resurrexit: ergo omnino conveniens est ut et nos resurgamus, ne sint sub capite vivo membra mortua — *Altera* est: « *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus?* » (v. 54.). Ex quibus sic: victoria quam Christus de diabolo retulit, fuit completa ideoque Christus non modo de morte animae triumphavit, verum etiam de morte corporis, cum utraque mors de diabolo provenerit. Atqui Christus triumphavit de morte animae, nobis donando gratiam et gloriam: ergo de morte corporis triumphavit, nobis elargiendo resurrectionem.

Prob. 2um — Universalitatem resurrectionis adeo clare proponit Christus [3] ut nihil evidentius desiderari possit: « *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii* » — Neque obstat illud Ps. 1.: « *Non resurgent impii in iudicio* »: hoc enim et similibus testimoniis abiudicatur impiis resurrectio *gloriosa*.

Prob. 3um — Omnes resurrecturos esse cum iisdem corporibus quae nunc gestant, adhuc aperte tradit Scriptura. Sic Iob [4]: « *Scio enim quod Redemptor meus vivit et in novissimo die de terra surrecturus*

1. cp. *Firmiter*. — 2. I. Cor. XV. — 3. Io. V. 28. — 4. Iob. XIX. 23.

sum et rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt et non alius: reposita est haec spes mea in sinu meo »: et Apostolus [1]: « *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* ». Et revera ille dicitur resurgere qui prius cecidit; neque enim alius cadit, alius resurgit. Neque huic corporis identitati adversatur, quod eadem materia in pluribus corporibus successive fuerit. Nam — a) ex una parte ad corporis identitatem haud necesse est, ut in resurrectione omnia et singula elementa restituantur, quae corpus mortale constituebant, sed sufficit ut id tantum reddatur quantum iuxta moralem hominum aestimationem satis est, ut corpus sit idem; ex alia vero parte — b) si Deus decrevit corporum resurrectionem, ad ipsum spectabit singula corporis elementa, quae ad eius identitatem absolute exiguntur, tueri et servare, ne in alterius corporis proprietatem transeant. Ceterum memoriâ retinendum est illud Chrysostomi [2]: « Cum potentia Dei operatur, illud *quomodo* non est addendum » [3].

Prob. 4um — Simultaneitatem resurrectionis tradit eadem Scriptura cum dicit eam fieri *in hora, in momento:* « *Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei* » — « *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba.... et mortui resurgent et nos immutabimur* » [4].

Prob. 5um — Christum esse *causam meritoriam* resurrectionis nostrae gloriosae constat ex Scriptura [5]: « *Qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam et resurrectionem* » — « *Qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae* »: quare idem Apostolus [6]: « *Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium* ». Praeterea resurrectio gloriosa exhibetur tamquam specialis fructus carnis Christi eucharisticae rite susceptae [7]: « *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* ».

595. **Scholion I.** *De dotibus corporis gloriosi* (n. 543) — Dotes corporis glorificati sic exhibet Apostolus [8]: « *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget spiritale* » — *Quatuor* ergo sunt dotes corporis beatorum sc. — a) *impassibilitas* seu immunitas a quovis malo corporeo — b) *claritas* idest interna et externa lux, qua totum corpus luminosum fiet iuxta illud [9]: « *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno*

1. 1. Cor. XV. 33. — 2. hom. de resurr. n. 2. — 3. cfr. s. Th. c. g. l. 4. c. 91. — 4. 1. Thess. IV. 15. — 5. Tim. I. 10. - Philipp. III. 21. — 6. 1. Cor. XV. 20. — 7. Io. VI. 55. — 8. 1. Cor. XV. 42. — 9. Math. XIII. 43.

Patris eorum » — c) *agilitas* seu facultas exercendi expedite et velociter motus locales — d) *subtilitas* seu facultas qua corpus penetrare potest quodvis aliud corpus, sive cum illo in eodem loco coëxistere. Corpora autem damnatorum in deterius commutabuntur contrariisque proprietatibus erunt praedita; erunt nempe passibilia, crassa, gravia et tenebrosa.

596. **Scholion II.** *De iudicio universali* (n. 544) — Praeter iudicium *particulare* de quo supra (n. 521) erit in fine mundi post corporum resurrectionem iudicium *publicum* et plane *universale*. Porro — a) *de fide* est ex symbolo athanasiano futurum esse universale iudicium: « Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem ». Et revera illud accurate describitur ab ipso Christo [1]: « *Cum autem venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae: et congregabuntur ante eos omnes gentes et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hoedis. Et statuet oves quidem a dextris suis, hoedos autem a sinixtris. Tunc dicet rex his qui a dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi..... Tunc dicet his qui a sinixtris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum qui paratus est diabolo et angelis eius..... Et ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam* ». Nec desunt — b) rationes congruentiae quae sunt: ut infinita Dei iustitia et misericordia manifestetur — ut iudicium particulare promulgetur — ut laesa iustorum fama coram toto humano genere reparetur — ut Christi maiestas toti orbi innotescat. Erit autem *immediate* post *secundum* Christi adventum, uti apparet ex citato loco evangelico. Hinc excludenda est chiliastarum seu millenariorum opinio qui saec. II. et III., falso innixi cp. 20. Apoc. finxerunt regnum quoddam Christi gloriosum in terris, quasi intermedium inter praesentem militantis Ecclesiae statum et gloriam aeternam, per mille circiter annos duraturum. Pro gaudiorum varietate, sive carnalium, sive spiritualium, quibus iusti in illo statu frui deberent, chiliasmus alius erat *crassus*, inter haereses a Patribus recensitus, alius *subtilis*, a nonnullis quoque Patribus admissus.

597. **Quaestio I.** *An Christi redemptio fuerit plane universalis?* (n. 545-546) — Est *fide catholica* Christum non tantum pro praedestinatis mortuum esse, sed etiam pro omnibus fidelibus (n. 382): doctrina autem quae tenet Christum pro omnium hominum salute sanguinem suum fudisse, est *fidei proxima*. Revera legitur [2]: « *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* » — « *Dedit redemptionem seipsum pro om-*

1. Matth. XXV. 31. — 2. 1. Io. II. 2. - 2. Tim. II. 6.

nibus ». Ceterum tam late patet redemptio per Christum quam ruina per Adamum: « *Venit enim Filius hominis salvare quod perierat* » [1]. Atqui Adam per peccatum universae suae propagini nocuit: ergo.

Adverte tamen — a) fructum immediatum mortis Christi non esse singulorum *salutem*, sed *possibilitatem* salutis consequendae, quae per liberam cooperationem nostram divinis gratiis ad actum reducitur. Hinc s. Augustinus [2]: « Sanguis Domini tui, *si vis*, datus est « pro te; *si nolueris*, non est datus pro te. Sanguis Christi volenti « est salus, nolenti supplicium ». Quare Christus dicitur mortuus pro omnibus *quoad sufficientiam*, pro electis *quoad efficaciam*.

598. **Quaestio II.** *Utrum opera Christi habuerint ab intrinseco valorem infinitum?* (n. 547) — Nobis omnino probatur sententia, quae contra Scotum statuit, opera Christi, *in se* et *in actu primo* spectata, fuisse satisfactoria et meritoria *ab intrinseco* idest *ex se*, non autem solum *ab extrinseco* sc. ex divina acceptatione. At *in actu secundo* inspecta concedimus fuisse satisfactoria et meritoria *ab extrinseco* sc. ex acceptatione, quae tamen in ipso incarnationis decreto iam continetur.

599. **Quaestio III.** *Utrum satisfactio Christi fuerit condigna secundum rigorem iustitiae?* (n. 548) — Distinguunt Theologi inter satisfactionem *simpliciter* condignam et condignam *secundum rigorem iustitiae;* in illa, quamvis adsit condignitas operis seu aequalitas ad gravitatem iniuriae, tamen aliqua liberalitas ex parte creditoris intercedit; haec vero omnes conditiones ad strictam iustitiam requisitas servat. Porro defendi posse videtur Christum pro nobis satisfecisse secundum rigorem iustitiae. Nam ad rigorosam satisfactionem tres praesertim conditiones requiruntur sc. — a) ut satisfactio sit *ad alterum*, cum sit actus iustitiae commutativae — b) ut fiat ex bonis *propriis* debitoris — c) et ex bonis *nondum* alio titulo debitis. Atqui — α) Christus satisfecit *alteri* idest Deo. Christus enim satisfaciens est *Verbum subsistens et operans in humana natura:* atqui Verbum *carofactum* distinguitur a *Patre*, a *Sp. Sancto* et a *seipso* quatenus in *divina natura* subsistit: ergo. Item — β) Christus ex bonis *propriis* satisfecit: persona enim satisfaciens est persona *divina*, quamvis per *actus* humanae naturae: atqui Verbo nulla facta est gratia nec fieri potuit: ergo. Item — γ) Christus satisfecit ex bonis *nondum* alio titulo *debitis:* opera enim Christi non sunt *praecise* opera solius humanitatis, sed vere sunt opera *Verbi*, opera *Dei:* atqui Verbum nullum debitum contraxit, imo nec debiti capax est: ergo.

Opponi solet dari non posse titulum iustitiae erga Deum: ille enim induceret in Deo *debitum* erga creaturam et in creatura *ius* erga Deum, quae duo sine imperfectione in Deo intelligi non possunt. At

1. Matth. XVIII. 11. — 2. serm. 344. al. 31.

contra: Deus dicitur *obligari* erga creaturam (consequenter dicitur creatura *ius* habere in Deum), non quatenus legi superiori sit subiectus, sed quatenus essentialis Dei perfectio actionem aliquam exigit. Et sic posita Dei promissione remunerandi opera bona creaturarum, et posito opere meritorio ex parte creaturae, intrinseca Dei perfectio, non modo quatenus est *fidelitas*, sed etiam quatenus est *iustitia* servans aequalitatem inter meritum et praemium, exigit ut premium tribuatur [1].

600. **Quæstio IV.** *Quaenam bona Christus sibi et angelis promeruit?* (n. 549) — *Ad 1um* Christus sibi meruit *gloriam corporis* [2] — sui nominis *exaltationem* [3] — *cultum gentium* [4]: minime autem unionem hypostaticam [5] — gratiam habitualem — scientiam beatam et infusam, quia omnia hæc debita erant Christo vi unionis hypostaticæ — *Ad 2um* Iuxta nostram sententia, quae statuit Verbum non fuisse incarnatum, si Adam non peccasset [6], tenendum est Christum non promeruisse angelis nec gratiam nec gloriam essentialem [7]. Concedi autem potest Christum meruisse angelis aliquas illustrationes et alia dona accidentalia; item promeruisse ipsis gaudium de reparatione suarum sedium per hominum redemptionem [8].

601. **Quæstio V.** *An reparatio per Christum latius pateat ruinâ per Adamum illata?* (n. 550) — Id docet Apostolus [9]: « *Sed non sicut delictum, ita ed donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit* ». Quod eo sensu intelligendum est, quatenus — a) Adam *uno* tantum nos peccato infecit, Christus vero nos *a pluribus* liberat: quatenus — b) Christus longe abundantiorem gratiam nobis donavit, quam per peccatum amisimus: at — c) non *extensive*, quia Adam *omnes* peccato infecit, dum Christi merita non omnibus hominibus applicantur — « *Dignus es ergo, Domine, quoniam occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu et lingua et populo et natione.... accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem* » [10].

CAPUT V.

Mariologia.

602. **Prologus** (n. 551) — Intima relatio b. Virginis ad Verbum incarnatum postulat ut, expletis quaestionibus de Filio, convertamur

1. cfr. s. Th. 1. p. q. 21. a. 1. ad 3. - 1. 2. q. 3. a. 1. ad 2. — 2. Philipp. II. 8. — 3. Hebr. II. 9. — 4 Ps. 2. — 5. cfr. s. Th. 3. p. q. 2. a. 11. — 6. cfr. n. 538. — 7. cfr. Lugo d. 27. s. 8. - s. Th. in 3. dist. 13. q. 2. a. 2. sol. 1. — 8. Luc. XV. 7. — 9. Rom. V. 15. — 10. Apoc. V. 9.

ad Matrem, de tribus disputaturi sc. — a) de altissima dignitate *genitricis* Dei — b) de eius insignibus praerogativis — c) de eius munere in opere redemptionis et salutis.

603. **Conclusio I.** « *B. Virgo* — 1° *vere et proprie est mater Dei* — 2° *quæ dignitas prope infinita censeri debet* » (n. 552-558) — Hanc insignem praerogativam negavit Nestorius qui, unione hypostatica reiecta, concessit quidem Mariam esse *Christiparam* sc. matrem Christi *hominis*, sed nullatenus *Deiparam* h. e. matrem *Dei*. At ex asserto dogmate de unione hypostatica facta in primo conceptionis instanti sponte consequitur, Mariam esse genitricem Dei idque non sensu *diviso*, sed *composito*, quatenus terminus generationis fuit persona divina, utique carne induta, praestante b. Virgine id omne quod ad generationem maternam pertinet. Quod est *dogma fidei* ex anathematismo 1. s. Cyrilli a conc. oecum. III. approbato: « Si quis « non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel et propterea *Dei* « *genitricem* sanctam Virginem; peperit enim secundum carnem fa- « ctum Dei Verbum..... A. S. »: necnon ex concilio œcum. V. can. 6. 8. et Lateranensi sub Martino I. can. 3.

Prob. 1. pars — Omissis disertis Scripturae testimoniis [1], illud argumentum afferre placet, quod ex intrinseca generationis indole duci solet — *Generatio* definitur: « *origo viventis a vivente in similitudinem naturae vi productionis formaliter* » [2]. Porro — a) sicut in generante duplex distinguitur generationis principium, nempe principium *quod* (persona) et *quo* (natura), sic et in genito duplex generationis terminus sc. *completus* seu *qui* generatur et est persona — *formalis* seu *quo* persona generatur et est natura. Haec — b) vel *producitur* alia *numero* a natura generantis, ut in creatis: vel eadem *numero* tantum *communicatur* ut in Verbi generatione. Praeterea — c) natura in contingenti generatione vel cum producitur *sibi relinquitur* ita ut sit *semper in se tota substantia*, vel *prius* tempore producitur sibique relinquitur et *postea* a nobiliori persona assumitur [3]: vel *in primo conceptionis instanti* a nobiliori persona assumitur. In duplici priori hypothesi terminus *qui* generationis ideoque *filius* est persona in *propria* natura subsistens, ex. gr. homo: in tertia hypothesi terminus *qui* generationis ac proinde *filius* respectu generantis, est persona *assumens*, ad quam vere et proprie terminatur generatio mediante natura *assumpta* tamquam termino *formali* generationis. Ex quibus collige — d) ad rationem generationis requiri et sufficere ut persona vel *secundum se totam* sc. cum *propria* natura: vel *secundum naturam assumptam*, ex substantia generantis

1. Gal. IV. 4. — 2. cfr. s. Th. 1. p. q. 27. a. 2. — 3. cfr. s. Th. 3. p. q. 4. a. 2.

derivetur ita ut *per naturam* actio generantis terminetur *ad personam*. Porro ad rem nostram adverte — α) corpus Christi, supernaturaliter operante Sp. Sancto, ex purissimo sanguine B. V. formatum esse, ipsa materiam subministrante [1]. Quare merito Christus dicitur *conceptus, natus, factus ex Maria, ex muliere* [2]. Hoc corpus — β) in primo conceptionis instanti *formatum* fuit — *anima eaque rationali informatum* — et *simul* a Verbo assumptum [3]. Idcirco in Scriptura ll. cc. *ipse Dei Filius* dicitur factus, conceptus, natus ex muliere. Ex quibus sequitur — γ) b. Virginem fuisse non tantum *Christiparam* [4] sed vere et proprie etiam *Deiparam*. Revera en *argumentum:* terminus *qui* generationis et in quo oritur relatio *filii* ad generantem est *persona*. Atqui persona, in quam terminata est actio generativa b. Virginis per humanae naturae communicationem, est divina Verbi persona: ergo. Non autem sequitur — δ) b. Virginem esse *Deam* ut fingebant Collyridiani haeretici saec. IV. qui teste Epiphanio [5] B. V. colebant uti *Deam*. Deus enim est nomen *naturae*, quod proinde nonnisi habentibus divinam naturam convenire potest [6]. Interim adverte: in *aeterna* Verbi generatione hypostasis generatur in natura *improducta* sed tantum *communicata* — in *humana* generatione producitur hypostasis in *producta* natura — in *divino-humana* Christi generatione hypostasis non generatur *simpliciter* sed *secundum productam* et *assumptam naturam*. Verbum igitur *duplicem* quidem habet *generationem* pro *duplici natura*, at *unicam filiationem* pro *una persona* [7].

Prob. 2. pars — Divina maternitas dupliciter considerari debet sc. *physice* et *moraliter* sc. quatenus fuit radix et fundamentum plenitudinis gratiarum pro Virgine. Divina maternitas *physice* inspecta in eo consistit quod pars substantiae illius virginei corporis facta fuerit caro Verbi, per quam carnis subministrationem b. Virgo naturalem cognationem contraxit cum Filio Dei; quare dum Deus ceteris inest creaturis *essentiâ* et *operatione*, inest matri suae *identitate* [8]. In hac autem consanguinitate cum Filio includitur — a) specialis Virginis relatio *ad Patrem*, cuius Filium ipsa genuit in tempore — *ad Sp. Sanctum*, cuius specialis fructus est Christus; hinc s. Bernardus [9]: « Pater tecum qui filium suum facit et tuum; Filius tecum ..... Sp. « Sanctus tecum, qui cum Patre et Filio tuum sanctificat uterum ». Exinde b. Virgo — b) habitum quoque induit *maternitatis* in omnes homines multiplici titulo, scilicet *cognationis* cum Christo qui est confrater noster — *cooperationis* ad totius generis reparationem — *con-*

1. s. Th. q. 31. a. 5. et q. 32. a. 4. — 2. Luc. I. - Matth. I. 16. - Gal. IV. 4. — 3. nn. 544. 545. - cfr. s. Th. 3. q. 34. a. 3. — 4. cfr. s. Th. q. 35. a. 3. 4. - Io. II. 2. - Luc. I. 43. — 5. haer. 79. cfr. Moroni *Dizion.* — 6. s. Th. 1. p. q. 13. a. 8. — 7. cfr. s. Th. q. 35. a. 5. — 8. s. Damianus serm. 1. *de Nativ.* — 9. Serm. 3. *Missus est.*

sensus quem ipsa dedit in mysticum connubium Filii Dei cum nostra natura [1] — *sollicitudinis* pro singulorum salute — *haereditatis* quia in persona Ioannis mater nostra a Christo constituta est [2]. At — c) praeeminet relatio Virginis ad Filium, ex qua dignitas matris vere *infinita* evadit; sicut enim *melior* filius esse nequit Filio Dei, sic nec *dignior* mater quam mater Filii Dei. Ad rem b. Albertus M. [3]: « Filius « *infinitat* matris bonitatem, infinita bonitas in fructu infinitam quam- « dam adhuc ostendit in arbore bonitatem »: et s. Thomas [4]: « b. Virgo « ex hoc quod est mater Dei habet quamdam dignitatem *infinitam* « ex bono infinito, quod est Deus ».

Divina maternitas *moraliter* inspecta fons est *plenitudinis* gratiae pro b. Virgine. Ad quod illustrandum sequentia ex ordine adnotentur — a) Est principium indubium « quod illos quos Deus ad « aliquid eligit, ita praeparat et disponit ut ad id, ad quod eliguntur, « inveniantur idonei. B. autem Virgo fuit divinitus electa ut esset « mater Dei. Et ideo non est dubitandum quin Deus per suam « gratiam eam ad hoc idoneam reddidit » [5]. Item — b) « Quanto « magis aliquid appropinquatur principio in quolibet genere, tanto « magis participat effectum illius principii. Christus autem est prin- « cipium gratiae secundum divinitatem auctoritative, secundum hu- « manitatem vero instrumentaliter.... Beata autem Virgo propinquis- « sima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit « humanam naturam. Et ideo prae ceteris maiorem debuit a Christo « gratiae plenitudinem accipere » [6]. Hinc intelligitur — c) quo sensu b. Virgo salutata fuerit ab Angelo [7] « *gratia plena* »: nempe, ut explicat idem Angelicus [8]: « b. Virgo dicta est plena gratiae non « ex parte ipsius gratiae, quia non habuit gratiam in summa excel- « lentia qua potest haberi, nec ad omnes effectus gratiae; sed per « comparationem ad ipsam, quia sc. habebat gratiam sufficientem ad « statum illum, ad quem erat electa a Deo, ut esset sc. mater uni- « geniti eius ». Huius vero plenitudinis — d) fuit veluti triplex gradus seu perfectio: « *prima* quidem quasi *dispositiva* per quam « reddebatur idonea ad hoc quod esset mater Christi: et haec fuit « perfectio sanctificationis (sc. in immaculato conceptu) — *Secunda* « ex praesentia Filii Dei in eius utero incarnati (sc. in incarnatione « Verbi) — *Tertia* est perfectio finis quam habet in gloria (sc. eius « exaltatio in coelis super choros angelicos) [9] ». Concludamus ergo praeclaris verbis auctoris qui dicitur *Idiota sapiens* [10]: « Quodcumque

1. s. Th. 3. q. 30. a. 1. — 2. Io. XIX. 26. — 3. in Matth. super *Missus est* q. 197. — 4. 1. q. 25. a. 6. — 5. s. Th. 3. q. 27. a. 4. — 6. a. 5. — 7. Luc. I. 28. — 8. q. 7. a. 10. ad 1. — 9. s. Th. q. 27. a. 5. ad. 2. — 10. in contempl. de V. M. c. 2.

« donum alicui sanctorum unquam datum fuit, Tibi non fuit negatum, « sed omnium sanctorum privilegia omnia habes in te congesta. « Nemo aequalis est Tibi, nemo maior Te nisi Deus ».

604. **Conclusio II.** « *B. Virgo immunis fuit* — 1° *a peccato originali* — 2° *a quovis peccato actuali* » (n. 559-569) — Prima pars est *de fide catholica* ex Bulla dogmatica Pii IX. *Ineffabilis Deus* (8 dec. 1854): « Definimus doctrinam quae tenet B. V. Mariam « in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis « Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum C. I. Salvatoris humani « generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, « esse a Deo revelatam atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter « constanterque credendam ». Agitur ergo — a) *de conceptione* non *activa*, sed *passiva* quae continetur in infusione animae rationalis quaeque *animatio* appellari solet. Agitur — b) *de praeservatione a peccato originali*, quod significat animam b. Virginis in primo suæ existentiae instanti exornatam fuisse gratia sanctificante. Agitur — c) *de singulari Dei gratia et privilegio:* quae significant tum *debitum* saltem *remotum* in b. Virgine contrahendi culpam originalem, tum discrimen inter Christum et eius matrem. Dicitur — d) *intuitu meritorum Christi* ad ostendendum b. Virginem quoque indiguisse redemptione Filii sui, quae redemptio non fuit *reparativa*, sed solum *praeservativa*. *Altera* quoque conclusionis pars est *de fide catholica* ex Trident. [1]: « Si quis hominem semel iustificatum dixerit..... posse in tota vita « peccata omnia, etiam venialia, vitare nisi ex speciali privilegio, « quemadmodum de b. Virgine tenet Ecclesia A. S. ».

Prob. 1. pars — a) ex Scriptura, ex qua duplex suppetit testimonium — *Primum* est Gen. [2]: « *Inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo eius* ». Argumentum ex his efflorescens ita habet: *serpentis* nomine diabolus, *mulieris* b. Virgo, *seminis* mulieris Christus intelligitur, uti constat tum ex authentica interpretatione Pii IX. in cit. Bulla, tum ex sensu traditionali Ecclesiae, cum vaticinium hoc semper appellatum fuerit a majoribus *protoevangelium* seu prima evangelii promissio. Atqui hic talis inimicitia praedicitur inter diabolum et Mariam, quae exemptionem ab ipsa originali labe importet: ergo — *Prob. min.* Exigit textus biblicus ut relata verba divina sensu plenissimo adimpleta censeantur in Christo Iesu redemptore eiusque sanctissima matre. Atqui sensus plenus exigit ut sicut inter filium Mariae et daemonem nullum *unquam* extitit consortium, ita neque inter eius matrem et daemonem fuerit aliquando coniunctio. Ergo mulier illa fortis *nunquam* fuit diabolo amica, semper et ubique

1. sess. 6. cn. 23. — 2. Gen. III. 15.

Deo amica. Atqui separatio a diabolo fit per munditiam a peccato, coniunctio cum Deo fit per gratiam: ergo b. Virgo nunquam fuit peccato irretita, semper fuit gratiâ condecorata — *Alterum* testimonium continetur in verbis Gabrielis [1]: « *Ave gratia plena, Dominus tecum* »: ex quibus sic: — a) b. Virgo salutatur *gratia plena*: atqui inter alias adest quoque *plenitudo temporis* quæ importat ut gratia toto vitae tempore b. Virginis animam occupaverit: ergo. Item — b) salutatur cum Deo semper coniuncta: « *Dominus tecum* »: atqui perpetua cum Deo coniunctio peccatum excludit quovis vitæ tempore: ergo. Quam duplicem expositionem *authentice* confirmat Pius IX. in cit. Bulla.

b) Accedit doctrina Patrum multiplici ratione tradita. Patres enim *implicite* docent immaculatum b. Virginis conceptum, quoties eam praedicant *absolute innocentem penitusque illibatam et ab omni labe immunem* (s. Germanus) — *solam puram solamque sine macula* in comparatione cum aliis sanctis (s. Damascenus) — *solam filiam vitæ* (s. Modestus) — *quae ipsorum cœlestium spirituum nitentissimam puritatem immenso intervallo superat* (s. Germanus) — *quae nitet puritate solo Deo inferiori* (s. Anselmus) — *terram immaculatam* (præsbyteri Achaiae) — *lignum immarcescibile* (s. Hippolytus m.) — *germen semper viride semperque floridum* (Andreas cretensis) — *thronum sanctum a Deo sibi praeparatum* (Graeci) — Docent etiam *explicite:* prae ceteris insigne est testimonium s. Augustini [2]: « Excepta S. V. « Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de pec- « cato agitur haberi volo quaestionem. Inde enim scimus quod ei « plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, « quae concipere ac parere meruit quem constat nullum habuisse « peccatum ».

c) In idem conspirat sensus fidelium qui *explicitus* evasit a sæc. XII. et deinceps, non obstante auctoritate s. Bernardi [3] et s. Thomae [4] qui huic dogmati adversari credebantur — non obstante gravissimorum doctorum oppositione. Atqui huiusmodi persuasio sive *phylosophice* spectetur h. e. secundum principia sanae rationis, sive *theologice* h. e. iuxta revelationis principia de Ecclesia columna et firmamento veritatis, de Sp. Sancto Ecclesiam protegente eamque in omnem veritatem inducente, talis, inquam, consensio explicari nequit nisi ei subesse veritas credatur: ergo.

d) Idem sensus traditionalis manifestatur ex instituto festo *Conceptionis* b. Virginis. Constat quippe ex Damasceno, hoc festum iam a saec. VIII. in Ecclesia graeca fuisse celebratum, quod deinde paulatim

1. Luc. I. 28. — 2. De nat. et gr. c. 36. cfr. s. Ambr. - s. Sophr. serm. 22. in ps. 118. ep. syn. — 3. De mente s. Bern. cfr. Bened. XIV. *De festis B. V.* n. 188. — 4. cfr. loca discrepantia Ang. Doctoris 1. sent. d. 17. q. 2. a. 4. ad 3. - d. 44. q. 1. a. 3. ad 3. - 3. dist. 3. q. 1. qcla 2. - 3. p. q. 14. a. 3.

in universam Ecclesiam inductum fuit. Atqui Ecclesia non celebrat et colit nisi quod est sanctum: quod patet ex s. Augustino qui [1] ait, nos quidem celebrare diem *passionis* s. Cypriani quia hæc sancta fuit, minime vero diem *nativitatis* quia haec fuit in peccato: necnon ex sensu Ecclesiæ ipsius, quæ celebrat nativitatem s. Io. Baptistæ quia sanctificatus fuit in utero, non autem aliorum SS. quia in peccato concipiuntur. Ergo conceptio b. Virginis fuit *sancta* seu *immaculata*.

e) Nec desunt rationes congruentiae. Sane — α) prorsus decebat « ut sicut Unigenitus in coelis Patrem habuit quem Seraphim ter « sanctum extollunt; ita matrem haberet in terris quae nitore san- « ctitatis nunquam caruerit »: Pius IX. in cit. Const. Item — β) « horremus dicere mulierem, quae caput serpentis contritura erat, « quandoque ab eo contritam, et quae diaboli filia fuit, matrem Do- « mini futuram, dominam angelorum servam fuisse peccati et ama- « tissimam Dei Patris filiam quandoque fuisse filiam irae »: Dionysius carthus. [2] Similiter — γ) « perfectissimus mediator habet perfectis- « simum actum mediandi respectu alicuius personae, pro qua mediat. « Sed Christus est perfectissimus mediator: ergo habuit perfectissi- « mum gradum mediandi respectu alicuius creaturae. Sed respectu « nullius personae habuit excellentiorem gradum quam respectu Ma- « riae: ergo. Sed hoc non esset nisi meruisset eam praeservare a « peccato originali: ergo »: Scotus [3].

Prob. 2. pars — a) ex Patribus, quorum doctrina disertissima est. Audiantur prae ceteris Damascenus et Bernardus — *Primus* ait [4]: « Terra est in qua nulla peccati enata spina, secus vero per cuius « germen illud potius evulsum est; terra est, non uti prior maledicta « et cuius fructus spinis et tribulis horrescant, sed super quam be- « nedictio Domini fuit » — *Alter* [5]: « Copiosior sanctificationis be- « nedictio in eam descendit quae ipsius non solum sanctificaret ortum, « sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod « nemini alteri in natis mulierum creditur esse donatum. Decuit ni- « mirum reginam virginum singularis privilegio sanctitatis absque « omni peccato ducere vitam, quae dum peccati mortisque pareret « redemptorem, munus vitae et iustitiae omnibus obtineret » [6] — b) Rationes vero theologicas ita complectitur s. Thomas [7]: « b. Virgo « fuit electa divinitus ut esset mater Dei et ideo non est dubitandum « quod Deus eam per suam gratiam ad hoc idoneam reddidit, secun- « dum quod Angelus ad eam dicit: *Invenisti gratiam apud Deum*. « Non autem fuisset mater Dei, si peccasset aliquando, tum quia

1. serm. 310. in natali s. Cypriani. — 2. in 3. dist. 3. q. 1. — 3. in 3. sent. d. 3. q. 1. n. 4. — 4. or. 2. in nativ. Deiparae. — 5. ep. 174. n. 5. — 6. cfr. testim. Augustini supra n. 604. — 7. 3. p. q. 27. a. 4.

« honor parentum redundat in prolem, secundum illud Prov. [1]: *Gloria* « *filiorum patres eorum:* unde et per oppositum ignominia matris ad « filium redundasset — tum etiam quia singularem affinitatem habuit « ad Christum, qui ab ea carnem accepit: dicitur autem [2]: « *Quae* « *conventio Christi ad Belial?* — tum etiam quia singulari modo Dei « Filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitavit non solum in anima « sed etiam in utero: dicitur autem Sap. [3]: « *In malevolam animam* « *non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et « ideo simpliciter fatendum est quod b. Virgo nullum actuale pecca- « tum commisit, nec mortale nec veniale, ut sic in ea impleatur quod « dicitur [4]: « *Tota pulchra es amica mea et macula non est in te* » [5].

605. **Conclusio III.** « *Corpus quoque Virginis duplici praerogativa exornavit Deus ut sc.* — 1° *perpetuo virginitatis lilio illud condecoraret* — 2° *ut simul cum anima statim post mortem assumptum fuerit in coelum* » (n. 571-573) — Prima pars est *de fide catholica* ex symbolo apostolico eaque statuitur contra Bonosum episcop. sardicensem aliosque saec. IV. — secunda est saltem *theologice certa.*

Prob. 1. pars — Maria — a) fuit *virgo* tum *in conceptu* tum *in partu.* Legitur enim Is. [6]: « *Ecce Virgo concipiet et pariet Filium* »: ex quibus sic: hoc vaticinium est messianum. Atqui hic praedicitur virgo *concipiens* et *pariens* non in sensu *diviso*, sed in sensu *composito,* idest incolumi manente corporali virginitate: ergo — *Prob. mai.* ex authentica interpretatione s. Matthaei qui [7] enarrata mirabili Christi conceptione, subiicit: « *Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit et pariet Filium et vocabunt nomen eius Emmanuel* ». *Prob. minor* tum ex sensu obvio verborum — tum ex scopo Isaiae qui voluit insigne aliquod prodigium promittere in signum, ut patet ex contextu — tum ex allegatione apud Matthaeum facta eo fine ut demonstraretur rationem abfuisse cur Ioseph de Mariae utero turbaretur. Quod dogma Patres præclaris comparationibus illustrant: sc. sicut Pater aeternus absque corruptione genuit ab aeterno Verbum — sicut mens purissime concipit paritque verbum internum — sicut pupilla oculi absque laesione gignit speciem obiecti visibilis — sicut Christus illaeso sigillo prodiit e sepulchro; ita Verbum, illaeso virginitatis sigillo matris suae, prodiit in mundum caro factum. Praeterea — b)

1. Prov. XXVI. 6. — 2. 2. Cor. VI. 15. — 3. Sap. I. 4. — 4. Cant. IV. 7. — 5. Tanta autem fuit b. Virginis puritas et sanctitas ut — a) communiter doceant Theologi fomitem peccati ***extinctum*** in ea fuisse in ***secunda*** sanctificatione, nempe in Verbi incarnatione: — b) item communiter statuant eundem fomitem ***ligatum*** fuisse in ***prima*** Virginis sanctificatione h. e. in eius immaculata conceptione, ne in motum aliquem inordinatum prorumperet, speciali divinae providentiae munere: imo — c) censeant nonnulli ***extinctum*** quoque fuisse in ***prima*** sanctificatione. cfr. s. Th. (3. p. q. 27. a. 3.). — 6. Is. VII. 14. — 7. Matth. I. 22.

Maria *virgo* permansit *post partum*. Hæc perpetua virginitas Genitricis Dei colligitur — α) ex ipsius verbis Luc. [1]: « *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* »: ex quibus sic: hoc responso b. Virgo suum propositum aut votum ostendit virginitatem servandi, non obstante sua cum b. Iosepho desponsatione. Atqui mulierem hanc sanctissimam atque fidelissimam, quod sibi proposuit aut vovit, procul dubio servasse tenendum est, nisi rationes in contrarium afferantur: ergo. Colligitur — β) ex fidelium consensu tempore et loco universali adeo ut sanctissima Dei genitrix appelletur anthonomastice *Virgo*. Colligitur — γ) ex multiplici ratione congruentiae, quam sic exponit s. Thomas [2]: « Dedestandus est error Helvidii qui dicere praesumpsit « matrem Christi post partum a Ioseph esse carnaliter cognitam et « alios filios genuisse. Hoc enim derogat Christi perfectioni, qui sicut « secundum divinam naturam unigenitus est Patris, ita decuit ut « esset unigenitus matris — Hic error iniuriam facit Sp. Sancto, cuius « sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit. « Unde non decebat quod de cetero violaretur per commixtionem « virilem — Derogat dignitati et sanctitati Matris Dei, quae ingra- « tissima videretur, si tanto Filio contenta non esset, et si virgini- « tatem, quae in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere « vellet — Etiam ipse Ioseph esset ad maximam praesumptionem « imputandus, si eam, quam revelante Angelo de Sp. Sancto Deum « concepisse cognoverat, polluere attentaret ».

Prob. 2. pars — Potiores rationes quae pro gloriosa Virginis assumptione militant, sunt: — a) sensus fidelium iam a saec. VIII, a quo nec graeci schismatici discedunt, qui in Synodo hierosolym. (a. 1672) aiunt: « Signum esse dicitur in cœlo eoquod ipsa cum « corpore assumpta est in coelum » — b) Festum *assumptionis* antiquissimum in Ecclesia, cum de eo mentio fiat in martyrologio s. Hieronymi et in sacramentario s. Gregorii. Celebrari autem assumptionem Virginis non modo secundum animam, verum etiam *secundum corpus*, colligitur ex liturgia illius diei necnon ex Patrum homiliis — c) Auctoritas veterum qui rationes quasdam congruentiae afferunt: sic e. g. Andreas cret. [3]: « Sicut minime corruptus est parientis uterus, « ita nec interiit defunctae caro »: et Germanus CP. [4]: « Neque fieri « poterat ut quae Dei capax vasculum esses, emortuum corpus cor- « rumpente diffluere pulvere » [5].

606. **Conclusio IV.** « *B. Virgo sicut* — 1° *vere fuit corredemptrix nostra, ita* — 2° *nunc vera mediatrix nostra* » (n. 574).

Prob. 1. pars — Revera ille merito salutatur *corredemptoris* titulo qui ad mysterium incarnationis et ad opus satisfactionis in cruce

1. Luc. I. 34. — 2. 3. p. q. 28. a. 3. — 3. or. 1. in dorm. s. Mariae. — 4. in dorm. Deiparae. — 5. cfr. Bened. XIV. De festis B. V.

peractum cooperatus est: atqui talis praeprimis fuit b. Virgo: ergo — *Prob. min.* Ideo — a) Christus est mediator *naturalis* in ordine ontologico quia ipsâ incarnatione Verbum constitutum est *homo:* atqui Maria Virgo ad mysterium incarnationis concurrit carnem suppeditando Filio Dei: ergo. Item — b) ideo Christus est mediator *moralis* homines inter et Deum quia pro hominibus satisfecit, morte crucis intercedente: atqui Maria Virgo et ad hoc opus valde cooperata est, quia victimam sacrificii genuit, aluit et tanta sollicitudine præparavit — quia Redemptor per sanctissimas suæ Matris manus primum voluit Patri cœlesti offerri in mysterio circumcisionis [1] — quia Filius nonnisi post obtentum Genitricis consensum, suam vitam publicam inchoavit usque ad patibulum crucis, uti docent Patres nonnulli.

Prob. 2. pars — B. Virgo — a) in ordine *ontologico* coniungitur cum Christo et cum nobis: cum Christo quidem dignitate et consequenter potestate veræ et naturalis matris; nobiscum vero habitu, amore et sollicitudine matris adoptivae. Item — b) in ordine *morali* B. Virgo confert ad nostram salutem multiplici ratione, nempe — α) lucidissimo suo exemplo adeo ut post Christum a Patribus exhibeatur tamquam exemplar, lux et via nostra: speciatim vero est omnium virtutum exemplar pro femineo sexu qua *mater*, *coniux* et *virgo*. Cooperatur — β) non modo exemplo, sed et auxilio quod potentissima sua intercessione nobis impetrat. Unde a s. Bernardo describitur tamquam uberrimus gratiarum aquaeductus his praeclaris verbis: « Totius boni plenitudinem posuit Deus in Maria; ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, « ab ea noverimus redundare quae ascendit deliciis affluens ..... Sic « est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam » [2]. Quare idem mellifluus Doctor ita Mariam compellat: « Memorare non « esse auditum a saeculo quemquam ad Tua currentem præsidia, Tua « implorantem auxilia, Tua petentem suffragia, esse derelictum ». Ergo B. Virgo vere est mediatrix nostra ad Deum. Quam quidem mediationem exercuit Maria iam in vita sua mortali, vivente Christo, qui Io. Baptistam in utero sanctificavit ad praesentiam Matris primumque miraculum ad ipsius preces patravit [3]. Tamen — c) multiplex est discriminis ratio inter mediationem Christi et b. Virginis. Nam Christus — α) sua mediatione nobis promuerit possibilitatem salutis consequendae — β) est mediator *primarius* ante quem nemo alius — γ) *necessarius* sine quo nulla salus — δ) *universalis* quo omnes indigent — ε) *sufficiens* qui nemine alio indiget — ζ) infinitæ virtutis. Atqui haec omnia non competunt Mariae mediatrici: ergo est inferioris ordinis ac Christus ideoque mediatio Matris haud obscurat, imo exaltat mediationem Filii quam supponit et cui innititur.

1. Luc. II. 22. — 2. serm. de aquaeductu n. 6. 7. — 3. Luc. I. 41. - Io. II. 3.

TRACTATUS VII.

De gratia Jesu Christi

NOTIONES PRÆVIÆ.

607. **Gratiæ triplex acceptio** (n. 12) — Sicut natura quaevis necessariis viribus instruitur ad finem suum consequendum, ita, cum Deus naturam rationalem destinaverit in finem supernaturalem, necesse fuit ut eam ornaret mediis quae ad tantum finem sufficerent. Eiusmodi subsidia generali nomine *gratiae* designari solent. Porro ex Angelico [1] triplex est praecipua gratiae acceptio sc. — a) *active* idem est ac amor, favor seu benevolentia qua quis alteri gratus est, secundum illud Luc. [2]: « *invenisti gratiam apud Deum* » — b) *passive* idem est ac donum ex benevolentia profectum, secundum illud Ephes. [3]: « *unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi* » — c) *affective* est grati animi sensus pro accepto beneficio, iuxta illud [4]: « *retribuet vobis quidem Dominus misericordiam et veritatem, sed et ego reddam gratiam* » — Porro in praesentiarum sermo nobis est de gratia *passive* accepta, cuius triplex est elementum sc. — *materiale* quod est *ipsum donum* divinitus collatum — *formale* quod est *gratuitas* eiusdem doni — *radicale* quod est *amor benevolentiae* in Deo tamquam *ratio* dandi gratiam [5].

608. **Partitiones gratiæ generatim** (n. 3) — Gratia divina dividitur — a) in *naturalem* et *supernaturalem*. Pertinent ad priorem dona *ad naturam spectantia*, inter quae singulare est liberum arbitrium: ad posteriorem vero dona humanae naturae *indebita*, quibus ipsa iuvatur ad supernaturalem finem assequendum — b) Gratia *supernaturalis* diducitur in *increatam* et *creatam* prouti donum gratiae vel est Deus ipse vel aliquid a Deo distinctum: quam duplicem gratiam insinuat Apostolus [6]: « *Caritas Dei* (gratia *creata*) *diffusa est in cordibus nostris per Sp. Sanctum* (gratia *increata*) *qui datus est nobis* » — c) Gratia *creata* dispescitur in gratiam *Dei* et gratiam *Christi*. Prior est gratia *iustitiae originalis* in qua primus homo conditus est — posterior est gratia quae homini confertur in statu *na-*

---

1. 1. 2. q. 110. a. 1. — 2. Luc. I. 30. - cfr. Gen. VI. 8. - Ex. XXXIII. 12. — 3. Eph. IV. 7. — 4. 2. Reg. IV. 6. — 5. cfr. Rom. XI. 6. - IV. 4. — 6. Rom. V. 5.

turae lapsae quaeque habet Christum uti causam *meritoriam*. Dividitur quoque — d) in *internam* et *externam* prouti vel hominem interius afficit, sive per modum *habitus*, sive per modum *actus transeuntis* — vel hominem exterius tantum afficit, ut praedicatio evangelii, lex, miracula, exemplum Christi necnon etiam singularis Dei protectio, qua nos a peccatis praeservat, iuxta illud Augustini [1]: « Gratiae tuae deputo quaecumque non feci mala ». Gratia interna — e) dividitur in *actualem* et *habitualem* prouti datur vel per modum doni *permanentis* animaeque inhaerentis, quamvis actu non operemur — vel per modum actus *transeuntis* [2]: unde saepe dicitur *auxilium, adiutorium, motio Dei*, quae a Perrone sic plene describitur: « gratuitum « illud internum auxilium quod Deus per Christi merita homini lapso « largitur, tum ut eius infirmitati consulat atque ita ipse valeat mala « declinare ac bona praestare, tum ut eum erigat ad statum super- « naturalem atque idoneum faciat ad actus supernaturales eliciendos, « ut iustificationem possit adipisci in eaque iam consecuta perseve- « rare, donec perveniat ad vitam aeternam ». Porro gratia, quae praesentis tractationis argumentum constituit, est divina gratia *supernaturalis - creata - Christi — interna* tum *actualis*, tum *habitualis*; atque ideo sic ex dictis describi potest: « *donum supernaturale per Christi merita divinitus collatum in ordine ad actum et ad finem supernaturalem* ».

609. **Partitiones gratiæ actualis** (n. 4) — Gratia *actualis* dividitur — a) in *excitantem* et *adiuvantem*: quod ut recte intelligas, considera divinae gratiae *duplex munus* e. g. in conversione peccatoris — α) Deus peccatorem ne cogitantem quidem suum statum ac veluti torpentem et somno sopitum per suam gratiam ad poenitentiam *excitat*: habes hic gratiam *excitantem*: — β) peccatorem divinae voci obsecundantem Deus non deserit, sed suâ gratiâ *adiuvat* ad actus eliciendos, qui necessarii sunt ad veniam obtinendam: habes hic gratiam *adiuvantem*. Audi Augustinum de utraque disserentem [3]: « Ut velimus (bene agere) sine nobis operatur Deus (excitando): cum « autem volumus et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur « (adiuvando); tamen sine ipso vel operante ut velimus, vel coope- « rante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus » — Ex his efflorescit utriusque gratiae definitio: gratia excitans est « *supernaturalis et indeliberatus motus intellectus et voluntatis, quo Deus nos veluti torpentes et somno sopitos ad bonum libere agendum aut malum libere fugiendum excitat* » — gratia adiuvans est « *concursus supernaturalis Dei, quo nobiscum per gratiam excitantem illustratis et motis concurrit ad omnes et singulos actus supernaturales et li-*

1. De corr. et gr. c. 13. n. 41. — 2. cfr. s. Th. 1. 2. q. 110. a. 2. — 3. De lib. arb. c. 17. n. 33.

beros ». Ab hac divisione — b) non differt partitio gratiae in *operantem* et *cooperantem* : « Operatio alicuius effectus non attribuitur « mobili sed moventi. In illo ergo effectu in quo mens nostra est « mota, et non movens, solus autem Deus movens (quod contingit « in gratia *excitante*), operatio Deo attribuitur; et secundum hoc di- « citur gratia *operans*. In illo autem effectu in quo mens nostra et « movet et movetur (ut in gratia *adiuvante*), operatio non solum at- « tribuitur Deo, sed etiam animae; et secundum hoc dicitur gratia « *cooperans* » [1]. Dividitur — c) in *elevantem* et *medicinalem* prouti munus gratiae vel simpliciter est *elevare* naturam seu idoneam reddere ad actus eliciendos qui eius vires superant, uti erat in statu innocentiae — vel praeterea *sanare* naturam vulneratam, ut in præsenti statu. Denique gratia — d) dividitur in *sufficientem* et *efficacem*. Nunc scire sufficiat gratiam *sufficientem* eam dici, cui homo libere resistit quaeque proinde bonum effectum non sortitur ex cooperationis defectu; *efficacem* vero, cui homo libere consentit quaeque cum bono opere coniungitur.

610. **Partitiones gratiae habitualis** (n. 5) — Gratia *habitualis* dividitur — a) in *gratum facientem* et *gratis datam:* « Cum gratia, « ait Angelicus, ad hoc ordinetur ut homo reducatur in Deum, or- « dine quodam hoc agitur ut sc. quidam per alios in Deum redu- « cantur. Secundum hoc igitur duplex est gratia : una quidem per « quam ipse homo Deo coniungitur, quæ vocatur gratia *gratum fa- « ciens* — alia vero per quam unus homo cooperatur alteri ad hoc « quod ad Deum reducatur, quae vocatur gratia *gratis data* » [2]. Dividitur præterea — b) in gratiam formaliter *sanctificantem* (quæ dicitur etiam simpliciter *gratia* — gratia *habitualis* — gratia *iustificationis* — *caritas*) — *virtutes infusas* (theologicas et morales) et *dona* Sp. Sancti; de quibus omnibus in decursu tractatus.

Praesentem tractatum in duas partes dividimus, disputaturi — α) de gratia *actuali* — β) de gratia *sanctificante* — γ) adiecta *tertia* parte *de merito* bonorum operum.

PARS PRIOR

De divina gratia actuali.

CAPUT I.

De indole intrinseca gratiae actualis.

611. **Principia s. Thomae de divina motione generatim** (n. 8-14) — Quum gratia actualis sit quidam supernaturalis influxus

1. cfr. s. Th. 1. 2. q. 111. a. 2. — 2. 1. 2. q. 111. a. 2. coll. a. 4.

Dei in rationalem creaturam, idcirco opportunum ducimus generalem quaestionem tangere de divina motione in creatam voluntatem ad proprios actus eliciendos iuxta principia s. Thomæ. « Deus, ait Angelicus [1], movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad « universale obiectum voluntatis quod est bonum; et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per « rationem determinat se ad volendum hoc vel illud quod est vere « bonum vel apparens bonum. Sed tamen interdum specialiter Deus « movet aliquos ad aliquid determinate volendum quod est bonum, « sicut in his quos movet per gratiam ». Singula incisa breviter expendenda sunt.

1° « *Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale obiectum voluntatis quod est bonum* ». Angelicus — a) heic Deum considerat sub conceptu *universalis motoris* in ordine naturali, in quo omnes causas secundas movet iuxta propriam cuiusque indolem adeo ut causae necessariae necessario, liberae autem libere agant. Porro — b) *subiectum,* quod hic spectat tamquam divinam motionem recipiens, est *voluntas humana.* Haec quippe cum non sit *purus actus,* sed quandoque in potentia, quandoque in actu, ut transeat de potentia ad actum indiget aliquo ente *in actu* quod a sua indifferentia ipsam removeat. Huiusmodi ens imprimis quidem est proprium eius obiectum sc. bonum verum vel apparens, voluntati praesentatum. At quoniam influxus obiecti non est nisi *moralis,* indifferentia autem voluntatis est *physica,* idcirco opus est principio *physice* influente in voluntatem eamque reducente de potentia ad actum. Hoc principium est Deus per physicam motionem in voluntatem. Hinc patet — c) motionem hanc divinam recte appellari *praemotionem* quia praecedit actum voluntatis seu melius eius transitum de potentia ad actum [2]: tamen non esse necessario *praedeterminationem ad unum,* cum motio esse possit talis ut voluntas mota *vi solius motionis* non sit determinata seu coacta ad illud volendum ad quod movetur [3] — *Terminus* vero — d) ad quem motio dirigitur, est actus volitivus seu prosecutivus boni, quod est universale obiectum voluntatis. Duplex quippe voluntatis obiectum distingui debet sc. *materiale*, quod sunt bona particularia, hoc vel illud bonum — *formale* quod est motivum propter quod voluntas tendit in particularia sc. ratio boni communis, quae in particularibus invenitur, sive vere sive apparenter [4]. Quapropter iuxta Angelicum

1. 1. 2. q. 9. a. 6. — 2. s. Th. 1. 2. q. 113. a. 8. — 3. Hinc patet errare Thomistas qui ex hisce loquendi modis Angelici Doctoris inferunt suam physicam praedeterminationem, cui iuxta ipsos voluntas resistere nequit quamque conciliari non posse cum humana libertate suo loco vidimus. — 4. s. Th. 1. 2. q. 10. a. 1.

motio divina non determinat voluntatem ad ullum bonum particulare sc. ad obiecta *materialia*, sed solummodo ad universale obiectum voluntatis sc. ad obiectum *formale*. Sed quia in particularibus ratio boni universalis continetur, idcirco motio ad bonum universale nexum intimum habet cum particularibus, uti postea dicemus.

2° « *Et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle* ». Hisce verbis Angelicus exhibet intimum nexum, qui interest inter actum voluntatis tendentis ad bonum universale ex divina motione, et actum eiusdem voluntatis in hoc vel illud bonum particulare, qui non est ex divina motione. Nexus in eo situs est quod unus idemque est actus voluntatis tendentis ad bonum *in genere* et *in individuo*, qui actus *quoad specificationem* sc. quatenus est actus prosecutivus boni, est a divina motione — *quoad individuationem* sc. quatenus est actus prosecutivus *huius boni*, est a voluntate [1].

3° « *Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud quod est vere bonum vel apparens bonum* » — Per hæc exponit Angelicus quomodo actus, etsi ex divina motione elicitus, vere tamen *liber*. Nam iuxta Angelicum actus ex divina motione elicitus ex eo evadit *liber* quod ad voluntatem spectat actum illum, ad bonum universale tendentem, *inflectere* ad hoc vel illud bonum. Scilicet — a) quemadmodum libertas non est potentia a voluntate distincta sed eiusdem voluntatis proprietas, sic actus *voluntarius* non est actus distinctus a *libero*, sed libertas est *modalitas* actus inducta a voluntate. Idcirco actus *quoad specificationem* est ex divina motione, *quoad individuationem* seu *exercitium* est a voluntate inflectente seipsam ad hoc vel illud bonum. At — b) oritur quaestio, quomodo voluntas, quae est *ex se* indeterminata ad inflectendum ita et ita actum elicitum ex divina motione, veniat ad determinationem sui actus. Videtur enim indigere *alia motione*, cum illud quod est in potentia non possit traduci ad actum nisi per ens actu. Verum — α) voluntas iam mota a Deo non est in *pura potentia*, cum iam habeat actum initialem elicitum ex divina motione, quo ad bonum tendit. Hinc dici debet constituta per divinam motionem *in actu primo* et in potentia *ad actum secundum*. Haec autem potentia — β) est *activa*, quia voluntas semel mota a Deo habet in seipsa virtutem inflectendi actum ita et ita, quae voluntatis *autonomia* in ipsius natura consita est [2].

4° *Ex dictis colligitur sensus s. Thomae dicentis Deum applicare humanam voluntatem ad proprios actus* — Ait Angelicus [3] : « Sic « ergo Deus est causa actionis cuiuslibet in quantum dat virtutem « agendi — et in quantum conservat eam — et in quantum *applicat* « eam actioni — et in quantum in eius virtute omnis alia virtus agit ».

1. s. Th. 1. p. q. 105. a. 4. — 2. s. Th. *De malo q.* 6. *a. un. ad* 17. — 3. De pot. q. 3. a. 7.

Porro — a) haec *applicatio* non sufficienter explicatur per divinum concursum tantum *simultaneum*, quasi voluntas non mota a Deo seipsam ad proprios actus determinet ipsoque primo actionis instanti Deus cum voluntate concurrat ad eundem actum. Verbum enim *applicare* significat influxum aliquem *praevium*. Neque — b) recte exponitur per *physicam praedeterminationem* voluntatis tum ad substantiam actus, tum ad eius *modum* sc. libertatem ; id enim aperte adversatur adductis testimoniis Aquinatis, in quibus non Deo, sed homini vindicat determinationem sui actus *ad hoc vel illud quod est vere bonum vel apparens bonum*. Dicendum est ergo — c) Deum, ex mente s. Doctoris, applicare voluntatem ad actum quatenus — α) « movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale « obiectum voluntatis quod est bonum, ita ut sine hac universali « motione homo non possit aliquid velle »: quatenus — β) ille actus elicitus ex divina motione ad bonum universale est idem ac actus a voluntate inflexus, quo voluntas appetit bonum particulare. Idem actus duas habet *formalitates*, quarum una *prior naturâ* est tendentia ad bonun universale producta a Deo, altera *naturâ posterior* est appetitus boni particularis, inducta a voluntate per inflexionem illius eiusdem tendentiae.

5° « *In exposito s. Doctoris systemate vitantur incommoda extrema ad quae ducunt systemata de concursu simultaneo deque physica praedeterminatione* » — In solvenda quæstione de divina motione duo salvari debent sc. *quoad Deum* ratio *causae primae* ac *primi motoris* — *quod humanam voluntatem* eius libertas in agendo. Atqui haec duo optime tuetur expositum s. Thomae systema, minime vero aliae duae recensitae sententiae: ergo — *Prob. 1. pars min.* In systemate s. Thomæ salvatur Deo ratio *primae causae primique motoris* atque ideo dependentia causarum secundarum a Deo in esse et in operari, per illam praeviam divinam motionem in voluntatem hominis — salvatur humanae voluntati libertas, quia « homo per rationem « determinat se ad volendum hoc vel illud quod est vere bonum vel « apparens bonum » — *Prob. 2. pars min.* Ac — a) systema de concursu *simultaneo* non videtur salvare Deo rationem *causae primae* et *primi motoris*, quia nulla agnoscitur divina operatio vel motio prævia determinationi voluntatis. Item — b) systema de physica praedeterminatione non videtur salvare liberum hominis arbitrium. Ita enim describunt physicam praedeterminationem ut voluntas ei resistere nullatenus possit.

Nunc ut exponamus quid nobis videatur circa naturam gratiae tum excitantis tum adiuvantis iuxta principia mox exposita, sequentes conclusiones statuimus [1].

1. Quoad gratiam *excitantem* erravit — a) Quesnellus, qui statuit gratiam exci-

612. **Conclusio I.** « *Gratia excitans — 1° reponenda est in mentis illustratione et voluntatis inspiratione, quae utraque — 2° censeri debet immediata* » (n. 17-19).

Praenotamina — Mentis *illustratio* est *lumen* quoddam, voluntatis vero *inspiratio* quoddam *robur*, quod utrumque confertur « ut innotescat quod latebat et suave fiat quod non delectabat »: s. Augustinus [1]. Utriusque — a) *causa* seu *principium* est Deus, qui homini ostendit bonum faciendum vel malum vitandum illustrat), simulque ut illud prosequatur, istud avertat, ipsum suaviter inclinat (inspirat) — b) Haec divina operatio in intellectu et voluntate hominis pro *effectu* habet duplicem actum indeliberatum utrique potentiae respondentem, quo sc. *illuminatur* intellectus et *inspiratur* voluntas quemque duplicem actum Deus dicitur operari *in nobis* sed *sine nobis:* in nobis quidem *vitaliter* concurrentibus, *sine nobis* vero *libere* cooperantibus. *Modus* autem — c) quo uterque actus a Deo excitari potest, duplex est sc. *mediatus* vel *immediatus*. Vel enim Deus gratiam *externam* tantum subministrat, ex. gr. praedicationem evangelii adeo ut ex propositione veritatis *naturaliter* oriatur in mente sancta cogitatio et in voluntate pia affectio — vel *immediate* sanctam cogitationem sanctamque inspirationem in nobis excitat. Si *primum,* illustratio et inspiratio est *mediata* — si *alterum* est *immediata.*

Prob. 1. pars — a) ex Scriptura: legimus enim [2]: « *Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte* » — « *Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam et custodiam illam in toto corde meo* » — « *Inclina cor meum in testimonia tua* » — « *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti* (h. e. *delectasti*) *cor meum* » — Ex quibus: vita supernaturalis, ad quam requiritur gratia, sita est in lege divina custodienda iuxta illud [3]: « *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* ». Atqui ad haec omnia peragenda postulatur a Deo illuminatio intellectus, inclinatio seu inspiratio voluntatis, delectatio cordis: ergo.

---

tantem ipsam esse ***omnipotentem Dei voluntatem***, cui voluntas resistere nequit. Huiusmodi enim conceptus — praeterquamquod gratiae potius demonstrat ***principium*** quam ***naturam*** — ea praesertim ratione est improbandus quia exinde sequitur nullam gratiam esse ***pure sufficientem*** nec ***liberam*** manere creatam voluntatem sub gratia efficaci. Idcirco a Clemente XI. (Const. *Unigenitus* 8 sept. 1713) damnatae sunt in Quesnello propp. 10. 11. 12. 13. 19. 20. (ex propp. 101.) ex quibus notatu digna est 19: « Dei gratia nil aliud est quam eius omnipotens voluntas: haec est idea quam Deus ipse tradit in omnibus suis scripturis ». Erravit — b) etiam Arnaldus qui gratiam reponit in ***actu nostro deliberato*** quo bonum volumus et a malo refugimus. Cum enim iuxta catholicam doctrinam ad omnem supernaturalem salutaremque actum requiratur gratia, idcirco opus est ut haec sit quid distinctum ab actu deliberato supernaturali. — 1. De pecc. mer. et remiss. l. 2. c. 17. — 2. Ps. XII. 4. - CXVIII. 34. — 3. Matth. XIX. 17.

Item — b) ex Patribus quorum nomine sufficit audire Augustinum, in re gratiae facile principem [1]: « Ut innotescat quod latebat et suave « fiat quod non delectabatur, gratia Dei est omnipotentis, quae ho- « minum adiuvat voluntatem » — « Omnis qui audivit a Patre et didicit, « venit ad me. Videte quomodo trahit Pater! docendo delectat (idest « illuminando inspirat), non necessitatem imponendo ». Item — c) ex Conciliis: sic e. g. Concil. plenarium Carthagin. (a. 418.) ait (can. 4.): « Per ipsam gratiam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandato- « rum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus. Per illam « nobis praestatur ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere dili- « gamus et valeamus » — Arausicanum II. a Bonifac. II. approb.: « Si quis per naturae vigorem evangelicae praedicationi consentire « posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Sp. Sancti, « haeretico fallitur spiritu » [2]. Denique — d) ex ratione theologica. Gratia enim actualis confertur ut vitam supernaturalem agere possimus: atqui haec continetur actibus intellectus et voluntatis: ergo iuvanda est utraque facultas. Atqui intellectus, utpote lumen, iuvatur lumine, voluntas robore: ergo.

Prob. 2. pars — a) ex Scriptura: legimus enim [3]: « *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus* ». Ex quibus sic: sub metaphora plantationis et rigationis gratia *externa* praedicationis designatur, qua concessa naturaliter illustratur mens moveturque voluntas. Atqui praeter hanc asseritur necessitas alterius gratiae, cuius immediatus auctor est Deus, *incrementum praebens:* ergo. In idem — b) consentiunt Patres. Sic e. g. Augustinus [4]: « Spiritus S. operatur *intrinsecus* ut aliquid valeat medicina, quae « adhibetur extrinsecus ..... et nisi *interiori gratia* mentem regat « atque agat, nihil homini prodest praedicationis veritas » — s. Fulgentius [5]: « Frustra sermo divinus exterioribus auribus sonat, nisi Deus « spirituali munere auditum hominis interioris aperiat » — s. Thomas [6]: « Ille vos docebit omnia, quia quaecumque homo docet extra, nisi « Sp. Sanctus interius det intelligentiam, frustra laborat; quia nisi « Spiritus cordi adsit audientis, otiosus erit sermo doctoris; *inspiratio* « *enim Omnipotentis dat intelligentiam* » [7]. Accedit — c) *ratio theologica.* Actus enim salutares esse debent supernaturales. Atqui ad id opus est ut facultates viribus supernaturalibus eleventur: ergo requiritur immediatus Dei influxus in intellectum voluntatemque nostram, quo utraque potentia supernaturaliter excitetur.

613. **Conclusio II.** « *Gratia adiuvans, quae est principium actuum*

---

1. De pecc. mer. et remiss. l. 2. c. 17. - in Io. tr. 26. n. 7. — 2. cfr. Trid. sess. 6. c. 5. — 3. Cor. III. 7. — 4. De civ. Dei l. 1. c. 6. cfr. *De gr. Christi* c. 24. — 5. De inc. et gr. I. C. — 6. lect. 6. in Io. 14. — 7. Iob. XXXII. 8.

deliberatorum, adaequate consistit tum — 1° in actibus indeliberatis illustrationis et inspirationis, tum — 2° in motione divina ad actus deliberatos eliciendos, accedente libera cooperatione voluntatis; ita tamen ut actus indeliberati nonnisi moraliter, motio divina vero physice influat in actum deliberatum » (n. 20) — Conclusio ita declaratur simul et probatur. Ac — a) homo *excitatus* per mentis illustrationem et voluntatis inspirationem, debet deinde in actum deliberatum prodire. Cum autem — b) actus huiusmodi deliberatus *supernaturalis* sit oporteat, idcirco principium postulat *supernaturale;* quod principium est illa quam n. 609. gratiam *adiuvantem* appellavimus. Quodnam erit huiusmodi principium? Imprimis — c) negari nequit actus ipsos indeliberatos illustrationis et inspirationis, in quibus gratia *excitans* sita est, influere in actum deliberatum et sub hoc respectu evadere gratiam *adiuvantem.* Adiuvant autem *ostendendo* bonum faciendum et malum vitandum, necnon ad bonum *alliciendo* et a malo *avertendo.* Sed huiusmodi influxus non videtur esse nisi *moralis* sc. se tenens ex parte obiecti iuxta ea quae diximus n. 611 (1°) Impotentia autem voluntatis ad actum deliberatum eliciendum est *physica:* requiritur ergo aliud principium quo *physice* elevetur voluntas et *physice* influat in actum deliberatum, adeo ut actus ipse *indeliberatus* evadat *deliberatus* per liberum consensum voluntatis. Hoc principium — d) dicimus esse *divinam motionem* iuxta ea quae ibidem diximus, non quidem motionem *universalem* tantum Dei uti causae primae, sed *specialem* et *indebitam* ideoque *supernaturalem,* quam quidem motionem indicat Angelicus per verba: « Sed tamen interdum specialiter Deus movet « aliquos ad aliquid determinate volendum quod est bonum, sicut in « his quos movet per gratiam ». In hac ergo *speciali* divina motione, tamquam in principio *physice* influente in actum salutarem, dicimus esse reponendam gratiam adiuvantem. Haec *specialis* motio — e) comparanda est in omnibus motioni divinae *universali* in sua ad voluntatem et ad actum relatione, qualem supra n. 611 descripsimus, si excipias eam esse *supernaturalem* h. e. superexcedentem exigentiam naturae atque effectricem actus supernaturalis.

614. **Conclusio III.** « *Elevatio potentiarum per gratiam actualem dici quidem potest extrinseca ad exclusionem qualitatis cuiusdam physicae nobis intrinsecus inhaerentis; reapse tamen est intrinseca per divinam motionem* » (n. 21-22).

Decl. et prob. conclusio — Potentiæ nostræ ut elicere possint actus *supernaturales,* primum quidem *indeliberatos* illustrationis et inspirationis, subinde vero actus *deliberatos,* indigent *elevari.* Elevatio autem duplex est sc. *intrinseca* et *extrinseca* — prior ea esset qua potentia vel *intrinsecus* modificaretur ut ad actum nobiliorem apta reddatur, vel in se reciperet quoddam donum *quod ipsi inhaereat* et cum ipsa constituat adaequatum principium operationis — posterior qua Deus ipse

per suam immediatam operationem cum potentia *extrinsecus* concurrit ad supernaturaliter agendum. Porro qui thomistae audiunt, statuunt gratiam actualem esse *quoddam donum nobis intrinsecus inhaerens*, quod ita describunt ut sit *qualitas* quaedam physica, non *vitalis* sed *mortua*, non *permanens* sed *transiens*, quae divinitus infunditur. Duplicem eam esse dicunt — *prima* ea est, in qua *excitantem* gratiam ponunt quæque est principium actuum indeliberatorum — *altera* ea est in qua gratiam *adiuvantem* collocant quaeque determinat consensum voluntatis ad actus deliberatos [1]. In hac ergo doctrina elevatio est *intrinseca* per inhaerentem qualitatem — Alii tuentur elevationem pariter *intrinsecam* per *modificationem* quamdam potentiae nostrae a Deo inductam et a potentia non distinctam — Theologi S. I. generatim docent facultates nostras ad actus tum indeliberatos, tum deliberatos, elevari *extrinsece* per modum *simultanei supernaturalis concursus Dei*, ita ut nulla fiat intestina mutatio in ipsis facultatibus, sed Deus cum eisdem manentibus in suis viribus naturalibus concurrat ad actum eliciendum.

Porro — a) *qualitas physica* thomistarum excludenda est. Haec enim ex una parte non postulatur *ex rei natura*, quia, inspectâ rei naturâ, elevatio potentiarum nostrarum æque bene possibilis est absque tali qualitate sc. per divinam operationem in potentiis nostris [2] — ex alia vero parte nullum vestigium qualitatis huiusmodi in revelatione reperitur. Item — b) excludenda elevatio intrinseca *per modificationem* potentiarum. Si enim gratia nil aliud est quam *modus* quidam indistinctus ab anima eiusque potentiis, non tribuitur gratiae nisi munus *dispositionis* vel *conditionis* ad actum salutarem, et sola natura modificata exhibetur tamquam principium physicum adaequatum actuum supernaturalium; quod dici nequit ut patet ex dictis num. praec. Nec tamen — c) sufficit elevatio *extrinseca* per modum *simultanei supernaturalis concursus Dei* cum potentiis ad actum salutarem, uti patet ex dictis de *insufficientia* istiusmodi concursus n. 611 (5°), Superest ergo — d) ut dicamus voluntatem *intrinsece* elevari per divinam motionem supernaturalem, quam supra n. praeced. descripsimus. Scilicet actus indeliberati illustrationis et inspirationis simul sunt a divina praemotione et a nobis vitaliter et non libere concurrentibus; actus deliberati sunt a divina praemotione et a voluntate libere consentiente. Utrique habent a divina motione ut sint *supernaturales*, a nobis ut sint *vitales*.

---

1. Haec altera qualitas est *physica praedeterminatio* quam innuimus n. 611 (1°) in nota. — 2. Ad rem ait Angelicus 1. p. q. 105. a. 2.: « Erroneum est dicere Deum non posse facere per seipsum omnes determinatos effectus qui fiunt per quamcumque causam creatam ». cfr. 1. 2. q. 110. a. 2. - q. 111. a. 2. et ad 4.

615. **Conclusio IV.** « *Gratia ergo adiuvans entitative non distinguitur a gratia excitante* » (n. 23-24) — Consideratur hic gratia adiuvans *principiative*, quatenus sc. habet virtutem influendi in actum salutarem, non vero *terminative* quatenus ipsa cum actu salutari coniungitur. Sensus proinde conclusionis est: eadem divina motio est gratia *excitans*, quatenus per actus illustrationis et inspirationis nos ad bonum excitat — manet *pure excitans* si non sequitur actus deliberatus — fit *adiuvans* si accedit consensus voluntatis. Et revera legimus [1]: « *Gratia Dei sum id quod sum et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem* (solum), *sed gratia Dei mecum* » — « *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* ». Ex quibus sic: gratia quæ in Apostolo *non fuit vacua* — cum qua ipse *laboravit* — quae cum ipso operata est, potuisset esse *vacua* seu bonum effectum non sortiri; alioquin nec posset ipse gloriari quod gratiam non in vacuum receperit, nec alios exhortari ne in vacuum gratiam Dei recipiant. Atqui gratia, quae manet *vacua*, est gratia mere *excitans* — gratia autem quae non manet vacua, quae cum voluntate cooperatur, est gratia *adiuvans*. Ergo *entitative* eadem est gratia *excitans* et *adiuvans*.

CAPUT II.

De proprietatibus gratiae actualis.

ARTICULUS I.

De divinæ gratiæ necessitate.

616. **Duplex quæstio generalis** (n. 26) -- Duplex genus actuum humanorum distinguendum est sc. illi qui homini conveniunt in ordine *naturali* seu quibus in naturalem finem tendit, et hi dicuntur actus *naturaliter* vel *ethice boni* — alii qui conveniunt homini in ordine *supernaturali*, quatenus nempe destinatus est ad finem naturam superexcedentem, quibus satisfacit legi huius ordinis; et hi dicuntur *supernaturaliter boni*, *supernaturales* vel *salutares*. Porro, etsi præsens ordo sit supernaturalis, tamen possibiles sunt et dantur actus mere *naturaliter* boni, nec necesse est omnes esse supernaturales. Hinc duplex quaestio sc. — a) utrum gratia necessaria sit ad actus *salutares* seu *supernaturales* — b) utrum ad actus quoque *ethice bonos*.

1. Cor. XV. 10. - 2. Cor. VI. 1.

SECTIO I.

De necessitate gratiae ad actus salutares.

617. **Natura actus salutaris** (n. 27) — Actus *salutares* illi dicuntur, qui *positive* conferunt ad vitam aeternam, quatenus per ipsos vel infidelis disponitur ad fidem eamque amplectitur — vel peccator disponitur ad iustificationem, eam *de congruo* merendo — vel iustus perseverat in gratia, merendo *de condigno* augmentum gratiae sanctificantis et gloriæ. Porro huiusmodi actus *supernaturales* sint oportet *quoad substantiam* seu *entitative*. Nam hi actus media sunt ad assequendam salutem aeternam ideoque ipsi proportionari debent. Atqui aeterna salus verissimo sensu est supernaturalis *quoad substantiam*, quia consistit in ea immediata unione cum Deo intuitive viso, quae universam naturam creatam et creabilem excedit; ergo oportet ut actus salutares vere sint supernaturales. Hanc vero intrinsecam supernaturalitatem actus desumunt *a principio efficiente* supernaturali quod est gratia, et iuxta nonnullos etiam *a suo formali obiecto* quatenus nempe fiunt praefulgente lumine supernaturali revelationis.

618. **Pelagianismus** (n. 29-30) — Porro sciendum est, doctrinam divinae gratiae necessitatem inficiantem ad actus salutares, primum a pelagianis saec. V. ineunte invectam fuisse, duce Pelagio, natione Britanno, professione monacho. Eorum doctrina universim ad *quatuor capita* reducitur sc. — a) Deum non elevasse hominem ad ordinem supernaturalem ipsumque in puris naturalibus condidisse: idcirco — b) non dari peccatum originale — c) sufficere ad recte vivendum et finem consequendum naturales vires et liberum arbitrium (quod subdole appellabat gratiam): si quae vero sit — d) alicuius gratiae necessitas, eam secundum meritum naturalium operum concedi et quidem tantum gratiam *illustrationis*, quae datur *ad facilius* posse. Fundamenta huius pestiferae doctrinae erant tria sc. absolutam gratiae necessitatem libero arbitrio repugnare fatumque inducere — Deum impossibilia non iubere adeoque non imposuisse homini legem, quam suis viribus implere non possit — Deum non esse personarum acceptorem ideoque gratiam *pro meritis* dispensare.

Haec doctrina damnata est 24. conciliis particularibus, quorum praecipua Carthaginense (a. 412) — Diospolitanum (a. 415) — Milevitanum in Numidia (a. 417) quo misit Innocentius I. decretales litteras, quibus receptis Augustinus illud solemne edixit [1]: « *Rescripta ab Apostolica Sede venerunt, Roma locuta est, causa finita est. Utinam*

1. serm. 131. n. 10.

finiatur et error! » — Praeterea damnata est a successore Innocentii I. Zosimo, edita *Tractatoria,* cui ab universi orbis episcopis subscriptum est (a. 418).

619. **Semipelagianismus** (n. 31) — Ex pelagianis orti sunt *semipelagiani* (a. 428), sic dicti a dimidiata haeresi Pelagii — vel etiam *massilienses* a Massilia urbe in Gallia. Horum doctrina erat *initium fidei ac salutis esse a nobis, non a gratia a qua tantum augmentum et perseverantia.* Quatuor enim in hac doctrina distinguenda sunt sc. — a) *pius credulitatis affectus* qui dici potest fides initialis — b) *desiderium salutis* inde ortum — c) *imploratio divinæ benignitatis* qua homo quaerit, pulsat, orat, conatur gratiam et media salutis obtinere — d) *executio boni operis* ex. gr. credere (fides formalis), executio mediorum ad salutem. Porro prima tria pertinent *ad initium fidei et salutis* et haec adscribuntur soli naturae; quartum idest credere, poenitere, proponere, salutariter agere est simul opus gratiae et naturae. Semipelagianismus pariter damnatus est in Conc. Arausicano II. (a. 529), quam damnationem approbavit Felix IV. et confirmavit Bonifacius II. (a. 530). Memoratu dignus est canon 5: « Si quis, sicut augmentum, ita etiam *initium fidei* ipsumque credu- « litatis affectum ..... non per gratiae donum i. e. per inspirationem « Sp. Sancti, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, « apostolicis dogmatibus adversarius approbatur ». Contra utrosque haereticos vero est Conc. Trid. [1]: « Si quis dixerit sine praeveniente « Sp. S. inspiratione atque eius adiutorio hominem credere, sperare, « diligere aut poenitere posse sicut oportet, ut ei iustificationis gratia « conferatur A. S. » — Hisce declaratis sint seqq. conclusiones.

620. **Conclusio I.** « *Gratia necessaria est* — 1° *ad omnes actus salutares, imo* — 2° *ad ipsum initium fidei et salutis, et quidem* — 3° *gratia supernaturalis* » (n. 33-37) — Conclusio est *de fide catholica.*

Prob. 1. pars — a) ex Scriptura. Christus ait [2]: « *Ego sum vitis vera et Pater meus agricola est.... Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, et ego in eo; hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere* » Ex quibus ita: hic sermo est de *gratia* Dei, non autem de divino *concursu generali* — de operibus *salutaribus* — et quidem *omnibus* sc. sive a iustis, sive a peccatoribus eliciantur. Atqui ad hæc opera exhibetur necessaria eadem divina gratia: ergo — *Prob. mai.* Nam — α) Pater dicitur *agricola,* Christus *vitis,* nos dicimur *palmites:* ergo exprimitur relatio Christi ad nos tamquam *Verbi incarnati* sc. tam-

1. Sess. 6. cn. 3. coll. cn. 1. 2. 4. — 2. Io. XV. 1. sqq.

quam *principii ordinis supernaturalis* reparati. Atqui influxus quem Christus *redemptor* et *mediator* in homines exercet, est *supernaturalis:* ergo. Praeterea — β) fructus ferendi a nobis illi sunt, quorum Christus per gratiam suam auctor est, quos cœlestis agricola et Redemptor noster expectant. Atqui hi sunt fructus vitae aeternae: ergo. Licet autem — γ) hic immediate sermo sit de bonis operibus *iustorum*, qui soli per gratiam sanctificantem in Christo *perfecte* manent [1], non excluduntur tamen peccatores, qui magis quam iusti Christi influxu indigent ad salubriter agendum — *Prob. min.* Ita se habet homo ad opera salutaria sine influxu gratiae, sicut palmes sine influxu vitis in ordine ad fructus producendos. Atqui palmes nequit fructum emittere et ad maturitatem perducere nisi per succum et vigorem, qui ex vite in palmitem descendit eumque roborat. Ergo sine Christi influxu *nihil* potest homo in ordine salutis. Ad rem Augustinus [2]:

« Ne quisquam putaret *parvum* saltem *fructum* posse a semetipso « palmitem ferre, cum dixisset « *hic fert fructum multum* » non ait, « quia sine me *parum* potestis facere, sed *nihil* potestis facere. Sive ergo « parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo *nihil* fieri « potest » [3]. Ratio quoque — b) suffragatur: « Actus enim perducentes « ad finem oportet esse fini proportionatos: nullus autem actus excedit « proportionem activi principii: et ideo videmus in rebus naturalibus « quod nulla res potest efficere effectum per suam operationem qui « excedat virtutem activam, sed solum potest producere per opera- « tionem suam effectum suae virtuti proportionatum. Vita autem « aeterna est finis excedens proportionem naturæ humanæ; et ideo « homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria pro- « portionata vitae aeternae sed ad hoc requiritur altior virtus quae « est virtus gratiae » [4].

Prob. 2. pars — a) ex Scriptura. Legimus [5]: « *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxeril eum.... Sunt quidam ex vobis, qui non credunt..... propterea dixi: nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo* ». Ex quibus ita: si homo suis viribus posset inchoare fidem et opus suae salutis, venire posset ad Christum quin opus haberet *tractione* Patris. Atqui nemo vadit ad Christum per fidem nisi Pater trahat: ergo. Nec — b) aliter res esse potest. Si enim aliquis actus est *salutaris,* profecto est *primus* ille quo salutem incipimus desiderare et quaerere, quo agnoscimus nostram indigentiam et ad quaerendum medicum inducimur.

1. Trid. sess. 6. de iustif. c. 16. — 2. tract. 81. in Io. n. 3. — 3. cfr. Rom. V. 18. - VIII. 26. - Io. III. 5. - Eph. V. 8. - 1. Cor. II. 14. XII. 3. - 2. Cor. III. 5. Philipp. II. 13. IV. 16. — 4. s. Th. 1. 2. q. 109. a. 1. - cfr. q. 62. a. 2. — 5. Io. VI. 44. - cfr. 1. Cor. IV. 7. - Rom. XI. 35.

Prob. 3. pars — Actus salutares illi sunt, quibus salutem consequimur. Atqui salus nostra est *supernaturalis:* ergo actus nostri supernaturales esse debent. Atqui omnis natura sive *infirma* ut in præsenti statu, sive *sana* ut erat ante lapsum, est *physice* impotens ad actus eliciendos *supernaturales,* ut patet ex data notione actus supernaturalis (n. 11): ergo requiritur principium *supernaturale,* quod est gratia. Non igitur ex *concupiscentiae morbo* ideoque non ex *morali impotentia,* ut quibusdam recentioribus Germaniae theologis visum est, sed ex *physica* naturae impotentia ad actus salutares oboritur gratiæ necessitas.

621. **Quæres** *an iusti quoque gratiâ actuali indigeant ad salubriter agendum* (n. 38) — *Affirmative.* Nam — a) sicut in ordine naturali creatura rationalis per suas facultates constituitur in actu primo *remoto* ad proprios actus, ita in ordine supernaturali per gratiam sanctificantem et per habitus supernaturales infusos iustus constituitur in actu primo *remoto* ad salubriter agendum. Ergo indiget constitui in actu primo *proximo.* Atqui constituitur per gratiam actualem, *moraliter* quidem per illustrationes et inspirationes, *physice* per divinam supernaturalem motionem, in quibus diximus *adaequate* consistere gratiam actualem. Ergo et iusti hac gratia indigent.

622. **Conclusio II.** « *Iustus* — 1° *in accepta iustitia perseverare nequit sine speciali Dei auxilio: nec* — 2° *absque speciali privilegio venialia omnia vitare* » (n. 39-45).

Praenota primam conclusionis partem esse *fidei dogma* ex Trid. [1]: « Si quis dixerit iustificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta « iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse A. S. » — « Si quis « *magnum illud usque in finem perseverantiae donum* se certo habi- « turum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali « revelatione didicerit A. S. » Quae doctrina sic imprimis declaratur — a) Perseverantia ad rem praesentem est « duratio in acceptæ sanctificantis gratiae statu ». Distinctione facta inter *potestatem* perseverandi et *actum* perseverandi — b) *potestas* perseverandi alia est *reducenda* ad actum, alia mere *reducibilis.* Secundum *actum* — c) perseverantia dispescitur — α) ratione *termini* in *temporalem* seu *imperfectam* et *finalem* seu *perfectam* — β) ratione *modi* in *activam* et *passivam;* prior sita est in exercitio eorum, quae ad gratiam conservandam pertinent; altera in opportunitate mortis. Porro — d) *speciale auxilium* quod ex Tridentino requiritur ad *finalem* perseverantiam, ex duobus resultare videtur sc. ex collatione gratiarum efficacium loco sufficientium et ex opportunitate mortis. Tridentinum enim agit de perseverantia *actuali* electorum, cuius recenset proprietates:

1. sess. 6. c. 13. cn. 22. et 16.

ex quo consequitur *potestatem* perseverandi, de qua in cit. can. sermo est, eam esse quam *reducendam* ad actum appellavimus.

Praenota alteram quoque partem esse *dogma fidei* ex Trid. [1]: « Si quis hominem semel iustificatum dixerit posse in tota vita « peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, « sicut de b. Virgine tenet Ecclesia, A. S. ». Sermo est ergo — a) de vita non *brevi*, sed plus minusve *diuturna* — b) de peccatis venialibus non *distributive* sumptis, sed *collective* idest de *tota* peccatorum *serie*. Venialium nomine — c) intelligimus quae talia sunt *ex imperfectione actus*, ad quæ vitanda requiritur *speciale privilegium* idest gratiae *singulares*. Impotentia autem — d) qua laborant iusti ad haec *peccata* vitanda, non est *physica* sed *moralis*, orta nempe ex summa difficultate, quam nunquam homines de facto superabunt.

Prob. 1. pars — a) ex Scriptura: « *Vobis donatum est pro Christo non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo* » [2]: in quae Augustinus [3]: « Horum unum pertinet ad initium, alterum « ad finem: utrumque tamen *Dei donum* est ». Item: « *Timorem meum dabo in cor eorum ut a me non recedant* » [4]: « quod quid est « aliud, pergit idem s. Doctor, quam talis ac tantus erit timor meus, « quem dabo in cor eorum, ut mihi *perseveranter* adhaereant? ». *Prob.* — b) ex ratione theologica. Perseverantia enim *active* spectata importat auxilia *efficacia* prae sufficientibus — *passive* vero importat *opportunitatem mortis*. Atqui — α) collatio auxilii efficacis prae sufficienti est magnum Dei donum, quod iustus *de condigno* promereri nequit: « Ex duobus iam ætate grandibus impiis, ait Augustinus [5], « cur iste ita vocetur ut vocantem sequatur, ille aut non vocetur, aut « non ita vocetur ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt iudicia « Dei »: consequenter — β) nec opportunitas mortis cadit sub merito *de condigno*: « Videte iam a veritate quam sit alienum, ait idem « Doctor [6], negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem « huius vitae: cum vitae huic, quando voluerit ipse, det finem. Quem « si dat ante imminentem lapsum, fecit hominem perseverare usque « in finem »: ergo [7].

Prob. 2. pars — a) ex Scripturis [8]: « *Non est enim homo iustus in terra qui faciat bonum et non peccet* » — « *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est* » — « *In multis offendimus omnes* ». Ex quibus sic: haec testimonia, plane universalia, agunt certe de culpis venialibus quippe

1. sess. 6. cn. 23. — 2. Philipp. I. 29. — 3. De don. pers. c. 2. n. 2. — 4. Ier. XXXII. 40. cfr. ps. 79. — 5. De don. persev. c. 9. — 6. c. 17. — 7. cfr. s. Th. c. g. l. 3. c. 155. — 8. 2. Paralip. VI. 36. - Eccle. VII. 21. - 1. Io. I. 8. - Iac. III. 2.

quae iustis quoque tribuuntur. Atqui haec testimonia simul ostendunt inesse homini *moralem* impotentiam venialia omnia vitandi: si enim cum ordinariis auxiliis posset iustus tum *physice,* tum *moraliter* per omnia venialia vitare, aliqui reapse vitassent: ergo. Hinc s. Greg. M. [1]: « Innumerabilia sunt quae cogitando, loquendo, videndo, gustando, audiendo et operando committimus ». *Prob.* — b) ex ratione. Negari enim nequit plura esse ad peccandum incitamenta tum ex remissione ad bonum honestum, tum ex nimia propensione appetitus ad bonum delectabile, tum ex frequentia occasionum delinquendi venialiter, tum ex inconstantia nativa voluntatis indifferentis, quae potens varie operari, nequit facile eundem tenorem operandi servare in iis, quae ipsius inclinationi adversantur. Atqui nulla ratione probari potest, Deum teneri unumquemque praevenire adeo singularibus gratiis, ut illa difficultas semper et in omni casu superetur: ergo nonnisi ex singulari Dei privilegio peccata omnia venialia vitari queunt.

SECTIO II.

De necessitate gratiæ ad actus ethice bonos.

623. **Triplex quaestio** (n. 47-50) — Triplex est quaestio praesens sc. — a) utrum ad observandam legem naturalem necnon ad graves tentationes vincendas necessaria sit gratia — b) utrum absque gratia sanctificante et absque fide possit homo aliquod bonum opus perficere — c) utrum *solis* naturae viribus possit homo actus aliquos moraliter bonos agere.

624. Quoad *primam* quaestionem praemonendum est — a) agi de observantia legis naturalis quoad *substantiam operis* seu quoad ponendos actus a lege praescriptos, non vera etiam *quoad modum* sc. per actus salutares et meritorios vitae aeternae [2]: Agi — b) non de victoria *salutari* tentationis, qua sc. proficitur in ordine ad vitam aeternam, sed de victoria *ethice honesta* qua peccatum vitatur per actum naturaliter virtuosum. Quibus adnotatis — c) communissima sententia tenet, hominem laborare *morali impotentia,* orta praesertim ex concupiscentia, tum ad totam legem naturalem servandam, tum ad *omnes* graves tentationes vincendas, adeo ut ad haec implenda homo indigeat *gratiâ* idest auxilio Dei, quod etsi in praesenti ordine elevationis *saepe* sit supernaturale, tamen *per se* sufficit ut sit ordinis *naturalis.*

625. Quoad *alteram* quaestionem sciendum est, lutheranos et cal-

1. Greg. M. in 1. Reg. c. 13. — 2. cfr. prop. 61. Baii.

vinistas primum, quos deinde secuti sunt Baius, Iansenius, Quesnellus et Pistorienses, docuisse gratiam iustificantem et fidem adeo necessariam esse ad opera bona, ut opera omnia peccatorum et infidelium sint *ex se* totidem peccata. Quem errorem proscripsit imprimis Trid. [1]: « Si quis dixerit omnia opera, quae ante iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata vel odium Dei mereri; « aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto « eum gravius peccare A. S. ». Deinde plures propp. in Baio damnarunt Pius V. [2], Gregorius XIII. [3], Urbanus VIII. [4], ex quibus notatu dignae sunt prop. 25: « Omnia opera infidelium sunt peccata « et philosophorum virtutes sunt vitia »: prop. 35. « Omne quod agit « peccator vel servus peccati, peccatum est ». Item similes complures propositiones proscripsit in iansenianis Alexander VIII. [5] — in Quesnello Clemens XI. [6] et in pistoriensibus Pius VI. [7].

626. Quoad *tertiam* quaestionem redeunt imprimis lutherani et calvinistae et post ipsos Baius et Quesnellus docentes, liberum arbitrium in statu naturae lapsae sine gratiae actualis auxilio ad *nullum* opus bonum valere. Sic sonat prop. 27. Baji: « Liberum arbitrium « sine adiutorio Dei nonnisi ad peccandum valet »: cf. propp. 28. 30. 37. 65.: item prop. 38. Quesnelli: « Peccator non est liber « nisi ad malum sine gratia Liberatoris »: et propp. 40.: « Sine gratia « nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem »: cf. propp. 39. 41. 42. At praeter hos censent Theologi scholae augustinensis, saltem ut probabile, naturam humanam tam infirmam factam esse per peccatum, ut nullum opus ex obiecto et *fine ultimo* bonum absque gratiae auxilio efficere possit, quamvis concedant idem opus esse bonum ex obiecto et *fine proximo*. Singularis vero est opinio Ripaldae qui, etsi admittat liberum arbitrium *posse* absque gratia quaedam opera naturaliter honesta elicere, quoad *factum* dicit Deum ad omnia opera bona semper largiri gratiam. Sint ergo seqq. conclusiones.

627. **Conclusio I.** « *Indiget homo divinæ gratiae auxilio* — 1° *ad totam legem naturalem servandam quoad operis substantiam, necnon* — 2° *ad graves tentationes vicendas victoriâ ethice honestâ* » (n. 52-55).

Prob. 1. pars — Ait Apostolus Rom. [8]: « *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago..... Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo! quis me libe-*

1. sess. 6. cn. 7. — 2. B. *Ex omnibus* 1 oct. 1567. — 3. B. *Previsionis* 20 ian. 1579. — 4. B. *In eminenti* 6 mart. 1641. — 5. Decr. SS. *Dominus* 7 dec. 1690. — 6. Const. *Unigenitus* 8 sept. 1713. — 7. B. *Auctorem fidei* 28 aug. 1794: notatu digna est prop. 23. — 8. Rom. VII. 18.

rabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per I. C. D. N. ». Ex quibus ita arguimus: ex Apostoli doctrina summa est hominis infirmitas ad bonum honestum peragendum *qua late patet*. Atqui ad bonum honestum qua late patet spectat observantia legis naturalis *quoad operis substantiam:* ergo et ad huiusmodi observantiam summa est hominis infirmitas — Atqui ex eodem Apostolo haec infirmitas non oritur ex improportione facultatum ad actus adeoque non ex impotentia *physica*, sed *ex concupiscentia* ac proinde ex *morali* impotentia, quae non potest aliter tolli quam per gratiam I. Christi: ergo homo absque gratia nequit ex morali impotentia integram servare legem naturalem — Ratio *intrinseca* est quia homo per legem et rationem trahitur ad spiritualia bona, e contra per sensus ad sensibilia quandoque plane opposita. Atqui per praesentem ignorantiam et concupiscentiam apprehensio et delectatio sensibilium bonorum vivacior est quam spiritualium; saepe ergo consequitur ut animus, relicta lege, veluti rapiatur ab iis quæ contra legem ipsam sensus suadent, nisi superno auxilio adiuvetur [1]: ergo.

Prob. 2. pars — Legimus [2]: « *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos* » — « *Impulsus eversus sum ut caderem et Dominus suscepit me* ». Ex quibus sic arguimus: victoria tentationum tribuitur gratiae Dei: atqui hic sermo est non modo de illa victoria, qua proficimus in ordine ad vitam aeternam h. e. *salutari*, sed etiam qua simpliciter non peccamus h. e. victoria naturaliter honesta: ergo. Quare generatim ait Ambrosius [3]: Quis est « tam fortis ut nequaquam in tentatione moveatur, nisi Dominus ei « adiutor assistat? ». Ratio autem eadem est ac pro priori parte.

628. **Conclusio II.** « *Homo non ideo necessario peccat quod vel — 1° gratia sanctificante destituatur, vel — 2° fide careat. Quinimmo — 3° etiam absque actualis gratiae auxilio potest opus aliquod ethice bonum peragere* » (n. 56-62).

Prob. 1. pars — Omissa auctoritate Scripturae, quae peccatores hortatur ad plura opera peragenda ut suorum veniam peccatorum consequi possint [4], immoramur potius in refellendis contrariis argumentis. Idcirco asserunt adversarii omnia peccatoris opera esse peccata quia — a) Christo auctore « *non potest arbor mala bonos fructus facere* » [5]: quia — b) doctore Augustino « regnat carnalis cupiditas ubi non est Dei caritas » [6]: quia — c) ex eodem Doctore « quidquid sine caritate fit, male fit »: quia — d) ex eodem Patre « illud opus « bonum est, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum re-

1. cfr. s. Th. 1. 2. q. 109. a. 8. — 2. Ps. 24. et 117. — 3. in Ps. 43. n. 71. — 4. Eccli. XXI. 1. - Ezech. XVIII. 30. - Zach. I. 3. — 5. Matth. VII. 18. — 6. Enchir. n. 117.

« gnumque perduci » [1]. Atqui non concludit *prima* ratio. Nam — α) per arborem bonam et malam non videtur ex contextu designari homo bonus et malus, sed doctrina vera et falsa, subindeque ipse homo quatenus sanam vel falsam docet doctrinam, ex qua fructus boni vel mali sequantur. Praeterea — β) etiamsi verba Christi de peccatoribus intelligantur, scite tamen ad rem advertit s. Augustinus [2]: « Non « itaque homo in quantum homo est, quod est opus Dei, sed in quan- « tum malae voluntatis est, quisque arbor mala est et bonos fructus « facere non potest »: idest *peccator* si consideratur *formaliter,* nonnisi *male* agere potest; si *materialiter,* quae agit mala sunt — Nec *secunda* ratio concludit. Distinctione enim facta inter dominium *habituale* et *actuale* sive caritatis, sive cupiditatis, evidens est quod ex eo quod quis *habitu* est peccator, non sequitur eum semper *actu* peccare; quemadmodum ex eo quod quis *habitu* est iustus, non sequitur eum semper iuste agere, et nunquam ne leviter quidem peccare. Hinc scite s. Chrysostomus [3]: « Non potest malus omnino malus esse, « sed evenit ut aliquid habeat boni; neque bonus esse omnino bonus, « sed nonnulla solet habere peccata » — Nec *tertia* ratio concludit. Si enim phrasis *sine caritate* accipitur *negative*, negatur tantum actualis influxus caritatis, etsi actus ex alio motivo honestus esse possit: si vero accipitur *contrarie,* significatur influxus motivi caritati oppositi: quo in sensu certissimum est male fieri quidquid *sine* caritate h. e. *contra* caritatem fit — Denique nec *quarta* ratio concludit, si semel distinguantur varii *bonitatis* gradus, quatenus sc. actus esse potest vel *ethice* bonus — vel *supernaturaliter* bonus — vel *condigne* bonus h. e. meritorius vitae æternae, ad quam bonitatem utique necessaria est gratia sanctificans.

Prob. 2. pars — Hic quoque omissa auctoritate Scripturae, quae hortatur infideles ad eleemosynas [4] — quae honestam proximi dilectionem in infidelibus agnoscit [5] — quae eorum laudat misericordiam [6]; rationes adversariorum potius refellimus, sic arguentes: Eatenus status infidelitatis obstaret quominus infidelis opus ethice bonum agere possit, quatenus *vi sui status* vel — a) opera sua semper referret ad finem infidelitatis, qui malus est; vel — b) non referret ad ultimum suum finem, qui in praesenti ordine supernaturalis est et quem infidelis ignorat. Atqui neutrum dici potest: ergo — *Prob. 1. pars min.* ex Angelico [7]: « Sicut habens fidem potest aliquod peccatum « committere in actu, quem non refert ad fidei finem vel venialiter, « vel etiam mortaliter peccando: ita etiam infidelis potest aliquem

1. cont. Iul. l. 4. c. 3. n. 33. — 2. cont. Iul. l. 4. n. 30. — 3. hom. 67. — 4. Dan. IV. 24. — 5. Matth. V. 46. — 6. Ex. l. 15. sqq. — 7. s. Th. 2. 2. q. 10. a. 4.

« actum bonum facere in eo, quod non refert ad finem infidelita-
« tis » — *Prob. 2. pars min.* Obligatio referendi opera ad Deum finem ultimum supernaturalem eos tantum urgere potest qui hanc hominis destinationem cognoscunt. Atqui infidelis ignorat præsentem providentiae ordinem, quo homo ad Deum ordinatur ut finem supernaturalem. Ergo non ideo peccat quia opera sua ad finem hunc haud ordinat; ac propterea si opus bonum eliciat ex *obiecto* et *ex fine proximo* honesto, opus illud ad Deum refertur, non quidem relatione *formali* quae procedit ex cognitione finis, sed relatione *naturali* qua omnia bona pondere suo ad summum bonum tendunt.

Prob. 3. pars — a) ex Ecclesiae doctrina. Nam ex propositionibus damnatis in Baio et Quesnello tenendum est, liberum arbitrium sine gratia Dei non valere solum ad peccandum — falsum esse peccatorem sine gratia Salvatoris non esse liberum nisi ad malum — sine gratia non posse aliquid amare quod non est ad nostram condemnationem. Atqui haec omnia important posse hominem absque ullo gratiae auxilio et solis naturae viribus quidquam moraliter boni agere: ergo. Quinimmo — b) ex Ecclesiae documentis inferri posse videtur contra Ripalda, actus ethice bonos non esse solum possibiles, verum etiam *dari reapse*. Ex gr. sic definit Trid. [1]: « Si quis dixerit « hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae vires vel « per legis doctrinam fiunt, absque divina per Iesum Christum gratia, « posse iustificari coram Deo A. S. ». Atqui hisce verbis supponit Concilium, de facto fieri aliqua opera per solum humanae naturae vigorem: ergo [2].

ARTICULUS II.

De gratuitate divinae gratiae.

629. **Natura quaestionis** (n. 63) — Cum divinae gratiae gratuitas inquiritur, intelligitur *prima* gratia, illa nempe quae non supponit nisi naturam. Huiusmodi *gratuitas* in eo sita est quod gratia nullis rependatur *meritis* sive condignis, sive congruis, naturae tantum viribus partis — neque sit fructus *impetrationis naturalis* — neque terminus *dispositionis positivae* a sola natura profectae. Porro — a) *meritum* est dignitas ad praemium opere comparata. « Dicitur autem, « ait Angelicus [3], aliquis mereri *ex condigno* quando invenitur « aequalitas inter praemium et meritum secundum rectam aestima-

1. sess. 6. cn. 1. — 2. Utrum autem homo lapsus possit solis naturae viribus elicere *amorem Dei* sive concupiscentiae, sive benevolentiae *super omnia*, disputatur inter Doctores. — 3. in 2. sent. d. 27. q. 1. a. 3.

« tionem ; *ex congruo* quando talis aequalitas non invenitur, sed « solum secundum liberalitatem donantis munus tribuitur, quod « tantum decet » — b) *Impetratio* est vis moralis orta ex demissa confessione propriae indigentiae necnon ex professione pietatis, misericordiæ et divitiarum illius, quem rogamus, movens ad beneficia conferenda — c) *Dispositio* est *negativa,* si per eam removentur obices formae susceptionem impedientes — est *positiva*, si subiectum per se indifferens ita constituitur proxime idoneum ad formam suscipiendam ut haec sit ipsius naturale vel connaturale complementum.

630. **Conclusio unica** — « *Prima gratia est donum Dei ita gratuitum ut* — 1° *ea non sit obiectum alicuius naturalis meriti* — 2° *neque naturalis impetrationis* — 3° *neque terminus naturalis dispositionis positivae* » (n. 65-69) — Conclusio est *de fide catholica* contra pelagianos ex conc. araus. II. cn. 18. necnon cn. 3 quo statuit: « Si quis « per invocationem humanam dicit gratiam Dei posse conferri, non « autem ipsam gratiam facere ut ipse invocetur a nobis, contradicit « Isaiae et Apostolo dicenti [1]: *Inventus sum a non quaerentibus me,* « *palam apparui his qui me non interrogabant* ».

Prob. 1. pars — a) ex Scriptura: sic ex. gr. [2]: « *Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia non est gratia* » — « *Ei autem qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum* ». Ex quibus sic: De ratione gratiae est ut ea sit indebita operibus ex ea non profectis. Atqui si eam naturaliter mereri possemus vel condigne, vel congrue, iam debita esset operibus a natura profectis, iam esset merces: ergo. Idcirco s. Augustinus [3]: « Eligentium hominum meritum nullum esset, nisi eos eligentis Dei gratia praeveniret ». *Prob.* — b) ex ratione. Nam meritum et praemium esse debent eiusdem ordinis, ut proportio aliqua inveniatur. Atqui merita *naturalia* et bonum *supernaturale* qualis est gratia, in diverso plane ordine continentur: ergo.

Prob. 2. pars — a) ex Scriptura: nequit enim homo per preces viribus naturae fusas primam gratiam impetrare, si preces ipsae, prouti conveniunt, sunt ex divinae gratiae auxilio. Atqui ita est, dicente Apostolo [4]: « *Quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* ». In quae Augustinus [5]: « Dictum *interpellat* quia interpellare nos Spiritus facit nobisque « interpellandi et gemendi inspirat affectum ». Praeterea — b) initium salutis non est a solis naturae viribus: atqui esset a natura, si homo posset naturaliter primam impetrare gratiam: ergo. Hinc concludit

1. Is. LXV. 1. - Rom. X. 20. — 2. Rom. XI. 6. - IV. 4. - cfr. Io. IV. 10. — 3. De grat. et lib. arb. n. 38. — 4. Rom. VIII. 26. — 5. ep. 91. n. 16.

Ambrosius [1]: « Orare Deum gratiæ spiritualis est, sicut scriptum est: « nemo dicit Dominus Iesus nisi in Spiritu Sancto ».

Prob. 3. pars — Sane si daretur positiva dispositio *naturalis* ad primam gratiam, ea connexionem haberet cum ipsa gratia. Atqui huiusmodi connexio admitti nequit neque ex parte *gratiae*, neque ex parte *positivae dispositionis*, quasi hac posita, vel gratia exigeret infundi, vel anima exigeret eiusdem gratiae infusionem: siquidem nihil naturale exigere potest supernaturale: ergo. Hinc scite s. Thomas [2]: « Ad errorem pelagianum pertinet dicere quod homo possit se ad « gratiam praeparare absque auxilio divinae gratiae; et est contra Apo- « stolum qui ait [3]: *Qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet* ».

ARTICULUS III.

De universalitate divinae gratiae.

631. **Axioma theologicum** (n. 70-71) — Ex certa doctrina de universalitate voluntatis divinae salvificae necnon passionis ac mortis Christi fluit hoc axioma: « *Deus pro loco et tempore confert omnibus adultis gratias vel proxime vel remote sufficientes, quibus ita ponitur aeterna salus in eorum potestate, ut si non salventur, ipsis et non Deo id sit tribuendum* ». Dicimus — a) Deum dare *omnibus* gratias sufficientes ad salutem; secus enim plane illusoria esset divina voluntas *salvifica*. Dicimus — b) Deum conferre gratias vel *proxime* vel *remote sufficientes*. Gratia *proxime* sufficiens (gratia *operationis*) ea dicitur quae absque alia gratia ad opus bonum sufficit — *remote* sufficiens (gratia *orationis*) ea a cuius bono usu pendet collatio gratiae *proxime* sufficientis. Dicimus — c) *pro loco et tempore* idest quum *opportunitas* postulat: e. g. si agatur de praecepto hic et nunc implendo, de gravi tentatione superanda, de resurgendo a peccato, de amplectenda fide, de periculo vel articulo mortis. Dicimus — d) *quibus ita ponitur aeterna salus etc....* Si enim Deus quantum est ex se omnibus providet auxilia salutis, qui ergo damnantur, ex propria culpa damnantur.

632. **Corollarium I.** — *Iustis omnibus, praesertim vero volentibus et conantibus, urgente praecepto datur gratia vere et relative sufficiens, sive proxime sive remote sufficiens* (n. 72.) — Quod assertum est *de fide catholica* contra Iansenium, in quo damnata est ut *haeretica* prop. 1.: « Aliqua Dei praecepta hominibus iustis, volentibus et co- « nantibus, secundum praesentes, quas habent, vires, sunt impossi- « bilia: deest quoque illis gratia qua possibilia fiant »: et iam Conc.

1. De dono persev. c. 23. — 2. quodlib. 1. a. 7. — 3. Philipp. I. 6.

Trid. [1]: « Si quis dixerit Dei praecepta homini etiam iustificato et sub « gratia constituto esse ad observandum impossibilia A. S. » — « Deus « gratia sua semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius dese- « ratur » [2].

633. **Corollarium II.** — *Peccatoribus fidelibus omnibus Deus confert media sufficientia, quibus possint tum salutarem poenitentiam agere, tum etiam nova peccata praecavere quousque in peccato manent* (n. 73-74) — Peccatores alii sunt *communes,* alii *obstinati* et *obcoecati:* dicuntur *communes* qui timorem Dei nondum penitus abiecerunt — *obstinati* et *obcoecati* qui, ex perversione iudicii et ex habituali liberae voluntatis inclinatione ad malum, difficulter gratiae Dei cooperantur ut a peccato exeant. Porro — a) peccatoribus *communibus* concedi gratias quibus a peccato resurgere possint, communis tenet sententia adeo ut cl. Perrone censeat id spectare *ad doctrinam catholicam* assertam in Conc. Araus. II. can. 25: « Hoc etiam secundum fidem « catholicam credimus quod, acceptâ per baptismum gratiâ, omnes « baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae « pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adim- « plere ». Et revera Deus in Scripturis peccatores ad poenitentiam hortatur dicens [3]: « *Numquid voluntatis meae est mors impii? sed ut convertatur impius a viis suis et vivat* ». Item — b) peccatoribus *communibus* concedi auxilia quibus possint nova peccata praecavere, colligitur ex Io. [4]: « *Mandata eius gravia non sunt* »: quae vera sunt quoad omnes. Quoad vero — c) peccatores *induratos,* communior sententia tuetur, paucis contradicentibus cum Bannez et Gonét, *nulli* eorum subtrahi auxilia quibus tum possint converti, tum etiam nova peccata praecavere. Scripturae enim, nulla facta distinctione, *omnes* peccatores ad poenitentiam adhortantur.

634. **Corollarium III.** — *Infidelibus quoque negativis largitur Deus pro loco et tempore media necessaria ad salutem* (n. 75) — Huius sententiae certae inter TT. veritas fluit tum — a) ex duplici certissimo theoremate, Deum velle *omnes* homines salvos fieri, et Christum pro *omnibus* hominibus sanguinem suum fudisse: tum — b) ex certa doctrina qua tenemus ordinem reparationis tam late patere quam late patet ordo ruinae, qui plane est universalis. Hinc Alexander VIII. [5] prop. 5. ex 31. damnavit: « Pagani, iudaei, haeretici aliique huius « generis homines nullum omnino accipiunt a I. C. influxum adeo- « que hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et iner- « tem sine omni gratia sufficiente »: et Clemens XI. [6] has in

1. sess. 6. cn. 18. — 2. ib. c. 11. — 3. Ezech. XVIII. 23. cfr. 2. Pet. III. 9. Sap. XI. 24. — 4. 1. Io. V. 3. — 5. die 7 dec. 1690. — 6. B. *Unigenitus* 8 sept. 1713.

Quesnello propp. damnavit: prop. 27.: « Fides est prima gratia « et fons omnium aliarum »: prop. 29.: « Extra Ecclesiam nulla « conceditur gratia ». Tum etiam — c) ex communissimo axiomate theologico a Patribus praeformato: « *Facienti quod est in se Deus non denegat gratiam* ». Scilicet: facienti quod in se est per vires naturae in facilioribus, et per vires gratiae medicinalis in difficilioribus, adeo ut legem naturalem observet atque ita sese *negative* ad gratiam disponat, Deus non denegat gratiam intrinsecus supernaturalem, per quam salutem consequi possit. Quam explicationem tutam esse sic declaratur. Est in Deo *sincera* voluntas dandi omnibus media salutis: quae voluntas non est *absoluta* sed *conditionata*. Atqui non ex parte Dei, quia tunc Deus quoad omnes hanc conditionem impleret: ergo ex parte hominis salvandi. Atqui illa conditio reponi nequit in merito aliquo, vel in impetratione, vel in positiva dispositione, ut supra demonstratum est. Ergo ea consistit in *negativa* dispositione qua homo removet obicem ad gratiam supernaturalem, quam *quo tempore* recipiet definiri nequit [1].

CAPUT III.

De gratia sufficienti et efficaci.

635. **Conclusio I.** « *Dogma fidei est* — 1° *dari in praesenti ordine gratiam vere sed pure sufficientem* — 2° *quae habet rationem veri beneficii* » (n. 79-84).

Praenota — a) gratiam *pure sufficientem* duo elementa dicere, alterum *positivum* quod est vera et expedita potentia agendi, alterum *negativum* quod est carentia actus salutaris ad quem ipsa gratia datur — b) Iansenius post Novatores primum posuit nullam dari in praesenti statu naturae lapsae gratiam *mere* sufficientem, sed *omnem* gratiam esse efficacem: hinc eius prop. 2. *haeretica:* « Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur ». Postea ianseniani ad fucum faciendum concedere coeperunt dari quidem quandoque gratiam aliquam *absolute* h. e. *in se* sufficientem (quam *parvam* appellabant), ut minime *relative* sufficientem h. e. relate ad adiuncta in quibus homo hic et nunc versatur. Ratio eorum potissima huc redit quod

1. In eundem sensum scribit Angelicus *De ver.* q. 14. a. 11. ad 1. « Si aliquis « nutritus in sylvis vel inter bruta animalia ductum rationis sequeretur in ap« petitu boni et fuga mali, certissime est tenendum quod ei Deus vel per inter« nam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel ali« quem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium » vel etiam (ut alibi dicit) mitteret angelum de coelo ad illum edocendum.

dicerent gratiam sufficientem non esse Dei beneficium cum inutilis sit, sed maleficium cum sit perniciosa. Idcirco Alexander VIII. (a. 1690) hanc in ipsis prop. 6. proscripsit: « Gratia sufficiens statui nostro « non tam utilis est quam perniciosa, sic ut possimus petere: a « gratia sufficiente libera nos Domine ».

Prob. 1. pars — Scriptura imprimis luculenter tradit docrinam de gratia *pure* sed *vere sufficienti.* Sic — a) legitur [1]: « *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. Et sepivit eam (Dominus) et lapides elegit ex illa et plantavit eam electam et ædificavit turrim in medio eius et torcular extruxit in ea : et expectavit ut faceret uvas et fecit labruscas (uvas amaras). Nunc ergo, habitatores Ierusalem et viri Iudae, iudicate inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ et non feci ei?* » Ex quibus sic: agitur hic, uti patet, de gratiis *pure* sufficientibus. Atqui simul constat has gratias fuisse *vere* sufficientes. Nam — α) Deus conqueritur cum Iudaeis eoquod non tulerint fructum bonorum operum, quem ipse expectabat: — β) provocat Iudæos ad iudicium: — γ) sub similitudine vineae omnibus modis declarat, nihil defuisse ex se quominus Iudæi possent bonum operari: ergo. Item — b) Apostolus ex Isaia [2] exhibet Deum ita eloquentem: « *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem mihi* » [3]: et Christus [4]: « *Ierusalem, Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas et noluisti: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* ». Ex quibus ita: Iudaei de sua infidelitate arguuntur. Ergo gratiae eisdem concessae simul fuere *vere* et *pure* sufficientes: *vere* quidem sufficientes quia potuissent credere — *pure* sufficientes quia non crediderunt h. e. restiterunt. Ad rem igitur s. Hieronymus [5]: « O infelicissimum humanum genus! qui peccata « excusamus dicentes: victus sum a natura; cum in potestate nostra « sit et peccare et Domino adiuvante non peccare ».

Prob. 2. pars — Gratia sufficiens dupliciter spectanda est sc. *materialiter* h. e. in *se ipsa,* et *formaliter* seu respectu divinae voluntatis a qua confertur. Atqui — a) sub primo respectu evidenter est beneficium: duo enim in suo conceptu includit sc. veram potentiam agendi — carentiam operis salutaris. Atqui *primum* evidenter continet rationem beneficii: *alterum* vero non adversatur huic rationi beneficii, quia provenit ex abusu recipientis: ergo. Item — b) sub altero respectu: voluntas enim Dei, si consideretur in signo *priori* ad scientiam qua Deus praevidet eam esse carituram effectu, est voluntas benevola, procedens ex generali voluntate salvandi homi-

1. Is. IV. 1. sqq. — 2. Is. cp. 65. — 3 Rom. XI. 21. — 4. Matth. XXIII. 17. — 5. in ps. 140.

nes: si autem spectetur in signo *posteriori*, non desinit esse voluntas benevola, quia Deus, praevisâ carentiâ effectus, non dat gratiam *quia* effectu caritura est, sed solummodo *quamvis* bonum effectum non sit habitura.

636. **Conclusio II.** « *Sub influxu gratiae efficacis h. e. cum bono opere coniunctae, integra manet humana libertas* » (n. 85-90).

Haec conclusio — a) contra lutheranos et calvinistas statuitur, damnatos a Trid. [1]: « Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo « motum et excitatum nil cooperari assentiendo Deo excitanti atque « vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac « præparet: neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam « nihil omnino agere mereque passive se habere A. S. ». Statuitur — b) contra Iansenium cuius systema ad haec redit — α) Voluntas humana quando operatura est, duplici allicitur delectatione, altera cœlesti quæ ad bonum, altera terrestri quae ad malum impellit — β) Hae delectationes agunt per gradus ad invicem, ita ut voluntas *semper* et *necessario* sequatur *maioris delectationis* impulsum — γ) Delectatio cœlestis victrix est gratia efficax, non victrix est gratia sufficiens. Ex hisce — δ) quinque corollaria sequuntur, quae sunt quinque propositiones in Iansenio damnatae ab Innocentio X: « Aliqua Dei præ- « cepta hominibus iustis, volentibus et conantibus, secundum prae- « sentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia « qua possibilia fiant » — « Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ « nunquam resistitur » — « Ad merendum vel demerendum in statu « naturae lapsae non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit li- « bertas a coactione » — « Semipelagiani in hoc erant haeretici quod « vellent gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere « vel obtemperare » — » Semipelagianum est dicere Christum pro « omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse ».

Prob. — a) ex Scriptura quae multiplici modo exhibet humanam voluntatem esse liberam sub gratia. Sic — α) voluntas sub gratia efficaci seipsam flectit ad agendum: *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas* » [2]. Voluntas — β) sub gratia efficaci agit et operatur: « *Gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem sed gratia Dei mecum* [3] — γ) ita agit ut potuerit etiam non agere « *Potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino* » [4]: — δ) veram exercet potestatem eligendi: « *Elegi abiectus esse in domo Dei mei magisquam habitare in tabernaculis peccatorum* [5] — « *Dominum elegisti hodie ut sit tibi Deus et ambules in*

1. sess. 6. c. 6. cn. 4. — 2. Ps. 118. — 3. 1. Cor. XV. 10. — 4. Eccli. XXXI. 10. — 5. Ps. 83.

viis eius [1]: — ε) exhortationes adhibentur ad ipsam movendam ad bonum: « *Adiuvantes exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* » [2]. *Prob.* — b) ex ratione. Nam gratia, quamtumvis efficax, non destruit sed perficit naturam. Atqui homo ex natura sua libero pollet arbitrio: ergo. Ad rem s. Prosper [3]: « Opitulationes divinae « gratiæ stabilimenta sunt voluntatis humanæ »: et s. Augustinus [4]: « Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur quia iuvatur, sed ideo « iuvatur quia non tollitur » — At quomodo conciliatur libertas humana cum gratiae efficacia? Seu unde repetenda efficacia gratiae?

637. **Triplex efficacia gratiae** (n. 91) — Triplex distinguitur efficacia gratiae sc. *virtutis* — *actualis* — *connexionis*. Efficacia *virtutis* sita est in vera potestate agendi quam tribuit gratia, quamvis haec potestas ad actum non deducatur; quo in sensu gratia quoque *mere* sufficiens dici potest efficax — Efficacia *actualis* est ipse influxus gratiae in opus salutare accedente cooperatione voluntatis — Efficacia *connexionis* est infallibilitas connexionis gratiae cum actu salutari. Quaeritur hic unde repetenda sit haec infallibilitas connexionis.

638. **Triplex infallibilitas connexionis** (n. 92) — Infallibilitas connexionis alia est *affectiva*, alia *cognoscitiva*, alia *obiectiva*. Infallibilitas *affectiva* est infallibilitas ut *volita* a Deo seu voluntas dandi illam gratiam, quam Deus praevidet esse infallibiliter obtenturam effectum — infallibilitas *cognoscitiva* est infallibilitas ut *cognita* a Deo seu est scientia, qua Deus certo praevidet eam gratiam obtenturam esse effectum -- infallibilitas *obiectiva* est infallibilitas *in se*, quae ideo cognoscitur a Deo quia *ratione prius* verum est talem gratiam obtenturam fore effectum, si daretur. Quæritur unde tandem repeti debeat infallibilitas *obiectiva*, de qua proprie hic est sermo.

639. **Thomistae** (n. 93-94) — Ad hanc quaestionem solvendam varia vigent systemata in scholis catholicis, quae ad duas classes commode revocari possunt. Ad primam classem ea systemata pertinent, quae infallibilem connexionem gratiae cum effectu salutari repetunt *ex natura intrinseca* gratiae quam idcirco appellant efficacem *ab intrinseco* — Ad alteram classem ea systemata spectant, quæ efficaciam gratiae repetunt a causa *extrinseca* gratiae, puta ex consensu humanae voluntatis a Deo praeviso: propterea gratiam dicunt efficacem *ab extrinseco*. Ad primam classem pertinent imprimis Thomistae, quorum sententia ad haec principia revocatur — a) Deus quemadmodum est *primum ens*, ita est *prima* omnium *causa*, primus motor, ad quem revocantur omnes motus omnesque actus causarum secundarum, ac propterea liberae quoque actiones humanae. Deus

1. Deut. XXVI. 17. — 2. 2. Cor. VI. 1. cfr. Ezech. XVIII. 31. - Io. VI. 27. - Philipp. II. 12. — 3. cont. Collat. c. 18. n. 3. — 4. ep. 157. c. 2.

autem — b) applicat humanam voluntatem ad agendum per *physicam praedeterminationem* [1] quæ nihil est aliud quam actio, qua Deus res creatas modo consentaneo suae naturae movet naturaliter vel supernaturaliter ad proprios respectivos actus. Huius physicæ praemotionis indoles talis est, ut sine ea humana voluntas non possit in suos actus prodire, et eâ positâ *certo* et *infallibiliter* sequatur actus *vi ipsius physicæ præmotionis*, cui humana voluntas resistere nequit. Porro — c) in hac sententia gratia efficax nihil est aliud quam *præmotio physica supernaturalis*, qua voluntas ad actus supernaturales movetur proindeque gratia est efficax *ab intrinseco*.

640. **Augustinenses** (n. 95) — Augustinenses pariter tuentur gratiam esse efficacem *ab intrinseco*, atque ita suam sententiam explicant — a) Gratia *sufficiens* est delectatio coelestis, inferior opposita delectatione terrena; gratia *efficax* est coelestis delectatio superior contraria cupiditatis delectatione. Haec delectatio coelestis superior — b) praemovet voluntatem ad actum non *physice*, sed *moraliter* (in quo differunt a Thomistis) ita tamen ut invincibiliter et infallibiliter sequatur actus vi ipsius coelestis delectationis, cui voluntas resistere nequit.

641. **Molinismus** (n. 96-97) — Paucis nunc exponendum est systema de gratia efficaci *ab extrinseco*, quod systema a suo præcipuo defensore Molina S. I. *molinismus* audit. Hoc systema repetit efficaciam connexionis *obiectivam* ex libera voluntatis determinatione a Deo infallibiliter praevisa, quatenus nempe voluntas, quae potest gratiae dissentire, de facto tamen libere consentit atque ita fit ut gratia evadat efficax. Si consideretur ex. gr. conversio Petri, sequenti ordine procedit. Deus — a) per scientiam *simplicis intelligentiae* cognoscit possibilem esse conversionem Petri sub quovis gratiae auxilio: — b) per scientiam vero *mediam* videt Petrum libere consensurum fore tali vel tali gratiae auxilio, quamvis possit etiam dissentire, si velit; idque non ex natura gratia, quae *ex se* indifferens est ad consensum et ad dissensum, sed ex libera Petri voluntate. Deus — c) pro benevola sua erga Petrum voluntate decernit dare *tale* auxilium, cui videt illum consensurum fore: — d) posito illo decreto, conversio Petri evadit *absolute futura* et Deus per scientiam *visionis* eam praevidet ut absolute futuram. Denique — e) in tempore Deus largitur Petro decretum auxilium, Petrus eidem libere consentit et convertitur [2] — Sit igitur

1. quae tamen confundi non debet cum divina *motione* quam n. 611 (1°) descripsimus. — 2. Ab hoc systemate vix differt systema illud quod *congruismus* appellatur coquod gratiae efficaciam in quadam gratiae *congruitate* reponat. Haec autem gratiae *congruitas* iuxta Suarez in eo sita est, quod ex una parte veram conferat virtutem agendi, ex alia vero parte conferatur in iis adiunctis, in quibus vo-

642. **Conclusio III.** « *Efficacia connexionis gratiae — 1° non est reponenda in physica praemotione aut in coelesti delectatione victrici, sed — 2° in libera determinatione voluntatis ad consensum* (n. 99-103).

Prob. 1. pars — Dogma catholicum est — a) dari gratiam *vere* sed *pure* sufficientem: — b) humanam libertatem esse liberam sub gratia. Atqui in utroque exposito systemate utrumque dogma tollitur: ergo — *Prob. 1. pars min.* Sane: — α) physica praemotio adeo necessaria est ad agendum ut sine ea actus nullus sequi possit; ea autem posita actus necessario sequatur. Ergo qui physicam præmotionem accipiunt, habent eoipso gratiam efficacem; qui vero non accipiunt, carent potentia bene agendi h. e. gratia vere sufficienti: ergo. Item — β) gratia sufficiens Augustinensium est delectatio coelestis viribus inferior delectatione terrena. Atqui delectatio illa non confert veram potentiam agendi hic et nunc, seu relative ad oppositam delectationem cupiditatis: ergo — *Prob. 2. pars min.* Ut actus sit vere liber, debet esse in nostra potestate illum vel ponere vel cohibere. Atqui *ante* acceptam physicam præmotionem aut sanctam victricem delectationem non est in nostra potestate ponere actum — *post* autem acceptam physicam praedeterminationem aut victricem delectationem non est in nostra potestate cohibere actum, quia voluntas nequit illi resistere: ergo.

Prob. 2. pars — a) ex Scriptura quae multiplici ratione ostendit pendere a nobis ut gratia evadat efficax. Sic e. g. [1]: « *Tunc coepit Christus exprobrare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes eius, quia non egissent poenitentiam: Vae tibi Corozaim, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent* ». Ex quibus sic: Christus testatur illas easdem gratias, quae in incolis Tyri et Sidonis futurae fuissent *efficaces,* remansisse *inefficaces* in Corozaim ac Bethsaidae incolis. Ergo nexus inter gratiam et opus bonum non est infallibilis ex intrinseca gratiæ virtute, alioquin eadem gratia semper foret efficax; sed talis est ex consensu voluntatis — Item Apostolus [2] hortatur Corinthios « *ne in vacuum gratiam Dei recipiant* »: ergo gratia talis est entitatis, quae *per se* possit seiungi a bono effectu. Ergo non est *ab intrinseco* efficax, sed eius efficacia a bono ipsius usu dependet. Item — b) ex ratione. Illud enim systema quoad gratiae efficaciam merito admittitur, quod ex una parte salvat *obiectivam* infallibilitatem connexionis, ex altera vero parte tuetur humanam libertatem. Atqui in nostro systemate — α) in tuto est infallibilis

luntas consensura est, quamvis et dissentiri possit. Porro, quomodumque explices horum adiunctorum opportunitatem, semper tamen patet in hoc quoque systemate gratiae efficaciam a voluntatis consensu repeti ideoque *ab extrinseco.* — 1. Matth. XI. 20. — 2. 2. Cor. VI. 1. cfr. Is. V. 1. sqq. Apoc. III. 20.

connexio *obiectiva*. Nam consensus voluntatis in nostro systemate consideratur non in suis causis proximis h. e. in humana voluntate, in qua nondum determinatus est, sed in semetipso idque dupliciter: sc. *ante* divinum decretum dandi *talem* gratiam consideratur *futuribilis* — *post* decretum uti *futurus*. Atqui est absolute impossibile ut consensus, qui sub tali gratia est futuribilis vel absolute futurus, simul non sit futuribilis vel futurus. Ergo connexio talis gratiae cum consensu est infallibilis. Item — β) in tuto est humana libertas. Ait enim Angelicus [1]: « non esset homo liberi arbitrii nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, ut ex proprio iudicio eligeret hoc aut illud ». Atqui in nostro systemate determinatio operis seu consensus ad voluntatem ipsam pertinet: ergo. Quare scite Augustinus [2]: « Non erat « in potestate tua ut non nascereris ex Adam; est in potestate tua ut « credas in Christum ».

643. **Corollarium** (n. 104) — *Actus salutares simul sunt a gratia et a libero arbitrio tamquam ab uno adaequato principio* — Revera si gratia ideo est *efficax* quia accedit consensus voluntatis, ergo tres sunt essentiales huius actus characteres sc. *vitalitas* qua est actus noster — libertas qua est actus meritorius — *supernaturalitas* qua est actus salutaris. Ergo eius principium *proximum* esse debet tum vitale et liberum, tum supernaturale. Atqui quod actus sit *vitalis* et *liber* non potest aliunde habere quam ab humana voluntate — quod sit *supernaturalis* non potest accipere quam a gratia. Ergo natura et gratia unum constituunt proximum et adaequatum principium actus salutaris. Hinc Apostolus [3]: « *Gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum* »: et s. Bernardus [4]: « Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula *opere individuo* peragunt ».

644. **Solvuntur difficultates** (n. 105-108) *Obiectio I.* — *Semipelagianum est dicere initium actus salutaris esse a naturae viribus. Atqui id mirifice statuitur in systemate Molinæ: ergo.*

Resp. neg. min. Nam — a) semipelagiani initium fidei et operis salutaris tribuebant *solis naturae viribus*. Atqui nos cum dicimus voluntatem libere consentire gratiae, non intelligimus *nudam* voluntatem, sed voluntatem iam praeventam et roboratam per gratiam. Praeterea — b) semipelagiani docebant initium fidei et operis salutaris rationem habere *positivae dispositionis* et *meriti* ad gratiam supernaturalem, quod pariter nos negamus.

645. *Obiectio II.* — *Scriptura pluribus in locis* [5] *ita tribuere vi-*

---

1. 2. dist. 28. q. 1. a. 1. — 2. De gestis cum Felice manich. l. 2. c. 4. et in ps. 76. serm. 1. n. 2. — 3. 1. Cor. XV. 10. — 4. De gr. et lib. arb. c. 14. n. 47. — 5. Ezech. XXXVI. 27. - Philip. II. 13. - 1. Cor. IV. 7. - Rom. IX. 16. - Ier. XVIII. 6.

detur opera nostra bona Deo ut voluntatis nostrae consensus exhibeatur tamquam effectus intrinsecæ efficaciæ gratiæ.

Resp. Multiplici de causa verum est opera nostra bona supernaturalia tribuenda esse Deo, quin ad physicam praemotionem aut victricem delectationem recurramus, quia — a) *liberum arbitrium* est gratuitum donum Dei: quia — b) *gratia* est a Deo uti causa *principe*, a Christo uti causa *meritoria:* quia — c) præsertim gratia *efficax* pendet a gratuita et benevola Dei voluntate: quia — d) opera salutaria simul sunt, uti diximus, a gratia tamquam a *nobiliori* ac *primaria* causa, et a voluntate tamquam a causa *secundaria.* Atqui quando effectus a duplici principio procedit, modo uni, modo alteri tribui potest, et frequentius tribuitur principio *primario:* ergo. Quare Augustinus: « Ut velimus et *suum* esse voluit et *nostrum:* suum vocando, nostrum consentiendo ».

646. *Obiectio III. — Axioma est philosophorum: « Nihil exit de potentia in actum nisi per ens actu ». Atqui voluntas nostra antequam agat, est in potentia ad agendum: ergo debet ab alio determinari.*

Resp. dist. min. nondum mota a Deo *conc.* mota a Deo *subd.* in potentia *passiva* simul et *activa* conc. in mera potentia *passiva* neg. Humana voluntas quando non est *in actu,* est quidem in potentia *passiva* quatenus ex se indifferens est ut moveatur a Deo vel non moveatur — ut actuetur potius hoc quam illo actu; at simul est in potentia *activa* quatenus, supposita motione universali quoad actus naturales, et supposita motione speciali per gratiam praevenientem quoad actus supernaturales, habet in semetipsa potentiam seipsam determinandi ad hunc vel ad illum actum. Eius enim essentialis proprietas est *libertas:* atqui libertas proprie sita est in facultate agendi vel non agendi, vel unum agendi ut aliud etiam agere possit. Ergo ipsa potest seipsam traducere ad proprios actus quin divinitus prædeterminetur.

647. *Obiectio IV. — Si voluntas creata seipsam determinaret ad actum, Deus non esset primum liberum: ergo.*

Resp. dist. antec. si non praesupponitur aliqua sive universalis sive specialis motio divina *conc.* si haec praesupponitur *neg.* Ad rem Doctor Eximius [1]: « *Primum liberum* proprie dicitur quod est per « essentiam liberum vel quod libertatem habet prorsus ab alio inde- « pendentem. Neutrum autem horum convenit voluntati creatae, cum « non habeat libertatem nisi participatam a libertate Dei et ab eadem « in suis determinationibus pendentem. Si autem *primum liberum* « dicatur illud agens, a quo in suo genere est determinatio libera, « sic verum est omnem voluntatem liberam posse in suo genere dici

1. De auxil. opusc. 1. l. 1. c. 8. n. 8.

« primam radicem suae determinationis, quia sc. sine illa fieri non « potest, nec aliter quam ex intrinseca et libera applicatione eius: « sed haec est impropriissima huius vocis acceptio ».

PARS SECUNDA

De gratia habituali seu de iustificatione.

CAPUT I.

De natura et effectibus iustificationibus.

648. **Quid iustificatio** (n. 111-112) — *Iustificationis* nomine intelligitur translatio hominis ex statu peccati in statum iustitiae et adoptionis filiorum Dei: ubi *iustitiae* nomine intelligitur non illa *particularis* virtus quae hominem inclinat ad ius suum cuique tribuendum; sed *universalis* illa iustitia, quae complectitur omnes virtutes recte ordinantes hominem ad Deum. Hæc iustitia *adæquate* dicit complexum donorum quibus homo recte disponitur erga Deum, seipsum et proximum in ordine supernaturali, *essentialiter* vero est illud donum inter haec omnia, a quo tamquam ab essentia cetera dona procedunt ut proprietates vel facultates a propria natura. Hoc donum appellatur gratia *sanctificans*, de qua postea. Haec autem dupliciter infundi potest: vel per modum *simplicis generationis* qua homo de negatione iustitiae tamquam a termino *a quo* trasfertur ad statum iustitiae ut terminum *ad quem* — vel, ut in praesenti ordine providentiae, per modum *motus de contrario in contrarium* h. e. de statu peccati, quod est iustitiae privatio, ad statum gratiae. Distingui autem solet iustificatio *prima,* quae est illa qua a peccato mundamur, et *secunda,* qua gratia sanctificans augetur.

649. **Protestantium doctrina** n. 113) — Protestantium doctrina in praesenti materia ad haec redit — a) Iustificationis *natura* solo elemento *negativo* constat h. e. peccatorum remissione — b) peccatorum vero remissio non est vera peccatorum *deletio,* sed mera occultatio seu non imputatio — c) peccatorum autem tegumentum, seu *causa formalis* iustificationis, est vel iustitia sive sanctitas Dei, vel iustitia Christi nobis extrinsecus imputata, vel etiam iuxta nonnullos aliquis Dei favor extrinsecus — d) dispositio vel medium *unicum* ad hanc iustificationem consequendam est *fides,* qua certo credimus peccata nobis non imputari, et e converso imputari nobis iustitiam Dei vel Christi.

650. **Ecclesiae doctrina** (n. 114) — At sanam doctrinam ita proponit Trid. [1]: « Si quis per I. C. gratiam quae in baptismate

1. sess. 6. cn. 5. 11.

« confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit « non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, « sed illud dicit tantum radi aut non imputari A. S. » — « Si quis « dixerit homines iustificari vel sola imputatione iustitiae Christi, vel « sola peccatorum remissione, exclusâ gratiâ quae in cordibus eorum « per Sp. Sanctum diffundatur et illis inhaereat, aut etiam gratiam « qua iustificamur esse tantum favorem Dei A. S. ». Ex quibus patet — a) iustificationis naturam duplici elemento absolvi, altero *negativo* quod est *vera* peccatorum remissio, altero *positivo* quod est gratiae infusio in anima atque idcirco *causa formalis* iustificationis. Quare in iustificatione habetur *interior hominis renovatio* seu translatio de morte ad vitam.

651. **Conclusio I.** « *Iustificatio peccatoris perficitur* — 1° *negative per veram peccatorum remissionem* — 2° *positive vero per infusionem doni alicuius quo peccator vere iustus efficitur* » (n. 116-120) — Conclusio est *de fide catholica.*

Prob. 1. pars — Scriptura multiplici modo inculcat *veram* peccatorum remissionem. Sane — a) peccata dicuntur *auferri — deleri — transferri — remitti — tolli* [1]: « *Obsecro, aufer iniquitatem servi tui* » — « *Convertimini ut deleantur peccata vestra* » — « *Dominus transtulit peccatum tuum* » — « *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* » — « *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* ». Item — b) peccata comparantur maculis ita ut homo iustificatus dicatur mundatus, lavatus, ablutus [2]: « *Lavamini, mundi estote ..... Si fuerint peccata vestra ut coccimum, quasi nix dealbabuntur* ». Ita etiam — c) peccata vocantur vulnera, a quibus homo sanatur [3]: « *Vere languores nostros ipse tulit ..... cuius livore sanati sumus* ». Denique — d) peccatum describitur uti *mors animæ,* iustificatio autem ut *vita:* « *Cum essemus mortui peccatis, convificavit nos Deus in Christo Iesu* » [4]. Idcirco ait s. Augustinus [5]: « Quemadmodum in Christo vera mors « facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum: et quemadmodum « in illo vera resurrectio, ita in nobis vera iustificatio ». Quibus positis sic arguimus: si peccata in iustificatione vere non remittuntur, id vel ex eo provenit quod Deus non possit, vel ex eo quod nolit peccata dimittere. Atqui *primum* divinae omnipotentiae adversatur, *alterum* contradicit apertæ Scripturarum doctrinæ quam antea retulimus: ergo.

Prob. 2. pars — a) ex Scripturis ubi haec legimus [6]: « *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem iusti constituentur multi* ». Atqui impossibile est

1. 1. Paralip. XXI. 8. - Act. III. 19. - 2. Reg. XII. 13. - Io. XXII. 22. - Io. I. 29. — 2. Is. I. 16. cfr. Ier. XXXIII. 8. - 1. Cor. VI. 11. — 3. Is. LX. — 4. Eph. II. 5. — 5. Enchir. c. 52. — 6. Rom. V. 19.

ut quis vere iustus in se constituatur absque iustitia ipsi intrinseca: ergo. Item adhuc Apostolus [1]: « *Renovamini spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis* ». Atqui iustitia, in quo primus homo creatus est, ipso Calvino fatente, positiva erat nec in sola peccati carentia consistebat: ergo. Adhuc idem Apostolus [2]: « *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Sp. Sancti, quem effudit in nos abunde per I. C. Salvatorem nostrum* ». Atqui generatio, cum sit productio viventis, importat communicationem novae vitae: ergo per iustificationem nova vita communicatur, novum proinde principium vitale: ergo. Idem — b) evincitur ex ratione. Deus enim diligit hominem amore naturali quatenus illi dat esse naturale. Ergo eum diligit amore supernaturali quatenus eidem communicat bonitatem quae sit altioris ordinis. Atqui tali amore Deus prosequitur iustos, quos amicos, filios et sui haeredes compellat. Ergo iusti tales sunt per aliquam realem supernaturalemque bonitatem ipsis inhaerentem [3].

652. **Conclusio II.** « *Donum quo formaliter iustificamur seu gratia sanctificans — 1° non est ipsa persona Sp. S. sed — 2° donum quoddam creatum — ab anima eiusque potentiis distinctum — animae inhaerens ad modum habitus* » (n. 121-130) — Prima pars est *certa* ex Conc. Trid. [4]: « Huius iustificationis causae sunt: *finalis* quidem gloria Dei et « Christi ac vita aeterna — *efficiens* misericors Deus — *meritoria* di- « lectissimus Unigenitus suus D. N. — *instrumentalis* sacramentum « baptismi (agitur de *prima omnium* iustificatione) — demum unica « *formalis* causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua « nos iustos facit ». Ea autem statuitur contra Petrum Lombardum, dictum *Magistrum sententiarum,* qui censuit gratiam sanctificantem nil aliud esse quam personam Sp. Sancti inhabitantis in nobis adeoque donum *improductum.*

Prob. 1. pars — a) ex Trid. quod ait [5]: « Unica formalis causa « (iustificationis) est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua « nos iustos facit »: ergo non est idem ac Sp. Sanctus, qui est ipsa iustitia *increata.* Item l. c. ait: « Non modo reputamur, sed vere « iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque « suam secundum mensuram quam Sp. Sanctus partitur singulis prouti « vult et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperatio- « nem ». Quare: iustitia *donatur* a Sp. Sancto ac per Ipsum *inaequaliter diffunditur:* atqui si Sp. Sanctus esset ipse iustitia nostra, haec *aequalis* esset in omnibus nec tamquam donum a Sp. S. donante

1. Eph. IV. 23. — 2. Tit. III. 4. — 3. cfr. s. Th. 1. 2. q. 110. a. 1. — 4. sess. 6. cp. 7. — 5. sess. 6. c. 7.

distingueretur: ergo. Praeterea — b) si ipsa persona Sp. Sancti esset causa formalis nostrae iustificationis, admittenda esset nescio quae unio hypostatica Sp. Sancti cum anima iusti: functio enim personae divinae sub formali ratione personae alia esse nequit quam complere naturam seu facere illam subsistere.

Prob. 2. pars — a) Gratia sanctificans *distinguitur ad anima eiusque potentiis.* Iuxta enim Scripturarum doctrinam iustificatio est quaedam *regeneratio* ideoque gratia sanctificans, quae est huius generationis terminus, tribuit nobis *novum esse* ac veluti *novam naturam,* novarum proinde operationum principium. Atqui novum hoc esse est supernaturale, est ordinis divini, siquidem per illud divinae efficimur consortes naturae, uti infra videbimus. Ergo non est aliquid quod identificetur cum anima eiusque potentiis. Hinc Trid.: « iustificatio non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et « renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiae « et donorum, unde homo ex iniusto fit iustus, ex inimico amicus ut « sit haeres secundum spem vitae aeternae ». Praeterea — b) gratia sanctificans est *aliquid physice permanens in iusto etiam cessante actu.* Nam eadem est gratia qua iustificantur adulti et infantes. Atqui gratia qua iustificantur infantes, procul dubio non est actus aliquis *transiens* sed aliquid *permanens:* ergo et gratia qua iustificantur adulti — *Prob. mai.* Quod *probabile* fuit tempore Innocentii III., ut patet ex cap. *Maiores* de baptismo, ac deinde *probabilius* tempore Concilii Viennensis, uti declarat Clemens V. in Clementina *de summa Trinitate et fide catholica,* evasit sententia *certa* in Concilio Trid. quod [1] docet, in baptismate per gratiam tolli reatum peccati originalis (n. 650). Atqui idem baptisma parvulis et adultis confertur: ergo eadem gratia infunditur. Idcirco in Scripturis gratia appellatur *semen Dei quod in nobis manet — pignus hæreditatis — signum quo signantur credentes* [2]. Denique — c) gratia sanctificans est *habitus* non quidem *operativus* sed *entitativus.* Revera in Cathechismo Romano [3] iussu s. Pii V. edito ita describitur gratia: « Est autem gratia, quemadmodum Tridentina « Synodus ab omnibus credendum poenâ anathematis propositâ de- « crevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed *divina* « *qualitas* in anima inhaerens ac veluti splendor quidam et lux, quae « animarum nostrarum maculas omnes delet ipsasque animas pul- « chriores et splendidiores reddit »: moxque subiungit: « Quæ gratia « nos ad omnia christianae pietatis officia habiles reddit ».

653. **Quaestio I.** *An et quomodo gratia expellat ab anima peccatum?* (n. 132) — *Ad 1um* Gratiam expellere suâ praesentiâ peccatum patet ex Scriptura, ubi gratia et peccatum comparantur ut lux et tenebrae: « *E-*

1. sess. 5. cn. 5. — 2. sess 6. c. 7. — 3. De bapt. n. 50. 52.

ratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino » [1] — ut mors et vita: « *Sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnat per iustitiam in vitam aeternam* » [2] — ut novitas et vetustas: « *Quomodo Christus resurrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitae ambulemus* » [3]. Atqui lux expellit tenebras, vita mortem, novitas vetustatem: ergo gratia expellit peccatum. Hinc Apostolus [4]: « *Quae participatio iustitiae cum iniquitate? quae societas lucis ad tenebras?* — *Ad 2um* Circa modum autem quo gratia peccatum expellit *triplex* est sententia — *Prima* statuit gratiam *ex natura sua intrinseca* et *physice* opponi peccato, vel *absolute* uti censet Vasquez, vel tantum de potentia Dei *ordinaria* uti tenet Suarez — *secunda* quam tenet Scotus, docet gratiam iustificantem expellere peccatum solum *ex lege positiva* Dei — *tertia* repetit inconciliabilitatem gratiae cum peccato ex natura gratiae non quidem *physica,* sed solum *morali*, quatenus maxima cernatur indecentia in eo quod tam insigne donum cum peccato consistat.

654. **Quaestio II.** *Utrum gratia sanctificans constituat homines divinae consortes naturae?* (n. 134) — Per gratiam sanctificantem — a) fieri hominem participem divinae naturae passim docent Patres et Doctores occasione verborum [5]: « *Ego dixi: dii estis et filii excelsi omnes* »: et [6]: « *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit ut per haec efficiamini divinae consortes naturae* ». Hinc s. Basilius [7]: « Quemadmodum corpora illustria pellucidaque contacta radiis solis « fiunt, et ipsa supra modum splendida et alium fulgorem ex se « profundunt; sic et animae Spiritu afflatae et illustratae fiunt et « ipsae spirituales et in alios gratiam emittunt ..... Hinc cum Deo « similitudo et, quo nil sublimius, hinc est *ut Deus fias* ». Hoc autem consortium — b) situm est in quadam supernaturali *assimilatione* hominis ad Deum in duobus, quod sc. — α) gratia est principium et radix totius moralis honestatis supernaturalis tum *negative* quia peccatum removet, tum *positive* quia facultatem praebet, mediantibus habitibus supernaturalibus qui ab ea fluunt, *operandi opera Dei* [8]: — β) quod gratia est semen gloriae h. e. visionis Dei seu supernaturalis assimilationis ad Deum in patria iuxta illud: *similes ei erimus quia videbimus eum sicuti est* [9].

655. **Quaestio III.** *Utrum gratia faciat hominem filium Dei adoptivum?* (n. 135) — Adoptio communiter definitur: « Personae extraneae in filium et haeredem gratuita assumptio ». Est autem maximum discrimen inter *divinam* et *humanam* adoptionem. *Humana* enim adoptio oritur ex indigentia sc. ex defectu filii naturalis — supponit

1. Eph. V. 8. — 2. Rom. V. 21. — 3. Rom. VI. 3. — 4. 2. Cor. VI. 14. — 5. Ps. 3. — 6. 2. Pet. I. 4. — 7. De Sp. S. c. 9. — 8. Io. VI. 28. — 9. cfr. s. Th. 3. q. 23. a. 1.

in adoptando naturae similitudinem — fit solummodo per extrinsecam acceptationem; e contra *divina* adoptio proficiscitur ex divinae bonitatis abundantia — adoptatos deificat per divinae gratiae infusionem quae idcirco generationi assimilatur. Porro adoptionem divinam esse effectum formalem iustificationis constat — a) ex iustificationis indole quae *generationi* comparatur. Idcirco — b) iusti in Scripturis appellantur *filii Dei* ut e. g. [1]: « *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus: abba, pater: ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei* ». Quare ex Trid. [2] iustificatio est « translatio ab eo « statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et « adoptionis filiorum Dei ».

656. **Quaestio IV.** *Utrum gratia sanctificans importet veram amicitiam Dei cum anima iusti?* (n. 137) — Amicitia definitur ab Aristotele: « *mutua aliquorum benevolentia non latens* ». Conditiones ad amicitiam requisitae tres numerantur sc. *aequalitas* inter amicos, unde illud s. Hieronymi [3]: « Amicitia pares aut invenit aut facit »: quamvis sit quoque amicitia *excellentiae* inter eos qui sunt in diverso dignitatis gradu constituti — *benevolentia mutua* — aliqua *bonorum communio*. Porro hae conditiones inter iustos et Deum implentur *vi gratiae sanctificantis*. Revera — a) impletur *prima* conditio, cum per gratiam homo efficiatur divinae consors naturae. Impletur — b) *secunda* conditio: iusti enim per habitum caritatis Deum amore supernaturali prosequuntur; vicissim Deus redamat iustos iuxta illud Scripturae [4]: « *Ego diligentes me diligo* ». Impletur — c) *tertia* conditio: Deus enim ex parte sua animabus, quas diligit, bona cuncta offert et pro cuiusque cooperatione cumulate largitur. Uti enim scribit Apostolus [5]: « *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo ..... In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae eius, quae superabundavit in nobis* ». Hinc communicat ipsis virtutes supernaturales, septem dona Sp. Sancti, bonorum omnium maximum sc. seipsum. Ex parte autem nostra eadem conditio verificatur, prouti rei natura patitur. Iustus enim per habitum gratiae et caritatis se suaque omnia ad Deum ordinat Deoque vovet.

657. **Quaestio V.** *Utrum gratia sanctificans ius conferat iusto ad vitam aeternam?* (n. 138) — Statim respondet Apostolus [6]: « *Si filii, et haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi* ». Non conveniunt tamen Theologi utrum ius huiusmodi sit vel — a) ius *morale* strictae iustitiae, cuius laesio strictam iniuriam constitueret,

1. 1. Io. III. 2. - Rom. VIII. 15. 16. — 2. sess. 6. c. 4. — 3. in Mich. 7. — 4. Prov. VIII. 17. - Io. XVI. 21. — 5. Eph. I. 3. — 6. Rom. VIII. 17.

quemadmodum e. g. tale ius habetur ex meritis supernaturalibus: vel — b) ius *physicum*, ut aiunt, seu naturalis exigentia, cuius inexpletio vim inferret gratiae: vel — c) ius solius *connaturalitatis* et *physicæ dignitatis* seu capacitas gloriæ.

658. **Quaestio VI.** *Utrum vi gratiae sanctificantis ipsa persona Sp. Sancti inhabitet in anima iusti?* (n. 139) — Id indubium est tum ex iam probatis, tum ex revelatione. Sane — a) Deus et iustus sese invicem diligunt amore amicitiae: atqui perfecta amicitia postulat inter amicos unionem etiam secundum realem praesentiam, quoad fieri potest: ergo Sp. fit iustis omnibus intime praesens. Huc pertinent ea Ioannis [1]: « *Deus caritas est et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo* ». Praeterea — b) Scriptura testatur Sp. Sanctum nobis communicari: « *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Sp. Sanctum qui datus est nobis* » [2] — nobis dari, apud nos manere: « *Et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in aeternum* » [3] — non esse templum Sp. Sancti: « *An nescitis quoniam corpora vestra templa sunt Sp. Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo et non estis vestri?* [4]. Advertatur tamen hanc inhabitationem esse Trinitati *communem*, et tamen *appropriari* Sp. Sancto propter eius specialem relationem cum charactere Sp. Sancti: idcirco de tribus personis legimus [5]: « *Si quis diligit me, Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* » — Talis vero inhabitatio explicatur quatenus gratia est *novus titulus* praesentiae S. Spiritus, cui adeo placet anima gratiâ prædita, ut si non esset ibi *ratione immensitatis*, gratiâ allectus in tali saltem anima esse inciperet.

659. **Quæstio VII.** *Utrum alii sint effectus gratiae sanctificantis?* (n. 141) — Adhuc *sex* recenseri possunt. Ipsa enim — a) dignificat bonos iustorum actus adeo ut evadant merita *de condigno* vitae aeternae — b) reddit iustos dignos speciali providentia divina, qua de re haec leguntur [6]: « *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui: Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper* ». Hinc — c) quæ de angelorum custodia leguntur Ps. 90, imprimis de filiis Dei adoptivis intelligi debent. Insuper — d) ius confert ad auxilia actualia quibus possint iusti in iustitia perseverare et crescere. Conciliat — e) veram *felicitatem* et *pacem* quam mundus non potest dare, ita ut iustus dicere possit cum Apostolo [7]: « *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra* ». Denique — f) veram *libertatem*, verum *progressum* et *cultum* confert,

1. 1. Io. IV. 16. — 2. Rom. V. 5. — 3. Io. XIV. 16. — 4. 1. Cor. XVI. 19. - cfr. 2. Cor. VI. 16. — 5. Io. XIV. 23. — 6. Is. XLIX. 15. — 7. 2. Cor. VII. 4.

quia format nos ad similitudinem Christi et Dei. Quare de ipsa repeti possunt omni iure illa encomia quae sapientiae tribuuntur [1]: « *Praeposui illam regnis et sedibus et divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua et tamquam lutum aestimabitur argentum in cospectu illius. Super salutem et speciem dilexi quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa et innumerabilis honestas per manus illius.... Infinitus enim thesaurus est omnibus hominibus* ».

CAPUT II.

De dispositionibus ad iustificationem.

660. **Quid dispositio** (n. 142) — *Dispositionum* nomine intelligimus actus nonnullos praemittendos ab adultis, quibus non tamquam meritis, sed tamquam causis moralibus Deum veluti impellentibus sese praeparent ad iustificationem obtinendam. Hi actus — a) esse debent *supernaturales,* quia dispositio esse debet proportionata formæ ad quam disponit: hinc Trid. [2]: « Si quis dixerit sine praeveniente Sp. Sancti « inspiratione atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere « aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei iustificationis gratia confe- « ratur A. S. ». Esse debent — b) *liberi,* quia reconciliatio et amicitia libero contrahuntur consensu.

661. **Protestantium doctrina** (n. 143) — Protestantium doctrina in praesenti materia huc redit. Homo — a) amisso per originale peccatum libero arbitrio, nullo bono opere se potest ad iustificationem praeparare. Tamen — b) requiritur et *sufficit* fides, quam propterea *iustificantem* appellant, non quidem ut dispositio, sed ut *instrumentum* quo veluti manu peccator iustitiam Christi apprehendit sibique applicat. At — c) fides huiusmodi non aliud est quam *firma fiducia* qua quis sibi certo suadet sua peccata ob Christi merita sibi esse remissa quamque *fidem promissionum* appellant.

662. **Ecclesia** (n. 144) — At doctrina catholica [3] est: quamvis — a) fides sit dispositio ad iustificationem, ipsa tamen *sola* non sufficit, sed — b) *ordinariae* dispositiones praeter fidem sunt timor, spes, caritas saltem inchoata, pœnitentia, propositum novae vitae: fides vero — c) ad iustificationem disponens est fides *theologica* « qua « credimus vera esse quae divinitus revelata et promissa sunt, atque « illud imprimis, a Deo iustificari impium per gratiam eius, per

1. Sap. VII. 8. — 2. sess. 6. c. 3. — 3. sess. 6. cc. 6. 7. 8.

« redemptionem quae est in Christo quaeque est humanae salutis « initium, fundamentum et radix omnis iustificationis » [1].

663. **Conclusio unica** — « *Etsi fides sit necessaria conditio ad iustificationem consequendam, tamen* — 1° *aliae praeter fidem dispositiones requiruntur: praeterea* — 2° *fides huiusmodi ea est quae theologica appellatur* » (n. 146-151) — Conclusio est *de fide catholica.*

Prob. 1. pars — Generatim — a) solam fidem non sufficere, expresse promulgat Iacobus [2]: « *Ex operibus iustificatur homo et non ex fide tantum ..... Fides sine operibus mortua est* » — Adde protestantium doctrinam omne destruere virtutis studium, latam aperire iniquitati viam, moralitatem omnem subvertere. Quod vel ipse Lutherus candide confessus est [3]: « Vides quam dives sit homo christianus; etiam volens « non potest perdere salutem quantiscumque peccatis, nisi nolit cre- « dere. Nulla enim peccata eum possunt damnare nisi sola incredu- « litas ». Speciatim vero — b) actus supra a Tridentino recensitos esse *ordinarias* dispositiones, patet ex Scriptura. Sic. e. g. — α) de *timore* [4]: « *Timor Domini expellit peccatum, qui sine timore est non poterit iustificari* »: — β) de *spe* [5]: « *Qui sperat in Domino, sanabitur* »: — γ) de *dilectione* [6]: « *Qui non diligit manet in morte* »: — δ) de *pœnitentia* quam consequitur propositum *novae vitae* [7]: « *Pœnitemini et convertimini ut deleantur peccata vestra* ». Nec — c) *obiicias* verba Apostoli [8]: « *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis* ». Apostolus enim ea tantum opera excludit et insufficientia declarat quae fidem praecedunt, quae in fide non fundantur, opera mere *naturalia* sive legis *mosaicae*, sive legis *naturalis*, uti aperte demonstrat scopus polemicus totius epistolae ad Romanos.

Prob. 2. pars - a) ex Scripturis [9]: « *Praedicate evangelium omni creaturae: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur* » — « *Accedentem ad Deum credere oportet quia est et inquirentibus se remunerator sit* ». Porro fides de qua hic sermo est, procul dubio illa est quae ad salutem requiritur. Atqui huius fidei obiectum non sunt solum generales promissiones salutis in Christo, nec remissio peccatorum unicuique determinate facta, uti contendunt Protestantes, sed omnia divinitus revelata sc. *evangelium* qua late patet: ergo. Accedit — b) constans praxis Ecclesiae exigendi a iustificandis non quidem fidem in generales pro-

---

1. Ita sonat cn. 12. c. 6. « Si quis dixerit fidem iustificantem nihil aliud esse « quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum, vel « eam fiduciam solam esse qua iustificamur A. S. ». — 2. Iac. II. 24. - cfr. 1. Cor. XIII. 2. — 3. De captiv. babyl. t. 2. fol. 284. — 4. Eccli. I. 7. — 5. Prov. XXVIII. 25. — 6. Io. III. 14. — 7. Act. III. 19. — 8. Rom. III. 28. - cfr. IV. 2. — 9. Marc. XVI. 15. - Hebr. XI. 6. - cfr. Io. XX. 31.

missiones Dei vel Christi, sed fidem in symbolis contentam h. e. in omnia divinitus revelata. Nec — c) obstat articulus symboli: *Credo remissionem peccatorum :* hoc enim articulo credendum proponitur dogma speciale sc. existere in Ecclesia potestatem remittendi retinendique peccata.

CAPUT III.

De proprietatibus iustificationis.

664. **Inaequalitas** (n. 152) — Tres iustificationis proprietates recenset Tridentinum quae sunt eius *inaequalitas, incertitudo* et *amissibilitas*. Gratia iustificationis — a) dicitur *inaequalis* imprimis *relative* sc. quoad diversos iustos inter se comparatos, cuius inæqualitatis causa *duplex* est sc. *proxime* diversitas dispositionum in iustificandis, *remote* voluntas Dei inaequaliter distribuentis gratiae actualis auxilia ex quibus fit ut meliores vel secus afferantur dispositiones [1]. Quare ait Trident. [2] unumquemque recipere iustitiam suam « secundum mensuram quam Sp. Sanctus largitur singulis *prout vult*, et « secundum propriam cuiusque *dispositionem* et *cooperationem* » [3]. Præterea — b) gratia dicitur inaequalis *absolute* h. e. *in singulis* iustis, quatenus in unoquoque iusto *augeri potest:* « Si quis dixerit iustitiam « acceptam non conservari atque etiam augeri coram Deo per bona « opera : sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse iustifica- « tionis adeptae, non autem ipsius augendae causam A. S. » [4]. Hanc vero *inaequalitatem* — d) negant protestantes, cum iuxta ipsos causa formalis iustificationis nostrae sit iustitia Christi nobis imputata, idcirco *eadem* in omnibus. Hinc Lutherus [5]: « Omnes christiani aeque magni sumus sicut Mater Dei et aeque sancti sicut ipsa ».

665. **Incertitudo** (n. 153) — Haec proprietas — a) in eo sita est ut « nullus scire valeat *certitudine fidei*, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum »: Conc. Trid. [6]. Tamen — b) libenter concedimus iustum posse habere certitudinem *coniecturalem* et *moralem* « in quantum percipit se delectari in Deo et contemnere res mundanas et non est conscius sibi alicuius peccati mortalis » [7]. Hanc quoque proprietatem protestantes inficiantur, quorum errorem confixit Trid. can. 13.: « Si quis dixerit omni homini ad remis- « sionem peccatorum assequendam necessarium esse ut credat certo

1. 1. 2. q. 112. a. 4. — 2. sess. 6. c. 7. — 3. Hinc in parvulis, in quibus nulla esse potest dispositio, gratia baptismatis æqualis est in omnibus, uti ostendit s. Th. *Suppl.* q. 69. a. 8. — 4. sess. 6. c. 7. cn. 24. — 5. Serm. de Nativ. B. M. V. — 6. sess. 6. c. 9. — 7. 1. 2. q. 115. a. 5.

« et absque haesitatione propriæ infirmitatis et indispositionis peccata « sibi esse remissa A. S. ».

666. **Amissibilitas** (n. 154) — Quoad *tertiam* proprietatem hos duos canones adhunc contra protestantes statuit Trid. [1]: « Si quis « hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neque « gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur et peccat, nunquam « vere fuisse iustificatum A. S. » — « Si quis dixerit nullum esse « peccatum mortale nisi infidelitatis aut nullo alio quantumvis gravi « et enormi peccato, praeterquam infidelitatis, semel acceptam gra- « tiam amitti A. S. ». Sit igitur sequens

667. **Conclusio unica** « *Gratia iustificans* — 1° *inaequalis est tum relative, tum etiam absolute* — 2° *incerta ac* — 3° *amissibilis* (n. 156-160). Haec conclusio est *de fide catholica.*

Prob. 1. pars quoad inaequalitatem *relativam:* sic ex. gr. [2]: « *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit* » — « *Maiorem hac dilectionem nemo habet ut ponat quis animam suam pro amicis suis* ». Ex quibus sic: causa formalis remissionis peccatorum est gratia — dilectio procedit a gratia per caritatem. Atqui datur maior vel minor remissio — datur inaequalitas dilectionis: ergo et gratiae. Idem evincitur ex inæqualitate gloriae, quæ supponit inæqualitatem gratiæ. Sic [3]: « *In domo Patris mei mansiones multae sunt* » — « *Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate: sic et resurrectio mortuorum* ». Quoad vero inaequalitatem *absolutam* haec legimus [4]: « *Iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem* » — « *Crescite vero in gratia et in cognitione Domini nostri et Salvatoris I. C.* » — « *Qui iustus est, iustificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc* ». Et recte quidem: iustificati enim sunt Deo grati et accepti vi *gratiæ sanctificantis.* Atqui qui gratus est et carus alicui, gratior et carior fieri potest: ergo gratia augeri potest. Quod quidem gratiae augmentum fieri potest vel *ex opere operato* sc. per *sacramenta*, vel *ex opere operantis* sc. per *opera bona.*

Prob. 2. pars — Generatim — a) incertitudinem iustificationis sic exhibet Scriptura [5]: « *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit* » — « *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum* »: hinc s. Augustinus [6]: « Fortasse tu nihil invenis in conscientia tua, invenit ille qui melius videt ». Speciatim vero — b) neminem *certitudinaliter* scire posse, excepta speciali revelatione, se gratiam Dei

1. sess. 6. c. 14. cn. 23. 27. — 2. Luc. VII. 47. - Io. XV. 13. — 3. Io. XIV. 2. - 1. Cor. XV. 41. — 4. Prov. IV. 18. - 2. Pet. III. 18. — 5. Eccle. IX. 1. - 1. Cor. IV. 4. — 6. De verb. Dom. s. 23. n. 14.

esse consecutum, sic demonstratur. Ad talem certitudinem comparandam necessarium foret ut conscientiae testimonium testaretur omnes conditiones impletas esse, quae gratiam adquirendam requiruntur. Atqui testimonium conscientiae testari quidem potest dispositionum *existentiam,* minime vero *qualitatem,* utrum e. g. supernaturales sint: ergo.

Prob. 3. pars — Gratiam — a) esse *amissibilem* constat ex Scripturis [1]: « *Iustus non poterit vivere in iustitia sua in quacumque die peccaverit* » — « *Qui se existimat stare videat ne cadat* ». Item — b) gratiam posse *in aeternum* amitti constat ex Scriptura [2]: « *Tene quod habes ut nemo accipiat coronam tuam* » — « *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar* ». Gratiam vero — c) amitti non solum peccato *infidelitatis* sed *quoris* peccato gravi, ex eo constat quod Scriptura depraedicat gratiae amissibilitatem per *peccatum,* per *iniquitatem,* nulla distinctione facta inter peccatum et peccatum.

PARS III.

De merito bonorum operum.

668. **Quid et quotuplex meritum** (n. 162) — Communi consensu meritum definitur: « dignitas ad praemium opere comparata » [3]. Meritum *apud Deum,* de quo agimus, dividitur — a) in *naturale* et *supernaturale* prouti vel solis naturae viribus, vel operibus ex gratia factis comparatur. Hoc alterum, de quo nobis est sermo, ita definiri potest: « actus liber ex gratia factus in obsequium Dei, de se potens Deum movere ad supernaturale aliquod praemium conferendum ». Supernaturale — b) dispescitur in *condignum* et *congruum* prouti vel habet aequalitatem cum praemio ut, supposita saltem divina promissione, praemium debeatur *ex iustitia,* vel aequalitas cum praemio deest aut saltem deest divina promissio, ita ut praemium *ex quadam solum decentia* debitum sit — c) Meritum *congruum* distinguitur a nonnullis in *infallibile* et *fallibile,* quatenus vel adiunctam habet divinam promissionem, vel secus. Est etiam — d) meritum *personae* quod nascitur ex dignitate personae — meritum *operum* quod oritur ex operis excellentia — meritum operum *supponens meritum personae.*

669. **Conditiones ex parte actus** (n. 163-164) — Conditiones ad meritum petuntur ex parte *actus,* ex parte *merentis,* ex parte *Dei remunerantis.* Porro ex parte *actus* requiritur — a) ut actus sit *liber*

1. Ezech. XXXIII. 12. - 1. Cor. X. 12. — 2. Apoc. III. 11. - 1. Cor. IX. 27. — 3. 1. 2. q. 21. a. 3.

non solum a coactione, verum etiam a necessitate, uti patet ex 3. prop. *haeretica* Iansenii: « Ad merendum et demerendum in statu « naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed « sufficit libertas a coactione ». Requiritur — b) ut actus sit *moraliter bonus;* controvertitur tamen utrum rationi meriti adversetur circumstantia aliqua mala, quae actum substantialiter bonum comitetur. Requiritur — c) ut actus *ex gratia* procedat: actus enim meritorius est actus salutaris. Requiritur — d) si agatur de merito *condigno*, ut actus in sua *obiectiva dignitate* habeat aequalitatem proportionis cum praemio. Non requiritur vero — e) ut actus sit *supererogatorius;* quinimmo observat Suarez [1] opus praeceptum, ceteris paribus, magis meritorium esse quam opus non praeceptum, cum eiusmodi opus superaddat bonitati intrinsecae actus circumstantiam obedientiae formalis vel virtualis. Nec requiritur — f) ut actus sit *difficilis,* quamvis operis arduitas augere possit rationem meriti. Nec opus est — g) ut caritatis habitus actum meritorium *eliciat* vel *imperet*, sed mereri etiam possumus per *aliarum virtutum actus:* Conc. enim Trid. [2] *omnibus* iustorum bonis operibus indiscriminatim rationem meriti vindicat. Quod si denique quaeritur — h) utrum ad meritum requiratur *specialis relatio actus ad Deum*, respondemus cum Angelico non requiri relationem *actualem* nec *virtualem*, sed sufficere *habitualem* ac veluti *connaturalem,* qua opera, eo ipso quod operans habet gratiae et caritatis habitum quo in Deum dirigitur, censentur relata in Deum. Quod consonum videtur Conc. Trid. quod. l. c. nil aliud exigit ad opus meritorium nisi ut sit opus iusti et ex gratia profectum.

670. **Ex parte merentis** (n. 165) — Ex parte *merentis* tres conditiones requiruntur ad meritum *condignum* sc. — a) *status gratiae* uti colligitur ex divinis litteris, ubi legimus [3]: « *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis* »: habitualis autem unio cum Christo nonnisi per habitualem gratiam habetur. Et revera, si peccator posset mereri *de condigno*, simul dignus esset *poenae aeternae* quia peccator, et praemii a Deo *ex iustitia* conferendi propter meritum; quod est omnino incongruum. Merito ergo damnata est in Baio prop. 12.: « Pelagii sententia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum « non esse regni cœlestis meritorium » [4]. Requiritur — b) *status viae* uti aperte ex divinis litteris colligitur. Sic [5]: « *Ante obitum operare iustitiam* » — « *Veniet nox, quando nemo potest operari* ». Requiritur — c) ut qui meret, *sibi* non *alteri* mereat. Posse enim *pro*

1. l. 12. c. 5. — 2. sess. 6. c. 16. cn. 32. — 3. Io. XV. 4. — 4. cfr. propp. 13. 15. 17. 18. 62. 63. et Conc. Trid. sess. 6. c. 16. et cn. 32. — 5. Eccli. XIV. 17. - Io. IX. 4. - 2. Cor. V. 10.

aliis condigne mereri est praerogativa solius Christi, qui constitutus est mediator Dei et hominum: nuspiam autem legimus Deum promisisse, se acceptare in praesenti ordine nostra merita condigna in favorem aliorum [1].

671. **Ex parte Dei** (n. 166-167) — Quod autem attinet ad conditiones ex parte Dei remunerantis, duplex quaestio institui solet — *Prima* est an ad rationem meriti necessaria sit divina *acceptatio* et *promissio*. Qua in re sententia quae nobis probatur, asserit condignitatem ad praemium operibus nostris inesse *in actu primo* independenter ab omni lege et promissione divina, *in actu vero secundo* a divina promissione et acceptatione provenire. Meritum enim condignum illud est per quod homo *ius* ad praemium acquirit. Atqui homo non potest ius aliquod in Deum adquirere, nisi ex promissione divina sub conditione talium operum: ergo. Ad rem Augustinus [2]: « Debitor factus « est Deus non aliquid a nobis accipiendo, sed quod placuit promit- « tendo. Aliter enim dicimus homini: debes mihi quia dedi tibi; et « aliter dicimus Deo: debes mihi quia promisisti mihi. Illo ergo « modo possumus exigere Dominum nostrum ut dicamus: Redde « quod promisisti, quia fecimus quod iussisti. » — Quaestio *altera* est utrum Deus *ex iustitia* iustis gloriam tribuat. Porro — a) gloriam debitam esse iustis *ex iustitia* et non ex pura fidelitate, patet ex Apostolo [3]: « *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex* ». Hinc gloria appellatur etiam *merces* [4]. Et sane, promissio sub conditione operis *condigni* inducit obligationem iustitiae. Atqui Deus promisit gloriam sub conditione meritorum de condigno: ergo eius essentialis rectitudo non modo qua fidelitas est, sed etiam *qua iustitia* est, postulat ut promissum praemium meritis condignis rependat — Haec autem iustitia simul est *commutativa* et *distributiva;* commutativa quidem quatenus tantum tribuit Deus, quantum ius uniuscuiusque iusti postulat — distributiva autem quatenus pro diversitate meritorum inaequalem gloriam confert: hinc illud [5]: « *Reddet unicuique secundum opera eius* » — « *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* ». Quinimmo Deus *supra condignum* praemium confert iuxta illud Apostoli [6]: « *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis* ».

672. **Meriti supernaturalis existentia** (n. 168-172) — Docet

1. Ita communis cum s. Th. in 4. dist. 20. — 2. serm. 158. de verb. Apost. c. 2. — 3. 2. Tim. IV. 7. — 4. Rom. IV. 4. - cfr. Hebr. VI. 10. - Sap. V. 16. — 5. Matth. XVI. - Rom. II. 6. - 1. Cor. III. 8. — 6. Rom. VIII. 17. - cfr. prop. 14. Baii.

contra protestantes Conc. Trid. [1]: « Si quis dixerit hominis iustificati « bona opera ita esse dona Dei ut non sint etiam bona ipsius iusti- « ficati merita: aut ipsum iustificatum bonis operibus, quae ab eo per « Dei gratiam et I. C. merita, cuius vivum membrum est, fiunt, non « vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae « aeternae, si tamen in gratia Dei decesserit, consecutionem atque « etiam gloriae augmentum A. S. ». Quod fidei dogma multiplici ratione ostendit Scriptura. Sic — a) vitam aeternam exhibet tamquam *mercedem* et *remunerationem:* e. g. Matth. [2]: « *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis* ». Item — b) bona iustorum opera exhibentur tamquam causa, propter quam vita aeterna redditur: e. g. Matth. [3]: « *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare* ». Item — c) legimus Deum redditurum vitam aeternam secundum mensuram laboris: e. g. [4]: « *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera eius* ». Item — d) ita rependitur vita aeterna bonis operibus, sicut aeterna poena operibus malis, uti legimus [5]: « *Omnes vos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum* ». Hinc egregie martyr Ignatius [6]: « *Sinite me bestiarum escam fieri ut possim Deum mereri* » — Haec autem simul ostendunt, operibus iustorum inesse rationem meriti *de condigno*. Illis enim operibus competit ratio *condigni,* quibus tribuitur praemium tamquam *merces* et *corona iustitiae — ex iustitia* — a Deo *iudice* — servata laboris uniuscuiusque *proportione*. Atqui operibus iustorum tribuitur vita aeterna tamquam *merces* etc.... uti antea vidimus: ergo.

673. **Obiectum meriti supernaturalis** (n. 173-174) — Triplex est sc. gratia *actualis* — gratia *habitualis* — *vita aeterna*. Ac — a) gratia *actualis* quæ est obiectum meriti, non est *prima* gratia (n. 629), sed sunt gratiae *ulteriores* etiam *efficaces*, non tamen *de condigno* nec *de congruo infallibili*, cum desit divina promissio — b) Quoad *gratiam habitualem* potest peccator mereri gratiam iustificationis *de congruo infallibili* — gratiae sanctificantis augmentum *de condigno*, uti definivit Trident. [7] — perseverantiam vero *finalem* vel *reparationem post lapsum* nonnisi *de congruo fallibili* iuxta communiorem sententiam [8]. Denique — c) quoad *gloriam* de fide est ex Trid. (l. c.) iustum mereri *de condigno* vitam aeternam et eius augmentum, si

1. sess. 6. c. 16. cn. 32. — 2. Matth. V. 12. - cfr. Sap. V. 16. - 1. Cor. III. 8. — 3. Matth. XV. 21. 34. — 4. Matth. XVI. 27. - cfr. 1. Cor. III. 8. — 5. 2. Cor. V. 10. — 6. ad Rom. n. 4. — 7. sess. 6. cn. 32. supra relato. - cfr. s. Th. a. 8. — 8. cfr. s. Th. aa. 7. 9.

tamen *in gratia Dei decesserit* [1]. Communis quoque sententia — d) tenet iustos *aliis* mereri posse *de congruo* saltem *fallibili* quidquid sibi mereri possunt, et insuper *primam* gratiam actualem [2]; cuius ratio meriti tota fundatur in lege amicitiae inter Deum et iustos intercedentis; propterea opus est ut merens in statu gratiae versetur. At necessaria est ex parte merentis *aliqua ad id oblatio.*

674. **Reviviscentia meritorum** (n. 175) — Merita redire idest per peccatum non extingui, sed solummodo suspendi, adeo ut recuperatâ gratiâ sanctificante redeant quoad *totam* gratiam et praemium ipsis debitum opera a iusto facta ante peccatum, est communis doctrina. Revera — a) Apostolus ait [3]: « *Non enim iniustus est Deus ut obliviscatur operis vestri et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius* ». Atqui si merita per peccatum mortificata non reviviscerent recuperatâ gratiâ, Deus revera oblivisceretur plurium operum iustorum: ergo. Praeterea — b) Deus delendo culpam, pœnam quoque aeternam delet. Atqui privatio gratiae et gloriae prioribus meritis debitae est *pœna aeterna:* ergo. Requiritur tamen — c) specialis favor Dei, quia Deus remittere posset culpam non remissâ pœnâ amissionis praemii pro meritis praeteritis.

1. cfr. s. Th. a. 3. — 2. cfr. s. Th. a. 6. — 3. Gal. III. 4.

TRACTATUS VIII.

De virtutibus infusis

CAPUT I.

De virtutibus infusis in genere.

675. **Habitus** (n. 177) — Habitus definitur: « *qualitas permanens et difficulter mobilis qua homo bene vel male se habet, spectata primario ipsius vel natura vel operatione* ». Inde — a) divisio in habitus *entitativos* et *operativos*, quatenus subiectum bene aut male afficitur vel citra relationem ad operationem saltem immediate ut e. g. sanitas — vel in ordine *ad actum* ut ex. gr. scientia. Ratione *originis* dividuntur — b) in *naturales* seu ipsâ naturâ nobis insitos, *acquisitos* et divinitus *infusos*. Hi autem — c) alii dicuntur infusi *per se*, et illi sunt qui nonnisi Deum habent auctorem — alii dicuntur infusi *per accidens*, et illi sunt qui quamvis actibus possint acquiri, tamen de facto a Deo infunduntur. Habitus infusi *per se* non tam facilitatem quam agendi *potentiam* conferunt: quare habitus *per se* infusus definiri potest: « *qualitas per se infusa et permanens, adiuvans potentiam vitalem ad agendos actus supernaturales et se tenens ex parte potentiæ* ».

676. **Virtus** (n. 178) — Porro *virtus* est habitus operativus bonus « quo indigemus ad tria sc. ut sit *firmitas* in operatione — ut operatio « perfecta *in promptu* habeatur — ut *delectabiliter* perfecta operatio « compleatur » [1]. Virtus — a) alia est *physica*, alia *moralis*, quatenus adiuvat ad opus vel *physice* vel *moraliter* spectatum: quae altera sola dicitur simpliciter *virtus*, et ab Aristotele definitur: « *Virtus est quae bonum facit habentem et opus eius bonum reddit* ». Haec — b) ratione *potentiae* quam perficit dividitur in *intellectualem* et *moralem*, prouti vel perficit *intellectum* in ordine ad cognitionem veri, vel perficit *voluntatem* in ordine ad prosecutionem boni. Ratione *originis* — c) dividuntur virtutes in *acquisitas* et *infusas* uti supra de habitibus. Denique — d) ratione *obiecti* distinguuntur in *theologicas* et *morales*, quatenus obiectum tum *formale*, tum *materiale* saltem *princeps* virtutis

1. s. Th. q. *de virt.* a. 1.

vel est Deus vel quid a Deo distinctum. Porro quae spectant ad virtutes infusas *generatim*, reducimus — α) ad earum existentiam — β) ad earum infusionem, augmentum, remissionem et amissionem.

677. **Conclusio I.** « *Ecclesiasticis documentis revelatione innixis constat* — 1° *dari generatim habitus operativos infusos, speciatim vero* — 2° *virtutes theologicas fidem, spem et caritatem, necnon* — 3° *virtutes morales* » (n. 180-184). Conclusio saltem est *theologice certa.*

Prob. 1. pars — a) ex doctrina Catechismi Tridentini qui de baptismo disserens n. 50 docet: « Huic autem gratiae additur nobi- « lissimus omnium virtutum comitatus quae in animam cum gratia « infunduntur divinitus ». Quae doctrina fundatur ac simul illustrat illa Scripturae testimonia, in quibus Deus promittit se ablaturum *cor lapideum* et daturum *cor carneum, cor novum* [1]: « *Et auferam cor lapideum de carne eorum et dabo eis cor carneum ut in praeceptis meis ambulent* ». Ex quibus ita argumentari licet: cor lapideum est cor pravis habitibus infectum: ergo cor carneum manifesto intelligitur cor bonis habitibus instructum, principium habituale et permanens operativum bonum. Atqui cor huiusmodi dicitur a Deo dari: ergo recte intelligitur esse divinitus infusum.

Prob. 2. pars — Profecto — a) *existunt fides, spes, caritas* [2]: « *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec* ». Haec tria — b) *in iustificatione infunduntur,* uti constat ex Trid. [3]: « In ipsa iustifica- « tione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit « homo per I. Christum, cui inseritur, *fidem, spem* et *caritatem* ». Revera ea ratione videtur gratia operari in filiis adoptionis divinae, qua natura in filiis naturalibus. Atqui natura inserit filiis specialem instinctum agnoscendi parentes, fiduciam in illos et amorem: ergo et gratia *triplicem affectum* in Deum producet cognitionis seu *fidei,* fiduciae seu *spei,* amoris seu *charitatis.* Eadem tria — c) sunt *aliquid permanens* ab actibus distinctum, uti colligitur ex allato Scripturae testimonio, necnon ex huiusmodi ratione: ex Conc. Trid. (l. c.) fides, spes et caritas infunduntur in iustificatione, sicut gratia ipsa dicitur infundi. Atqui infusio non de actibus transeuntibus praedicatur, sed de donis permanentibus: ergo.

Prob. 3. pars — a) ex Ecclesiae sensu [4]. Nam Cathech. Rom. cuius verba supra retulimus ait « in baptismo simul cum gratia *nobilissimum*

1. Ezech. XI. 9. — 2. 1. Cor. XIII. 8. - cfr. Hebr. XI. 6. — 3. sess. 6. c. 7. — 4. Praestat heic advertere — a) virtutes *morales* heic eas esse quae contra *theologicas* distinguuntur: praeterea — b) virtutes morales *infusas* distingui ab *acquisitis* etiam ratione *obiecti formalis:* e. g. temperantia est virtus quae quaerit medium in usu cibi et potus et generatim bonorum temporalium. Sed *infusa* exquirit medium *secundum fidem* in ordine ad vitam aeternam, *acquisita* vero *secundum rationem* in ordine ad bonum vitae praesentis.

comitatum virtutum divinitus infundi ». Atqui tres tantum virtutes theologicae haud sufficere videntur ad conficiendum nobilissimum comitatum virtutum. Ergo praeter virtutes theologicas infunduntur etiam morales — b) Optimam vero rationem suggerit Angelicus [1]: « Non est conveniens quod Deus minus provideat his quos diligit ad « supernaturale bonum, quam creaturis quas diligit ad bonum natu- « rale. Creaturis autem naturalibus sic providet ut non solum moveat « eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas et virtutes « quasdam, quae sunt principia actuum, ut secundum seipsas incli- « nentur ad huiusmodi motus ..... Multo igitur magis illis, quos movet « ad consequendum bonum supernaturale aeternum, infundit aliquas « formas seu qualitates supernaturales, secundum quas suaviter et « prompte ab ipso moveantur ad bonum aeternum consequendum »: quae formae seu qualitates sunt virtutes.

678. *Obiectio* (n. 185) — *Si virtutes morales infunderentur, iustificati non experirentur in se pravos habitus antea contractos.*

Resp. — *dist.* si virtutes infusae darent facilitatem agendi *conc.* si dant ipsam agendi potentiam *neg.* Illud — a) imprimis adverti debet, habitus supernaturales infusos non agendi *facilitatem*, sed *potentiam* conferre [2]. Atqui cum potentia agendi stare simul potest difficultas operandi proveniens vel ex defectu exercitii — vel ex opposita dispositione per actus contracta — vel ab adiunctis externis, sicut patet in ipsis naturalibus actibus: ergo. Tamen — b) non est infrequens videre gratiam iustificationis cum comitantibus virtutibus multum refraenare et minuere praecedentes malos habitus; quod tunc accidit quum fervida praecessit praeparatio ad iustificationem.

679. **Conclusio II.** « *Virtutes infusae ita cum gratia sanctificante connectuntur ut* — 1° *primam gratiae infusionem non antecedant* — 2° *gratia abeunte, omnes habeant per se necesse sit* — 3° *manentibus tamen ex speciali Dei lege fide et spe, quae* — 4° *nonnisi per peccata opposita amittuntur* » (n. 186).

Prob. 1. pars — Praeter ecclesiastica documenta in conclusione praecedenti relata, ubi virtutes dicuntur simul cum gratia infundi in iustificatione, hanc ex Angelico afferimus rationem: « Gratia « secundum se considerata perficit essentiam animae in quantum « participat aliquam similitudinem divini esse: et sicut ab essentia « animae fluunt eius potentiae, ita a gratia fluunt perfectiones ad « potentias animæ, quæ dicuntur virtutes et dona, quibus perficiuntur « potentiae in ordine ad actus suos » [3]. Ex quibus libet sequens argumentum conficere: gratia est nova natura in ordine supernaturali,

1. 1. 2. q. 110. a. 2. — 2. cfr. s. Th. in 4. dist. 14. q. 2. a. 2. ad 4. — 3. 3. p. q. 62. a. 2. - cfr. q. 7. a. 2. - q. 89. a. 1. - 1. 2. q. 110. aa. 3. 4.

novum principium operandi, nova radix activitatis, cuius connaturales proprietates et potentiae sunt virtutes: quapropter ita se habet gratia ad virtutes infusas, sicut natura ad proprietates et facultates ab ea promanantes. Atqui proprietates et potentiae tunc incipiunt adesse quum natura ipsa existere incipit. Ergo tunc incipiunt adesse in anima eiusque potentiis virtutes supernaturales, quum gratia infunditur.

Prob. 2. pars Ex mox relato argumento, virtutes existunt solâ exigentiâ gratiae sc. quatenus gratia est nova natura, *remotum* principium operationum supernaturalium, quod exigit ut compleatur per *proxima* operationum principia in eodem ordine, quae sunt virtutes. Atqui destructa natura, destruuntur *per se* eius proprietates et facultates: ergo abeunte gratia, virtutes omnes *ex rei natura* abibunt.

Prob. 3. pars — a) *quoad fidem* ait Apostolus [1]: « *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum* » — et s. Iacobus [2]: « *Quid prodest, fratres mei, si quis fidem dicat se habere, opera autem non habeat! Numquid poterit fides salvare illum?* ». Porro: fides manet sine caritate, sine operibus, ideoque sine gratia sanctificante. Atqui fides, de qua uterque Apostolus, est fides *habitualis,* quia haec comparatur cum caritate, quae nunquam excidit, idest cum caritate habituali — quia est fides *quae habetur:* ergo. Item — b) *quoad spem* constat ex unanimi Theologorum consensu, qui in rebus fidei et morum, utpote exhibens doctrinam Ecclesiae docentis, est ineluctabile argumentum veritatis [3].

Prob. 4. pars — a) *quoad fidem* cuius amissibilitatem pluribus in locis praedicat Scriptura: sic Apostolus [4]: « *In novissimis temporibus discedent quidam a fide* » — et Christus apud Luc. [5] ait, quosdam esse « *qui ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt* ». Fidem autem amitti per peccatum *infidelitatis* sive per *haeresim,* sive per *apostasiam,* patet ex ea generali ratione quod quaelibet virtus per actum sibi graviter contrarium amittitur. *Spes* vero — b) imprimis amittitur per fidei amissionem. Obiectum enim spei est bonum futurum arduum et possibile sc. beatitudo aeterna et divinum auxilium. Atqui hoc utrumque proponitur per fidem, secundum illud Hebr. [6]: « *accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quia inquirentibus se remunerator sit* »: ergo amissa fide, necesse est ut spes quoque deperdatur. Hinc Apostolus ait fidem esse fundamentum spei, quo labente, spes ipsa labatur oportet: « *Est autem fides sperandarum substantia rerum* » [7] — Amittitur quoque per peccatum *desperationis* quod ipsi directe contrariatur, sicut infidelitas contrariatur fidei; et iuxta nonnullos etiam per *praesumptionem,* qua quis contendit consequi finem non adhibitis necessariis mediis.

1. 1. Cor. XIII. 2. — 2. Iac. II. 14. — 3. cfr. dicta n. 243. — 4. 1. Tim. IV. 1. — 5. Luc. VIII. 13. — 6. Hebr. XI. 6. — 7. ib. v. 1.

680. **Conclusio III.** « *Virtutes supernaturales simul cum gratia sanctificante* — 1° *augmentum quidem capere possunt et capiunt: at* — 2° *remitti seu minui nequaquam possunt* » (n. 195-199) — Prima pars est *de fide catholica* ex Trid. [1]: « Si quis dixerit iustitiam « acceptam non conservari atque etiam non augeri coram Deo per « bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse iusti- « ficationis adeptae, non autem ipsius augendae causam A. S. ».

Prob. 1. pars — a) ex Scriptura ubi legimus e. g. [2]: « *Domine, adauge nobis fidem* » — « *Ut abundetis in spe et virtute Sp. Sancti* » — « *Qui iustus est, iustificetur adhuc et sanctus sanctificetur adhuc* ». Ex quibus sic: fides capax est augmenti: ergo et reliquae virtutes, cum eadem pro omnibus militet ratio — Item iustitia et sanctitas augeri possunt. Atqui iustitia *adaequate* omnes virtutes complectitur: ergo gratia et virtutes augeri possunt. Item — b) quaevis natura perfici potest una cum suis potentiis. Atqui gratia sanctificans nova quaedam natura est, cuius proxima operationum principia sunt virtutes infusae: ergo hæc omnia perfici possunt idest augeri. Quare s. Basilius [3]: « Virtutem augent quotidie qui vitam pietatis exercitio deditam amplexi sunt ». Quod augmentum — c) est *intrinsecum* ipsis habitibus sive illud explices cum s. Thoma [4] *per eorum maiorem radicationem* in anima eiusque potentiis, adeo ut firmiores evadant et difficilius amissibiles: sive illud dicas fieri *per additionem gradus ad gradum,* adeo ut ille habitus sit intensior qui pluribus gradibus coalescit, sit remissior qui paucioribus. *Media* vero — d) quibus augentur gratia et virtutes, sunt omnia opera bona supernaturalia iustorum: hisce enim ex Conc. Trid. (n. 673) iustus meretur de condigno augmentum iustitiae. Tanta est autem — e) sanctificantis gratiae cum virtutibus connexio, ut nunquam illa augeatur, quin virtutes omnes simul crescant; nec ulla unquam virtus crescat, quin gratia ipsa intensior fiat. Sicut enim tota ratio sufficiens infusionis virtutum est gratia, sic augmentum gratiae postulat virtutum augmentum in eodem gradu.

Prob. 2. pars — Causa remissionis gratiae et virtutum alia excogitari nequit quam peccatum [5]. Atqui peccatum nequit esse causa diminutionis gratiae et virtutum: hoc enim esset vel *mortale* vel *veniale.* Atqui non *mortale*, quod gratiam sanctificantem (ideoque et virtutes) non minuit sed *formaliter* excludit — Non *veniale* quia exinde sequeretur, multiplicatis peccatis venialibus, tandem *amitti* gratiam et virtutes, quod concedi nequit. Relinquitur ergo ut gratia et virtutes dicantur per peccata venialia imminui tantum *indirecte* sc.

---

1. sess. 6. cn. 24. coll. cn. 32. — 2. Luc. XVII. 5. - Rom. XV. 13. - Ps. 83. - Prov. IV. — 3. in ps. 83. — 4. 2. 2. q. 24. a. 5. et ad 3. — 5. cfr. s. Th. ib. a. 10.

quatenus ex parte Dei minuitur eius favor et amor; ex parte vero hominis decrescit fervor virtutum: ex quo fit ut iustus paulatim disponatur ad facilius labendum in grave peccatum iuxta illud Sp. Sancti monitum: « *Qui spernit modicum, paulatim decidet* ».

681. **De donis Sp. Sancti** — Dona Sp. Sancti ex Angelico [1] sunt « quaedam hominis perfectiones quibus disponitur ad hoc quod bene sequatur instinctum divinum ». Dona haec *septem* numerantur ab Isaia [2] qui dicit ea requievisse super Christum: « *Et requiescet super eum.... Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum Dominus Spiritu timoris Domini* ». Tribuuntur autem Sp. Sancto *per appropriationem*, cum Sp. Sanctus ob suam characteristicam proprietatem *Donum* dicatur. Haec dona conveniunt cum virtutibus infusis in eo quod sint *habitus* qui simul cum gratia infunduntur omnibus iustis, uti demonstrat Angelicus (ib.) — in eo autem differunt quod virtutes dant potentiam supernaturaliter agendi: dona vero hominem promptiorem reddunt magisque mobilem ad opera quaedam exequenda praeter communes regulas iuxta divinas inspirationes.

CAPUT II.

De virtutibus theologicis.

ARTICULUS I.

De fide theologica.

682. **Quid fides** (n. 202-205) — *Fidei* nomine generatim intelligitur mentis assensus testimonio dicentis innixus. Dividitur — a) in *divinam* et *humanam* quatenus in Dei vel in hominis auctoritate fundatur. Fides *divina* — b) dispescitur in *obiectivam* et *subiectivam:* illa est obiectum ipsum quod credimus, quo in sensu ait Apostolus [3]: « *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* »: posterior est quae residet in nobis, sive *actualis* h. e. actus ipse credendi iuxta illud Matth. [4]: « *Secundum fidem vestram fiat vobis* » — sive *habitualis* i. e. habitus ipse credendi iuxta illud [5]: « *Nunc autem manent fides, spes et caritas, tria haec* ». Fides *subiectiva* — c) diducitur in fidem *simpliciter divinam* et *divino-catholicam:* illâ credimus veritates divinitus revelatas, at nondum ab Ecclesia definitas: istâ « ea omnia « credenda sunt quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur,

1. 3. p. q. 68. a. 3. — 2. Is. XI. 2. — 3. Eph. IV. 5. — 4. Matth. IX. 29. — 5. 1. Cor. XIII. ult.

« et *ab Ecclesia* sive solemni iudicio, sive ordinario et universali « magisterio *tamquam divinitus revelata credenda proponuntur* » [1]. Adhuc — d) fides divina *subiectiva* alia dicitur *formata* seu *viva*, alia *informis* seu *mortua*, quatenus vel coniungitur cum gratia quae est vita animae, vel a gratia separatur [2].

Ex hac fidei notione patet errare — a) Hermesium, iuxta quem omnis firmus mentis assensus fides dicenda est; necnon — b) Gunthër, iuxta quem cognitio Dei ex creaturis fides appellari debet. Ad rem Conc. Vat.: « Si quis dixerit fidem divinam a naturali de Deo « et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem « divinam non requiri ut veritas revelata propter auctoritatem Dei « revelantis credatur A. S. ».

683. **Conclusio I.** « *Obiectum materiale fidei divinae sunt omnes veritates divinitus revelatae* » (n. 206-211) — Haec conclusio ex Conc. Vatic. mox relato est *de fide catholica* eaque statuitur contra protestantes qui, invecta celebri distinctione inter articulos *fundamentales* et *non fundamentales*, obiectum materiale fidei *ad solos fundamentales articulos* coarctant [3].

Prob. — a) ex Scriptura, quae hac in re omnino clara est: legimus enim [4]: « *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur* » — « *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* ». Ex quibus sic arguimus: tam late patet obiectum fidei, quam late patet obiectum praedicationis apostolicae. Atqui ex praecepto Christi obiectum apostolicae praedicationis est universum evangelium, omnia a Christo tradita: ergo. Constat — b) ex ratione. Omnia enim divinitus revelata eadem fide divina credenda sunt, si pro omnibus viget idem motivum. Atqui revera viget pro omnibus idem motivum, quod, uti probabimus, est auctoritas Dei revelantis: ergo qui huic motivo adhaeret, omnibus veritatibus a Deo manifestatis adhaereat oportet; qui autem inter veritates et veritates distinguit, suae potius opinioni assentitur. Ad rem Augustinus [5]. « Qui in evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quam evangelio creditis »: et Iacobus [6]: « *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus; qui enim dixit: non moechaberis: dixit et: non occides* ».

684. **Quaeres I.** *quodnam sit obiectum attributionis fidei* (n. 212).

---

1. Conc. vatic. Const. *Dei Filius* c. 3. — 2. Vatic. l. c. - s. Th. 2. 2. q. 6. a. 2. — 3. cfr. de hac distinctione n. 124. — 4. Marc. XVI. 15. - Matth. XXVIII. 19. — 5. l. 17. c. Faust. c. 2. — 6. Iac. II. 10.

Obiectum attributionis — a) *adaequatum* sc. illud quod est praecipuum inter fidei obiecta et ad quod cetera *ultimo* ordinantur, est Deus, uti per se manifestum est [1]: obiectum vero — b) *inadæquatum* attributionis fidei, illud sc. ad quod *plura* obiecta referuntur, ipsum autem ad obiectum *adaequatum* ordinatur, *duplex* est sc. *Christus* et *salus nostra*. De Christo quidem legimus [2]: « *In capite libri scriptum est de me* »: in quae Hieronymus [3]: « In capite libri scriptum « est de me, non Hieremiae, non Isaiae, sed in omni Scriptura « sancta, quae unus liber appellatur ». Quare s. Bonaventura [4]: « Testamentum vetus totum de Deo incarnando, testamentum novum « de Deo incarnato » — Quoad vero nostram salutem aeternam fides appellatur simpliciter [5] « *scientia et verbum salutis* » h. e. quod in salutem nostram datur. Idcirco Clemens alex. [6] cum Apostolo [7] ait: « Scripturas esse paedagogum docentem homines salutaria ».

685. **Quaeres II.** *an possibilis de eodem obiecto scientia et fides* (n. 213) — Thomistarum sententia *negans* [8] videtur post Concilium Vaticanum omnem probabilitatem amisisse. Revera — a) ex Conc. Vatic. [9] plures veritates naturaliter cognoscibiles in revelationis deposito continentur, e. g. Dei existentia et unitas, ipsum esse principium et finem rerum omnium. Atqui ex eodem Concilio (c. 3.) « *fide divina et catholica* ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei « scripto vel tradito continentur »: ergo. Idcirco ex Apostolo [10] necnon ex Trid. [11] fides in Dei existentiam necessaria est illi, qui ad iustificationem praeparatur. Et revera — b) si una eademque veritas duplicem habet cognoscibilitatem pro duplici cognitionis medio seu motivo, quid prohibet quominus idem homo eam attingat distinctis actibus, diversis hisce motivis respondentibus?

686. **Quaeres III.** *quaenam censeri debeant veritates revelatae* (n. 214) — Veritas aliqua esse potest revelata *explicite* vel *implicite*, quatenus vel expressis verbis revelata est, vel in alia explicite revelata continetur sive *formaliter*, sive *virtualiter:* continetur *formaliter* si non modo identificatur cum veritate explicite revelata, verum etiam eundem habet formalem conceptum: sic ex. gr. cum revelatum sit Christum esse hominem, implicite et *formaliter* revelatum est eum ex anima et corpore constare — continetur *virtualiter* si non eundem habet cum veritate explicite revelata conceptum, ut ex. gr. proprietates physicae cum essentia connexae.

Porro — a) concedunt omnes veritates *implicite* et *formaliter*

1. cfr. s. Th. 1. p. q. 1. a. 7. — 2. Ps. 39. — 3. in c. 29. Is. — 4. in princ. sac. script. — 5. Luc. I. 77. - Act. XIII. 26. — 6. 1. Strom. — 7. Gal. III. 24. — 8. cfr. s. Th. 2. 2. q. 1. a. 5. — 9. Const. *Dei Filius* c. 2. — 10. Hebr. XI. 6. — 11. sess. 6. c. 6.

revelatas esse *vere* et *proprie* revelatas adeoque obiectum materiale fidei divinae: tales enim veritates, cum identificentur cum explicite revelatis quoad rem et quoad conceptum, idcirco recte censentur manifestari ab illo qui talem locutionem usurpat; nisi enim vellet eas revelare, sequeretur eum simul idem dicere et non dicere. Ex quibus statim colliges, in definito revelari definitionem — in toto revelari partes essentiales — in ambabus praemissis revelari conclusionem — in correlato revelari alterum correlatum — in uno contradictorio revelari falsitatem alterius contradictorii — in propositione universali revelari propositiones particulares, ex quibus illa coalescit. Quid autem — b) de veritatibus *implicite* sed *virtualiter* solum revelatis? Censemus has non esse revelatas *quoad nos*. Quae responsio ut clare intelligatur, quaestionem aliis verbis proponimus sc. utrum illatio ex duabus praemissis, quarum una est revelata, altera naturaliter nota, censeri debeat revelata. Sic breviter respondet Hurter [1]: « Conclusio eiusmodi non est de fide, si syllogismus est *illativus* « (tunc continentia est *virtualis* et motivum assentiendi conclusioni « non est tantum auctoritas divina, sed etiam *bonitas illationis*): po- « terit esse de fide, si syllogismus est tantum *explicativus*, si sc. una « ex praemissis adhibetur ad explicandum quid in altera revelata im- « plicite ex loquentis intentione contineatur (quo in casu continentia « est *formalis* et motivum assensus est unice auctoritas divina). In « priori tamen casu conclusio dicitur theologica, cuius certitudo mi- « nor quidem est eâ qua praedita est conclusio de fide, maior tamen « certitudine conclusionis non theologicae. Qui eam negaret, posset « *praesumi haereticus*, quia non praesumitur negare illationem vel « principium evidens naturale, sed praemissam revelatam ».

687. **Conclusio II.** « *Obiectum formale fidei inadaequate duplex est coalescens in unum obiectum adaequatum, sc.* — 1° *auctoritas Dei revelantis, sita in summa Dei scientia et veracitate* — 2° *et divina revelatio* » (n. 215-217) — Conclusio ex relato can. vat. n. 682 est *de fide catholica.*

Prob. 1. pars — a) ex Scriptura. Haec docet nos per fidem accipere verbum Dei tamquam verbum Dei, non verbum hominis: « *Accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei* » [2]. Atqui accipere verbum Dei tamquam verbum Dei significat illud accipere ut verbum infallibile, Deus autem nec falli nec fallere potest nisi per suam scientiam et veracitatem: ergo. Hinc ex Apostolo [3]: « *fides est argumentum non apparentium* » idest persuasio veritatum quae non introspiciuntur, sed creduntur propter testimonium loquentis, h. e. propter eius scientiam et veracitatem. Revera — b) illud est obiectum formale fidei, quo movemur ad firmissimum assensum Deo.

1. Tom. 1. n. 666. — 2. 1. Tess. II. 13. — 3. Hebr. XI. 2.

praestandum. Atqui nos adhaeremus Deo firmissime eoquod sciamus Deum nec falli nec fallere posse: ergo utriusque perfectionis complexus constituit motivum fidei nostrae.

Prob. 2. pars — Illud est obiectum formale fidei quod intellectum movet ad actum fidei eliciendum. Atqui tale quoque est divina revelatio: ergo — *Prob. min.* Actus fidei non est conditionatus, sed absolutus. Atqui quousque soli divinae auctoritati insistimus, non habemus nisi assensum *conditionatum* qui ita se habet: si Deus aliquid revelat, illud est procul dubio verum: ergo tunc solum consensus erit absolutus ideoque verus et formalis actus fidei, quum divina auctoritas cum revelatione coniungitur: propterea, cum mens ab utroque motivo simul coniuncto moveatur ad assensum, utriusque motivi complexus constituet formale fidei obiectum.

688. **Scholion I.** *Quomodo divinae auctoritati assentiamur* (n. 218). Nil prohibet quominus auctoritas Dei revelantis esse possit obiectum *materiale* actus alicuius *specialis* fidei, quo ipsa uti quaevis alia revelata veritas credatur. At hic quærimus quomodo eidem auctoritati assentiamur, prouti haec omnem actum fidei ingreditur ut formale obiectum. Qua in re triplex est sententia. Censet Suarez [1] auctoritatem Dei, prouti haec movet ad credenda revelata, debere cognosci et credi propter ipsam revelationem; Deus enim revelando aliquid, eoipso revelat se esse veracem in eo quod affirmat. Ipsum autem formale obiectum non in aliud resolvitur, sed per se ipsum creditur. Alii vero cum Card. De-Lugo [2] tenent, *primam* saltem cognitionem Dei existentis et in loquendo summe *veracis,* esse praeambulam actui fidei, nec formaliter fundari in ipsa Dei revelatione, sed naturaliter cognosci. Tertia, quam probamus, sententia tenet *motivum* fidei esse auctoritatem divinam revelantem *non visam* h. e. praecognitam quidem antecedenter ad actum fidei, sed *veluti oblitam* dum elicitur actus fidei, qui, supposito certo iudicio credibilitatis, emittitur propter auctoritatem Dei in eius obsequium [3].

689. **Scholion II.** *An motiva credibilitatis vel auctoritas Ecclesiae docentis concurrant tamquam motivum ad actum fidei* (n. 219) — Circa veritates divinitus revelatas tria sunt probe distinguenda sc. *factum* revelationis — *veritates ipsae* revelatae — *authentica* earum *propositio* per Ecclesiae magisterium. Per motiva credibilitatis constat factum revelationis — hoc *authentice* proponitur fidelibus per Ecclesiam — qua duplici cognitione posita homo suae obligationis probe conscius et auxilio gratiae adiutus elicit actum fidei in veritates non ob aliud motivum quam propter auctoritatem Dei revelantis. Quapropter motivum fidei *ut talis* est sola auctoritas Dei revelantis.

1. De fide d. 3. s. 6. — 2. d. 3. s. 3. n. 50. — 3. cfr. Mazzella *De Virt. inf.* d. 3. a. 9. § 5. 6. (edit. 3.).

690. **Conclusio III.** « *Divinae fidei proprietates sunt* — 1° *omnimoda certitudo* — 2° *infallibilis veritas* — 3° *physica libertas saltem exercitii* » (n. 222-230).

Praenotamina — a) *Certitudo* est « *firmitas assensus absque formidine erroris respondens obiectivae dignitati rationum* ». Fidei ergo assensus dicitur *certus* quatenus *positive* dicit firmitatem adhaesionis, *negative* vero excludit omnem formidinem de opposito. Haec fidei certitudo dicitur excedere quamvis naturalem certitudinem non quoad partem *negativam* in qua vel *aequalis* est cum certitudine naturali, si agatur de formidine *deliberata,* vel etiam *minor* illâ, si etiam de *indeliberata* formidine sit sermo: sed quoad partem *positivam* propter excessum firmitatis in motivo. Etsi autem — b) veri nominis certitudo necessario includat connexionem assensus cum veritate obiectiva, tamen specialis quaestio instituitur, utrum actui fidei subesse possit falsum, seu aliis verbis utrum in hypothesi quod falsa revelatio proponatur ita ut credibilis evadat, assensus qui inde eliceretur, sit assensus fidei formaliter divinae. Communis sententia, quam in secunda conclusionis parte tuemur, innixa doctrina Conc. Trid. [1] *negative* respondet. Demum — c) ad libertatem fidei quod spectat advertimus, actum fidei, cum ad intellectum pertineat, liberum dici non *elicitive* et *intrinsece,* sed *imperative* et *extrinsece*, quatenus intellectus assensum praebet sub imperio voluntatis, non modo *remote* quatenus voluntas *libere* applicat intellectum ad consideranda motiva credibilitatis, quibus tamen perpensis sponte veluti sua sequatur mentis assensus (quo in sensu etiam scientia est libera) — verum etiam *proxime* quatenus, post perpensa credibilitatis motiva, voluntas est quae movet intellectum, ex se indifferentem, ad assentiendum propter fidei honestatem seu in obsequium Dei. Hanc fidei libertatem definivit Conc. Vatic. [2]: « Si quis dixerit assensum fidei christianae « non esse liberum, sed argumentis humanæ rationis necessario pro- « duci A. S. ».

Prob. 1. pars — Fidei certitudinem generatim — a) praedicat Scriptura: sic e. g. legimus [3]: « *Si credis ex toto corde, licet baptizari* »: credere autem *ex toto corde* est credere assensu minime haesitante, sed plenissimo; idcirco ait idem Apostolus [4]: « *Scio cui credidi et certus sum* ». Et reapse — b) formale elementum certitudinis est infallibilis connexio assensus cum veritate. Atqui assensus fidei est infallibiliter connexus cum veritate: ergo — *Prob. minor.* Firmitas et infallibilitas assensus est in ratione ponderis et gravitatis motivi, cui innititur. Atqui motivum fidei est motivorum omnium gravis-

1. sess. 6. c. 9. — 2. Const. *Dei Filius* c. 3. cn. 5. — 3. Act. VIII. 37. — 4. 2. Tim. I. 12.

simum, nempe auctoritas Dei falli nescia: ergo. Hinc illud Theologorum: *dubius in fide haereticus est.*

Prob. 2. pars — a) Actus desumit suam specificam perfectionem ab obiecto formali: atqui obiectum formale fidei divinae est *divina* revelatio: revelatio autem solum existimata non est revelatio. Ergo cum revelatione solummodo existimata dari nequit actus fidei divinæ [1]. At — b) *dices* forte: si adoramus hostiam, quam prudenter existimamus consecratam, ponimus actum religionis, etsi hostia non sit consecrata: ergo a pari assensus in revelationem existimatam erit assensus fidei — *Resp.* negando paritatem: cum enim obiectum virtutis intellectualis (uti est fides) sit verum, eius perfectio sita est in conformitate cum proprio obiecto: cum e contra virtus moralis (uti est religio) versetur circa bonum per rationem propositum, eius perfectio sita est tota in conformitate cum dictamine rationis, quae cum possit invincibiliter aberrare, minime impedit bonum voluntatis, cui praecipit. Qui ergo assensum praebet revelationi invincibiliter existimatae, habet quidem, uti ait De-Lugo [2], bonam voluntatem qua vult credere, et per hanc meretur; at actum fidei divinæ minime habet.

Prob. 3. pars — a) Illa pendent ex libero voluntatis arbitrio quae praecipiuntur, laudantur, praemio donantur; reprehenduntur vero, damnantur, puniuntur, si ea omittantur. Atqui fides praecipitur et infidelitas æterna damnatione punitur: « *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui non crediderit, condemnabitur* » [3] — exhibetur ut actus meritorius: « *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam* » [4] — laudatur et praemio donatur: « *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel* » — « *Confide, filia, fides tua te salvam fecit* » [5] — appellatur obedientia: « *Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei* » [6]: ergo fides est libera. Hinc Augustinus [7]: « Intrare « quisquis in Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, « accipere potest sacramentum nolens, *credere non potest nisi volens* ». Praeterea — b) intellectus necessario determinatur ad assensum solâ veritatis evidentiâ; atqui in assensu fidei divinae nulla est evidentia veritatis: ergo — *Prob. min.* Si adesset haec evidentia, haec repetenda foret vel ab obiecto materiali, vel ab obiecto formali. Atqui non *primum*, tum quia plures veritates fidei sunt proprie dicta mysteria — tum quia veritates ipsae naturaliter cognoscibiles non creduntur propter intrinsecam earum rationem, sed ob auctoritatem Dei revelantis — Non *alterum*, quia etiam in hypothesi, quod obiectum formale fidei seu *auctoritas divina revelans* reddatur evidens, actus

1. cfr. s. Th. 22. q. 1. a. 3. — 2. d. 4. n. 91. — 3. Marc. XVI. 16. — 4. Rom. IV. 3. — 5. Matth. VIII. 10. IX. 22. — 6. Act. VI. 7. — 7. tract. 26. in Io. n. 2.

fidei non est ille assensus mentis, qui determinatur ab hac evidentia, sed alius qui determinatur ex imperio voluntatis propter honestatem fidei et in obsequium primae veritatis, uti supra n. 688 diximus. Scilicet, posita demonstratione existentiæ revelationis, dicimus duplicem oriri posse assensum in veritates revelatas, *unum* propter evidentiam obiecti formalis, tum divinae veracitatis, tum facti revelationis, qui tamen, cum sit fructus demonstrationis ideoque necessarius, non est actus fidei divinae ad salutem conducentis — *alterum* propter auctoritatem et revelationem divinam non ut evidenter notam, sed ut *non visam,* qui ab imperio voluntatis gratia adiutae determinatur in obsequium Dei: hic est proprie actus fidei salutaris [1].

691. **Corollarium** — *Fides est obscura* (n. 232) — Ex hisce sequitur actum fidei esse *obscurum*. Revera hic assensus est obscurus — α) quoad obiectum *materiale,* uti supra diximus: est obscurus — β) quoad obiectum *formale,* quod vel est *inadaequate inevidens* iuxta sententiam De-Lugo (n. 668) — vel quamvis *adaequate evidens*, tamen ingreditur actum fidei non ut evidens, sed *uti non visum* modo antea dicto. Hinc fides perbelle definitur ab Apostolo [2]: « *argumentum non apparentium* »: et s. Augustinus [3]: « Quid est fides nisi credere quod non vides? ».

692. **Conclusio IV.** « *Quarta fidei proprietas est eius necessitas medii ad salutem* » (n. 233-235) — Conclusio est *de fide catholica* ex Conc. Trid. [4]: « fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis ». Revera — a) *fides necessaria est necessitate medii ad salutem et quidem in re:* ait enim Apostolus [5]: « *Sine fide impossibile est placere Deo* ». Ex quibus sic: ita est necessaria fides ad salutem, sicut necessarium est placere Deo. Atqui placere Deo necessarium est necessitate medii absoluta ad salutem: ergo et fides. Idem Apostolus ait [6]: « *Iustus autem ex fide vivit* »: quare: fides est pars et elementum quoddam vitae supernaturalis: atqui in praesenti providentiae ordine vita supernaturalis necessaria est absoluta medii necessitate ad salutem: ergo et fides. Praeterea — b) *fides necessaria ad salutem est fides supernaturalis.* Nam illa fides necessaria est ad salutem quae est elementum vitae supernaturalis, qua iustus vivit. Atqui haec est fides supernaturalis, sicut supernaturalis est vita, cuius est elementum: ergo. Hinc merito damnata est prop. 23. ab Innoc. XI.: « Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad iustificationem sufficit »: et ex Conc. Vat. [7] fides iustificans ea est « qua a Deo revelata vera esse credimus non propter intrinsecam

1. cfr. n. 688. — 2. Hebr. XI. 1. — 3. in Io. tract. 40. n. 9. — 4. sess. 6. c. 8. — 5. Hebr. XI. 6. — 6. Rom. I. 17. — 7. Const. *Dei Filius* c. 3.

« rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter « auctoritatem ipsius Dei revelantis ».

693. **Scholion.** *De explicite credendis ad salutem* (n. 236) — Certum est apud omnes — a) *duplicem* veritatem Dei *existentis* et *remuneratoris* esse necessarium obiectum fidei explicitae ad vitam aeternam. Quod colligunt Theologi tum ex verbis Pauli [1]: « *Credere oportet accedentem ad Deum quia est et inquirentibus se remunerator sit* » — tum ex valida hac ratione. Fides illas imprimis veritates respicere debet, quarum cognitio prae ceteris est hominibus necessaria. Atqui uti ait Angelicus [2] « non solum est necessarium credere quod Deus sit, sed « quod habeat providentiam de rebus; aliter nullus iret ad ipsum, « si non speraret aliquam remunerationem ab ipso »: ergo. Utrum autem — b) necessaria sit necessitate medii fides *explicita* mysteriorum Trinitatis et Incarnationis, disputant Theologi. In praxi sequenda est sententia *affirmans* iuxta responsum s. Officii (28 febr. 1703), quo decernitur « missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax « omnino non sit, explicare fidei mysteria, quae sunt necessaria « necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incar- « nationis ». Prostat quoque prop. 64. ab Innocentio XI. damn. [3]: « Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantiâ my- « steriorum fidei et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat « mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis D. N. I. C. ».

694. **Genesis actus fidei** (n. 237-242) — De via ad actum fidei eliciendum seu de eius genesi sequentia puncta statuimus.

1) *Ut homo credere possit necessarium est ut iudicium credibilitatis praecedat quo sibi certo constet Deum esse locutum.* Revera omnis fidei actus ita enunciari potest: Credo hoc quia Deus summa veritas id revelavit: ergo omnis actus fidei praesupponere debet certam cognitionem divinae revelationis. Quocirca Innocentius XI. damnavit prop. 21: « Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat « cum notitia solum probabili revelationis: imo cum formidine, qua « quis formidet ne non sit locutus Deus ».

2) *Divina revelatio fit credibilis per miracula et alia externa signa quae motiva credibilitatis appellantur.* Est — a) error protestantium divinam revelationem fieri cuique credibilem per internam inspirationem Sp. Sancti h. e. per revelationem immediatam unicuique homini factam. At haec assertio omnino *gratuita* est. Alii — b) ex schola germanica docent nos ad fidem induci non ex aliquo motivo *obiective* sufficienti, sed solum *subiective*, quatenus etsi nullam habeamus obiectivam rationem cur credamus, tamen ex *quodam instinctu*, ex *quadam interna experientia* ad credendum veluti impellimur. At

1. Hebr. XI. 6. — 2. in Hebr. l. c. — 3. Decr. SS. *Dominus* 2 mart. 1679.

huiusmodi instinctus nostrae ipsi experientiae adversatur. Superest ergo — c) amplectenda doctrina Ecclesiae, quae docet [1]: « Si quis « dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non « posse ideoque sola interna cuiusque experientia aut inspiratione « privata homines ad fidem moveri debere A. S. » — « Si quis dixerit « miracula nulla fieri posse proindeque omnes de iis narrationes, « etiam in Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas « esse aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam « christianae religionis originem rite probari A. S. ». Cuius doctrinae veritas aperte constat ex tota religionis christianae apologia, quam supra suo loco tradidimus.

3) *Etsi disputari possit utrum factum revelationis fieri possit evidens, tamen indubium est eam esse evidenter credibilem et credendam.* Evidentia *revelationis* est tantus splendor argumentorum quibus confirmata fuit revelatio, ut mentem rapiat ad assensum nullamque relinquat ne imprudentem quidem formidinem de opposito — Evidentia *credibilitatis* in eo consistit quod evidens sit humanae menti posse prudenter credi revelationem illam, quae, quamvis non evidens, tamen est certa et omne prudens dubium excludit — Evidentia *credenditatis* est evidentia obligationis amplectendi revelationem. Porro — a) disputant Theologi utrum factum christianae revelationis possit per motiva credibilitatis, si non omnibus, saltem aliquibus evidens fieri. Tamen — b) certum est apud omnes christianam revelationem esse *evidenter credibilem*. Nam *credibile* illud dicitur quod *prudenter* credi potest. Atqui *evidens* est illud prudenter admitti posse, quod multiplici eoque splendido argumento comprobatur: ergo. Atqui talis est christiana revelatio: ergo eius *credibilitas* evidens est. Item — c) christiana revelatio est *evidenter credenda*. Hinc enim evidens est hominem obligari ad credendum Deo revelanti [2], inde vero indubie constat Deum revelasse: ergo evidens est christianam revelationem esse *credendam*.

4) *Quamvis motiva credibilitatis nonnisi moralem certitudinem pariant, id tamen non officit summae fidei certitudini* — Argumentum in contrarium ita se habet: ea certitudine nos certi sumus Deum esse locutum, qua nobis constat de historica veritate miraculorum aliorumque signorum, quibus christiana revelatio confirmata fuit. Atqui de tali historica veritate non constat nobis nisi ex humano testimonio ideoque nonnisi *morali* certitudine: ergo — At contra: non credimus propter motiva credibilitatis, quae non sunt ullo pacto obiectum formale fidei, sed comparata nobis certa cognitione de existentia

1. Conc. Vatic. Const. *Dei Filius* c. 3. cn. 3. et 4. — 2. cfr. Conc. Vatic. Const. *Dei Filius* c. 3.

revelationis, quaecumque tandem sit huiusmodi certitudo sive metaphysica, sive physica, sive moralis, mens nostra assentitur propter firmissimum motivum quod est auctoritas Dei revelantis. Hinc merito Innocentius IX. damnavit prop. 19: « Voluntas non potest efficere ut « assensus fidei per se sit magis firmus quam mereatur pondus « rationum ad assensum impellentium ».

Illud tamen adverti debet hanc moralem certitudinem non esse eiusdem gradus pro omnibus, sed *respectivam* h. e. consentaneam et proportione respondentem captui illius qui fidem vult amplecti, adeo ut eo maior sit oporteat quo hic est doctior et ad perspiciendas difficultates perspicacior, eo autem minor requiratur quo minus hic instructus et dubiorum capax. Hinc De-Lugo [1] ad obiectionem, quomodo rusticus vel puer solius Parochi testimonio innixus habeat sufficientem certitudinem, respondet: « Rusticus vel puer non iudicat « absolute et in universum quod motiva sibi proposita obligent *quem-* « *libet* ad credendum firmiter, sed solum quod obligent ipsum: et « hoc quidem verum et evidens est. Cum enim non occurrant ei « rationes, quae homini docto occurrerent ad prudenter formidan- « dum, non potest ipse prudenter formidare, et pro eius captu mo- « tiva illa fortissima sunt, quae debilia essent in ordine ad alios ». Memores tamen debemus esse semper multum conferre ad fidei firmitatem supernam gratiam, tum intellectum illustrando, tum praesertim bene disponendo voluntatem, ut prompte obaudiat vocem veritatis eamque corde generoso amplectatur.

695. **Analysis actus fidei** (n. 243) — Nunc ex omnibus disputatis colligere licet analysim actus fidei. Scilicet fides — a) *dispositive* resolvitur in motiva credibilitatis quibus disponimur et iuvamur ad iudicium credibilitatis nobis efformandum: — b) *affective* in obiectivam honestatem actus fidei, propter quam voluntas imperat assensum: — c) *elicitive* in intellectum gratia roboratum: — d) *formaliter* in auctoritatem Dei revelantis: — e) *directive* in auctoritatem Ecclesiae.

ARTICULUS II.

De spe theologica.

696. **Quid spes** (n. 244) — Spes generatim est *expectatio eventus futuri*, eiusque obiectum est *bonum — absens — possibile — arduum* [2]: idcirco — a) quatenus *in bonum* tendit, est *amor concupi-*

1. d. 5. n. 36. — 2. l. 2. q. 40. a. 1.

scentiæ — b) quatenus in bonum *absens* fertur, est *desiderium* — c) quatenus in bonum *possibile*, est desiderium *efficax* — d) quatenus in bonum *arduum*, spes coniungitur cum quadam animi erectione et conatu. Porro hic sermo est de *spe theologica* idest de virtute infusa supernaturali, qua capaces reddimur ad expectanda bona futura supernaturalia.

697. **Conclusio I.** « *Spei divinae — 1° obiectum materiale primarium est aeterna beatitudo — 2° secundarium reliqua bona supernaturalia, praesertim quae ad salutem necessaria sunt: imo — 3° et temporalia, si in ordine ad salutem spectentur* » (n. 248-250).

Prob. 1. pars — Illud est primarium obiectum spei quod praecipue habet rationem mercedis nobis promissae, quoque obtento praecipue delectamur. Atqui talis est Deus a nobis possidendus tamquam suprema nostra beatitudo: ergo — *Prob. min.* Legimus [1]: « *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum et merces tua magna nimis* » — « *Quid mihi est in coelo et a te quid volui super terram? Deus cordis mei et pars mea, Deus in aeternum* » — « *Gaudens gaudebo in Domino et exultabit anima mea in Deo meo* ». Hinc s. Augustinus [2]: « Praemium Dei ipse Deus est: » et in ps. 102: « Erige spem tuam in « bonum bonorum omnium. Ipse erit bonum tuum, a quo omnia in « suo genere facta sunt bona ».

Prob. 2. pars — Pertinet ad eandem virtutem sperare finem et sperare media ad illum: volitio enim finis et mediorum ex eodem motivo elicitur. Atqui bona supernaturalia sunt media ad vitam aeternam: ergo. Hinc docet Trid. [3] spem veniae esse dispositionem ad iustificationem; et s. Ambrosius [4]: « Nemo potest agere poenitentiam nisi speraverit indulgentiam ».

Prob. 3. pars — Bona temporalia *per se* sunt obiectum alicuius spei: hinc quarta petitio orationis dominicae: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Atqui nil prohibet quominus sperentur *spe theologica:* ergo — *Prob. min.* Bona temporalia sperari possunt intuitu aeternae beatitudinis consequendae: ergo eadem virtute sperari possunt, qua beatitudo ipsa sc. *spe theologica.*

698. **Conclusio II.** « *Obiectum formale spei est bonitas Dei respectiva cum divina virtute auxiliatrici coniuncta* » (n. 251) — Illud enim est obiectum formale spei in quod ultimo resolvitur obiective actus spei. Atqui illud est tum bonitas *respectiva* Dei, illa sc. qua Deus est bonus *nobis* — tum Deus *auxiliator:* ergo — *Prob. min.* Actus formalis spei in illud obiectum resolvitur, in quod resolvuntur actus quos in se complectitur. Atqui diversi actus qui in actu spei

1. Gen. XV. 1. et Ps. 72. - Is. LXI. 10. — 2. in ps. 72. — 3. sess. 6. c. 6. — 4. De pœnit. c. 1. cfr. Hebr. IV. 16.

continentur, resolvuntur tandem in illa duo obiecta quae enunciavimus: ergo — *Prob. min. subs.* Spes — a) involvit imprimis *amorem* beatitudinis. Atqui Deus sub ratione *supremae nostrae beatitudinis* nil est aliud quam eius bonitas *respectiva:* ergo. Item — b) spes involvit desiderium *efficax* beatitudinis, coniunctum cum quadam animi erectione propter arduitatem boni sperati. Atqui ideo desideramus *efficaciter* aeternam beatitudinem animumque erigimus nec a sperando propter difficultates recedimus, quia probe scimus Deum omnipotentem *posse* nobis necessaria auxilia suppeditare — Deum misericordem *velle* nobis illa auxilia concedere — Deum fidelissimum sua promissa *infallibiliter servaturum:* quae tria includuntur in divina virtute auxiliatrici: ergo. Hinc ps. 17.: « *Deus meus adiutor meus et sperabo in eum* ».

699. **Conclusio III.** « *Spei theologicae proprietates sunt* — 1° *eius honestas* — 2° *eius necessitas medii ad salutem* — 3° *eius certitudo ex parte Dei, minime vero* — 4° *ex parte nostra* » (n. 252-261).

Praenotamina — Conclusionis *prima pars* statuitur contra Calvinum, Lutherum et Baium, docentes actus elicitos ex aeternae beatitudinis amore seu ex amore concupiscentiae, non esse honestos. Quem errorem proscripsit Trid. [1]: « Si quis dixerit iustificatum peccare, « dum intuitu aeternae mercedis bene operatur A. S. » — necnon Alexander VIII. sqq. propp. (n. 10. et 13.) damnans in Baio: « Intentio qua quis detestatur malum et prosequitur bonum, mere ut « coelestem obtineat gloriam, non est recta et Deo placens » — « Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, caritate si « careat, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur » — *Altera pars* statuitur contra superioris saeculi *quietistas*, qui duce Michaële Molinos hispano sacerdote [2], docuere neminem attingere posse perfectionis statum, nisi quemvis amorem sui ita posthabeat, ut indifferens fiat quoad propriam perfectionem, salutem et damnationem. Ita sonat prop. 7. inter 68. damnatas ab Innocentio XI. [3]: « Non debet anima cogitare nec de praemio, nec de punitione, nec « de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de aeternitate ». Quod systema statum quemdam perfectionis in hac vita admittit, cum quo spes aeternae beatitudinis conciliari nequit. Necessitatem autem spei explicite asseruit Alexander VII. seq. prop. damnando: « Homo « nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei

1. sess. 6. cn. 31. — 2. qui ad perpetuos carceres addictos obiit a. 1676 erroribus abiuratis. Hunc errorem renovarunt Ioanna Bouvier de la Motte, vidua Guyon necnon Fenélon episcopus Cameracensis, qui propp. 23. ex suo opere decerptas ab Innoc. XII. damnatas, ipse pariter damnavit. — 3. Const. *Cœlestis Pastor* a. 1687. cfr. prop. 12.

« et caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes perti-
« nentium ».

Prob. 1. pars — Honestum est Deum diligere secundum ordinem a Deo ipso constitutum: atqui diligere Deum amore concupiscentiæ est diligere Deum secundum ordinem ab illo constitutum, tum quia — a) ipsa Scriptura [1] proponit amorem et desiderium beatitudinis tamquam motivum agendi: « *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternum propter retributionem* »: tum quia — b) secundum obiectivum rerum ordinem, quem Deus nequit non velle, Deus non solum est bonus in se, sed etiam *bonus nobis:* ergo.

Prob. 2. pars — a) ex Scriptura quae spem praecipit [2]: « *Sperate in eo omnis congregatio populi* » — « *Dirige viam tuam et spera in illum* ». Item — b) ex ratione ipsa quae evidenter docet esse impossibile ut peccatores iustificationem consequantur absque spe veniae, ut iusti serio conentur ad vitam aeternam consequendam, nisi sperent se posse illam reapse consequi. *Confirm.* — c) ex gratuitate systematis *quietistarum,* quod nullum habet fundamentum in divina revelatione, uti patet ex adductis Scripturae testimoniis [3] — nullum *in rei natura:* recta enim ratio dictat non posse hominem parvi pendere ultimum suum finem illumque non appetere; id enim perinde esset ac suam exuere naturam.

Prob. 3. pars — Spem esse certam ex parte Dei nil aliud significat quam Deum esse infallibiliter servaturum sua promissa, seu, aliis verbis, divinam misericordiam et potentiam quibus Deus *vult* et *potest* conferre nobis bona, quae speramus, deficere non posse. Atqui duo haec per divinam fidelitatem iam obligata sunt: ergo. Hinc Apostolus [4]: « *Per duas res immobiles* (promissionem et iusiurandum), *quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam* ».

Prob. 4. pars — Promissio beatitudinis non est absoluta, sed conditionata, nempe sub conditione perseverantiae finalis. Atqui, uti demonstravimus, nemo potest esse *certus* de propria iustificatione: ergo nemo habere potest spem certam certitudine absoluta, se obtenturum aeternam beatitudinem. Hinc legimus [5]: « *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta* ».

---

1. Ps. 117. - cfr. Eccli. XII. 2. - Apoc. II. 10. — 2. Ps. 61. - cfr. Eccli. II. 6. — 3. cfr. Rom. XII. 9. — 4. Hebr. VI. 18. - cfr. Gen. XV. 1. — 5. Eccle. IX. 1.

ARTICULUS III.

De charitate theologica.

700. **Quid caritas** (n. 262) — *Caritatis* nomine hic intelligitur « *virtus divinitus infusa et theologica, qua Deum diligimus propter seipsum, nos vero et proximum propter Deum* ». Quae autem de hac virtute dicturi sumus, complectimur sequentibus conclusionibus.

701. **Conclusio I.** « *Obiectum caritatis — 1° materiale primarium est Deus — 2° secundarium vero nos ipsi et proximus noster — 3° formale autem est bonitas divina absoluta supernaturalis* » (n. 263-265).

Prob. 1. pars — Illud est primarium obiectum caritatis in quo primario relucet eiusdem virtutis motivum. Atqui obiectum formale caritatis primario relucet in Deo ipso: ergo — *Prob. min.* Obiectum formale caritatis, uti mox videbimus, est bonitas divina: atqui bonitas haec est in Deo per essentiam, in nobis autem solummodo per participationem: ergo. Hinc Christus vocat *maximum* et *primum* mandatum Deum diligere ex toto corde et ex tota anima [1].

Prob. 2. pars — Illi omnes pertinent ad obiectum materiale caritatis, a quibus participatur vel participari potest bonitas divina, praesertim supernaturalis. Atqui bonitas divina supernaturalis participatur vel participabilis est tum a nobis, tum a proximo nostro: ergo. Hinc Christus post praeceptum de diligendo Deo subdit: « *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum* ».

Prob. 3. pars — a) ex Patribus, qui ita caritatem describunt ut eius motivum assignent divinam bonitatem *absolutam*. Sic e. g. s. Augustinus [2]: « Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo « *propter ipsum* »: et s. Bernardus [3]: « Est qui confitetur Domino « quoniam potens est; est qui confitetur quoniam sibi bonus est; est « et qui confitetur quia simpliciter bonus est. Primus servus est et « timet sibi; secundus mercenarius est et cupit sibi; tertius filius « est et defert patri. Itaque et qui timet et qui cupit, utrique pro « se agunt. Sola, quæ in filio est, caritas non quaerit quæ sua sunt ». Item — b) ex Ecclesiae sensu eadem veritas eruitur. Legimus enim « in Catechismo Rom. iussu Pii V. edito [4]: « Monet nos vera caritas, « totum ut animum ac studium conferamus in Deum, qui quoniam « solus est *in seipso* summum bonum, iure est praecipuo quodam et « singulari amore diligendus »: et Conc. Rom. sub Benedicto XIII. in Instr. addita: « *Qual è il dolore perfetto che si dice contrizione?*

1. Matth. XXII. 37. — 2. De doctr. christ. l. 3. c. 10. n. 16. — 3. c. 12. n. 34. — 4. p. 4. n. 2.

Il dolore perfetto ossia contrizione è un dolore perfezionato dalla carità, col quale per solo amor di Dio come sommo bene ci dispiace sopra ogni male aver commesso il peccato ».

702. **Conclusio II.** « *Caritas bene ordinata exigit* — 1° *ut Deum plus omnibus appretiative* — 2° *non autem intensive diligamus; item* — 3° *in ordine ad salutem ut nosipsos plusquam proximum amemus* » (n. 266-268).

Prob. 1. pars — Deum diligere *appretiative* prae omnibus idem est ac praeferre illum cunctis bonis, adeo ut magis ipsi velimus bonum quam creaturis omnibus. Atqui tenemur Deum praeferre cunctis aliis rebus, cum praeceptum de diligendo Deo sit *maximum* et *primum* mandatum [1]: ergo. Idcirco Christus promulgat [2]: « *Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus* ».

Prob. 2. pars — Ad implendum praeceptum de diligendo Deo super omnia illud sufficit ut hinc ponatur actus elicitus ex motivo caritatis, inde vero ut per huiusmodi actum Deum praeferamus ceteris. Atqui ad id sufficit qualiscumque intensitatis gradus: maior enim vel minor intensitas non mutat actus speciem: ergo.

Prob. 3. pars — Sane — a) est principium a Christo promulgatum, maiorem sollicitudinem esse adhibendam de nostra salute quam de toto mundo: « *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* » [3]. Atqui haec maior sollicitudo importat ut quoad bona spiritualia magis diligamus nosmetipsos quam proximum: ergo. Item — b) Christus ait [4]: « *Diliges proximum tuum sicut teipsum* » — « Ex quo videtur quod dilectio « hominis ad seipsum est sicut exemplar dilectionis quae habetur ad « alterum. Sed exemplar potius est quam exemplatum: ergo homo ex « caritate magis debet diligere seipsum quam proximum » [5].

703. **Conclusio III.** — « *Caritas* — 1° *est omnium virtutum præstantissima, et* — 2° *veluti earum forma* » (n. 269-270).

Prob. 1. pars — Illa virtus est omnium praestantissima quae nobiliori nititur motivo: atqui motivum caritatis est omnium nobilissimum: est enim quae facit nos adhaerere Deo propter Deum ita ut in Deo sistamus iuxta illud Io.: « *Deus caritas est et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo* »: ergo. Hinc in Scriptura caritas dicitur [6] « *plenitudo legis* » — « *vinculum perfectionis* » — « *finis*

---

1. Matth. XXII. 37. — 2. Luc. XIV. 26. — 3. Matth. XVI. 26. — 4. Matth. XXII. 39. — 5. s. Th. 2. 2 q. 26. a. 4. — 6. Rom. XIII. 10. - Coloss. III. 14. - 1. Tim. I. 5.

praecepti »: et s. Augustinus [1]: « Nihil invenio eminentius charitate in divinis libris ».

Prob. 2. pars — Caritas dicitur *forma* omnium virtutum adeo ut virtutes ceterae absque illa *informes* dicantur, non quatenus — a) ipsa det *esse virtutis* cunctis virtutibus seu naturalibus, seu supernaturalibus: unaquaeque enim virtus suum habet esse a proprio formali obiecto; sed — b) quatenus ad caritatem pertinet cunctas ordinare virtutes ad ultimum finem et efficere ut ceterae virtutes vim et condignum valorem habeant meritorium vitae aeternae. Revera eatenus actus aliarum virtutum sunt meritorii de condigno vitae aeternae, quatenus subiectum operans est in statu amicitiae et adoptionis filiorum Dei. Atqui hic status habetur per gratiam et caritatem: ergo. Hinc Apostolus [2]: « *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest* ». Haec autem ordinatio virtutum quam caritati tribuimus, non in eo est sita quod actus aliarum virtutum debeant a caritate *imperari,* uti censent nonnulli; sed in quadam *innata* et *quasi connaturali* ordinatione consistit, qua in habente caritatem (per quam homo est habitualiter ad Deum conversus) omnes actus virtuosi pondere veluti suo in Deum ordinantur, uti explicuimus.

1. in ps. 103. — 2. 1. Cor. XIII. 3.

TRACTATUS IX.

De sacramentis novae legis

704. **Prologus** (n. 272) — Quoniam plura sunt sacramentis *communia*, plura autem singulorum *propria*, idcirco praesentem tractatum in duas partes dispescimus, quarum unam *de sacramentis in genere*, alteram *de sacramentis in specie* inscribimus.

PARS PRIOR

De sacramentis in genere.

CAPUT I.

De existentia et numero sacramentorum.

705. **Sacramentum quid** (n. 274-276) — Usu *ecclesiastico* ac *theologico* sacramenta sensu *latiori* dicuntur res aliquae dispositione divina vel ecclesiastica ordinatae in *signa* aliarum rerum sacrarum secundum illud s. Augustini [1]: « Signa, quum ad res divinas pertinent, *sacramenta* nominantur »: *pressiori* vero sensu vocantur sacramenta certa quaedam signa practica seu ritus divinitus instituti ad hominum sanctificationem. Quam alteram significationem ut accuratius declaremus, advertimus ad genuinam sacramenti notionem quatuor vel quinque elementa requiri: sc. sacramentum esse debet — a) signum *sensibile* — b) signum *sacrum* tum ex parte *rei significantis*, tum ex parte *rei significatae*, quae — c) est *sanctitas* sive *theologica* seu sita in gratia sanctificante, sive *legalis*, quae consistit in passiva quadam consecratione ad cultum divinum ac in externa quadam corporis munditia. Praeterea — d) sacramentum est signum non speculativum sed practicum, non sterile sed efficax sanctitatis, ac — e) *divinitus institutum*. Hinc sacramentum definitione *communi* veteri et novæ Legi est « *ritus divinitus institutus ad significandam efficiendamque hominum sanctificationem respondentem oeconomiae, ad quam ipse ritus pertinet* » — definitione *propria* N. L. ita definiri potest cum

---

1. ep. 138.

Catechismo Rom. [1]: « *Invisibilis gratiae visibile signum, ad nostram iustificationem institutum* ».

706. **Ecclesiae doctrina** (n. 277) — Porro controversia gravis est inter catholicos et protestantes circa numerum sacramentorum. Catholici, veteri doctrinae insistentes, sacramenta numero *septem* admittunt: quam doctrinam sic definivit Trid. [2]: « Si quis dixerit « sacramenta N. L. non fuisse omnia a I. C. D. N. instituta, aut « esse plura vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Con- « firmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, « Ordinem et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non « esse verum et proprium sacramentum A. S. » — Novatores autem saec. XVI., perversâ sacramentorum naturâ eorundemque necessitate negata, numerum quoque septenarium inficiati sunt, adeo ut nunc in binario numero consistere videantur, videlicet in Baptismo et Eucharistia. Sit ergo sequens

707. **Conclusio unica** — « *Divina traditione constat sacramenta N. L. nec plura nec pauciora esse quam septem* » (n. 279-281) — Conclusio est *de fide catholica* et sic ostenditur. A sæculo XVI. ad Ecclesiæ initia Ecclesia universa publice tum theoretice, tum practice conspiravit in fidem de septenario sacramentorum numero. Atqui hæc fides est originis divinae: ergo.

Prob. mai. — Considerare possumus veluti tres temporis periodos sc. a saec. XII. ad saec. XVI. — a saec. IX. ad saec. XII. — a saec. V. et antea ad saec. IX. Iamvero — a) in Ecclesia viguisse fidem in septenarium sacramentorum numerum a saec. XII. ad saec. XVI. patet, ceteris omissis — α) *theoretice* ex communi Theologorum consensu — β) *practice* vero ex publica solemnique sacramentorum administratione. Eandem fidem — b) viguisse a saec. IX. ad saec. XII. ex eo patet quod inveniamus conspirare cum Latinis Graecos schismaticos iam inde a saec. IX. ab Ecclesiae unitate avulsos. Hi certe hanc fidem non hauserunt a Latinis post suam ab illis separationem: ergo iam ante schisma vigebat haec fides in Ecclesia. Graecorum autem fides constat ex eorum libris liturgicis — ex eorum fidei professionibus, praesertim ex ea quam imperator Michäel Palaeologus a. 1274 obtulit Gregorio X. in Conc. Lugdunensi — ex irrito protestantium conatu pertrahendi Graecos in suum errorem. Eadem fides — c) viguit in Ecclesia a saec. V. ad saec. IX.: sectae enim orientales, quae a saec. V. Ecclesiae castra deseruere, rètinent eanden ac Latinorum fidem in septenarium sacramentorum numerum, quam fidem quum certe a Latinis non acceperint post suam discessionem, demonstrant iam in Ecclesia extitisse antequam ab ipsis se-

1. p. 2. n. 5. — 2. sess. 7. cn. 1.

pararentur, eamque ex communi fonte hausisse, nempe ab Ecclesia matrice saec. V. et IV. usque ad Apostolorum tempora.

Prob. min. — Si fides in septenarium sacramentorum numerum esset innovatio quaedam et corruptio doctrinae apostolicae — a) aliqua extaret huiusce rei memoria — b) pastores et fideles contra corruptores insurrexissent — c) universa Ecclesia statim a prima fide defecisset. Atqui huiusce innovationis nullum vestigium — nullum commotionis signum, nulla umbra in universa antiquitate — nec Ecclesia, quae est *columna et firmamentum* veritatis, in fide errare potest: ergo [1].

708. **Scholion.** *De sacramentis Veteris Legis* (n. 282) — a) In statu *innocentiae*, qui perbrevis fuit, nulla fuisse sacramenta communis opinio tenet — b) In statu *legis naturae* communis tenet sententia fuisse aliquod *remedium*, quo infantes a peccato originali purgarentur: « Non est putandum ante datam circumcisionem famulos Dei, quando-« quidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo sacra-« mento eius opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset « aliquâ necessariâ causâ Scriptura latere nos voluerit »: ita s. Augustinus [2]. Angelicus [3] probabile existimat « quod parentes fideles « pro parvulis natis et maxime in periculo existentibus, aliquas preces « Deo funderent vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat « quoddam signaculum fidei » — c) In lege *mosaica* fuisse sacramenta aperte colligitur ex Conciliis Florentino et Tridentino, quae, comparatione instituta inter sacramenta N. L. et mosaica, dicunt sacramenta nostra illis dignitate et efficacia praestare. Scholastici autem praeunte s. Thoma [4] illa ad *quatuor* revocant quae fuere — α) *circumcisio* figura Baptismi: — β) *agnus paschalis* figura Eucharistiæ: — γ) *ritus* initiationis sacerdotum figura Ordinis: — δ) variae *lustrationes* et *mundationes* figurae Poenitentiae [5].

CAPUT II.

De sacramentorum causis.

709. **Causae intrinsecae** (n. 284-285) — Circa intrinsecam sacramentorum constitutionem docet Eugenius IV. [6]: « Omnia N. L. « sacramenta tribus perficiuntur videlicet rebus tamquam *materia*, « verbis tamquam *forma*, et personâ ministri conferentis sacramenta « cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquod

1. Vide optimam rationem congruentiæ apud s. Th. 3. p. q. 65. a 1. — 2. cont. Iul. l. 5. c. 11. n. 45. — 3. 3. p, q. 70. a. 4. — 4. 1. 2. q. 102. a. 5. — 5. cfr. Becanus *analogia* V. et N. T. c. 14. — 6. Instr. pro Armenis.

« desit, non perficitur sacramentum ». Intrinseca ergo sacramentorum constitutiva sunt *materia* et *forma*. Porro — a) sacramentum *dupliciter* considerari potest sc. secundum suum esse *physicum* et *metaphysicum* — Sub priori consideratione est ipse ritus sensibilis prouti sensibilis est; sub altera consideratione est ipse sensibilis ritus prouti vim habet significandi efficiendique gratiam. Iamvero — b) si sacramentum spectetur secundum esse suum *metaphysicum*, quidquid in ritu *sensibile* est, haud immerito dici potest *materia* sacramenti; ipsa autem *significatio* et *vis* producendi gratiam *forma* appellari potest. Ritus enim sensibilis non pertinet *per se* ad *esse sacramentale* seu non est signum practicum gratiae; fit autem tale et elevatur *ad esse sacramenti* per vim supernaturalem ipsi inditam a Christo. At — c) non sub hac consideratione dicuntur sacramenta ab Eugenio IV. constitui ex materia et forma. Itaque si sacramenta considerantur secundum suum esse *physicum,* constat ex singulorum analysi duplici elemento ea coalescere, *rebus* nempe et *verbis*. Porro *res* ut ex. gr. ablutio per aquam in Baptismo, in ratione signi sunt per se indifferentes ad plura significanda ideoque sunt aliquid imperfectum et perficiendum per aliud. E contra *verba,* ut ex. gr. *ego te baptizo,* habent per se determinatam significationem et vim, sunt propterea in ratione signi aliquid perfectum et perficiens. Dum ergo verba haec accedunt ad rem, nempe ad ablutionem per aquam, hanc determinant ad unam significationem, ad significandam nempe, supposita Christi institutione, interiorem animae ablutionem. Res ergo merito appellabis sacramenti *materiam,* verba autem *formam*. Ad rem s. Augustinus [1]: « Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? « Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum, etiam ipsum « tamquam visibile verbum. Unde ista tanta virtus aquae ut corpus « tangat et cor abluat, nisi faciente verbo? ».

710. **Causa extrinseca auctrix sacramentorum** (n. 286-287). Quaeritur nunc utrum Christus omnia sacramenta instituerit. Ecclesiæ doctrina, a Tridentino definita, est: « Si quis dixerit sacramenta N. L. « non fuisse omnia a I. C. D. N. instituta A. S. » [2]. At duplici modo Christus intelligi potest sacramenta instituisse sc. *mediate* et *immediate*. Instituisset *mediate* si Apostolis ex. gr. potestatem contulisset sacramenta instituendi. Instituisset *immediate,* si per seipsum Christus ea instituisset dum visibiliter in terris versaretur ut e. g. Eucharistiam instituit. Porro ex can. tridentino saltem *de fide* est institutio *mediata* sacramentorum a Christo facta: et, quamvis inter se disputent Theologi an *immediata* institutio in definitione tridentina contineatur, tamen post idem Concilium nullus forte Theologorum

1. in Io. tr. 80. n. 3. — 2. sess. 7. cn. 1.

est qui *immediatam* institutionem neget, adeo ut haec doctrina saltem defendi possit ut *proxima fidei*. Sit ergo sequens

711. **Conclusio I.** « *Christus Iesus est omnium sacramentorum auctor immediatus* » (n. 289) — Revera constat ex canone tridentino Christum omnia sacramenta instituisse. Atqui idem canon de institutione *immediata* intelligendus est: ergo — *Minor* patet — a) ex inutilitate canonis tridentini in contraria hypothesi, cum nunquam in Ecclesia dubitatum sit de *mediata* sacramentorum institutione a Christo facta: — b) ex sensu obvio canonis eiusdem: — c) ex distinctione quam facit Concilium inter *sacramenta* et eorum *coeremonias* [1], illorum institutionem tribuens Christo ut auctori, harum vero Ecclesiae: — d) ex definitione *immediatae* institutionis sacramenti *Extremae Unctionis*, de quo maxime controversia versabatur ante Concilium, utrum a Christo institutum et a Iacobo apostolo solummodo promulgatum fuerit.

712. **Corollarium** (n. 290) — Sequitur ex dictis — a) Christum determinasse aliquo modo materiam et formam sacramentorum. Qui enim sacramentum instituit, is etiam debuit partes determinare, ex quibus sacramentum constat. Hoc autem — b) duplici modo concipi potest i. e. vel *in specie*, vel solum *in genere*. In specie quidem si ipse Christus *rem* determinavit adhibendam uti materiam, et *verba* designavit usurpanda ut formam, ut in Baptismo et Eucharistia fecit: in genere autem, si Ecclesiae arbitrio reliquit ut aptas res aptaque verba sc. aptum signum sensibile decerneret ad significandam ex. gr. gratiam conferendam per Confirmationem, per Ordinem etc... Id forte accidit *quoad materiam* in sacramento Ordinis et *quod formam* in sacramento Poenitentiae. Nisi enim quamdam institutionis *latitudinem* admittamus, in graves difficultate incidimus ex ipsa historia administrationis sacramentorum petitas.

713. **Causa extrinseca ministerialis** (n. 291-293) — Ex decreto Eugenii IV. supra relato n. 710 persona *ministri* concurrit ad sacramenta conficienda, de qua duplex quaestio occurrit, *altera* cum *rebaptizantibus* sc. donatistis, waldensibus et vicleffitis, *altera* cum protestantibus — Primi contendebant irrita esse sacramenta a *peccatoribus* multoque magis ab *haereticis* collata. Quae doctrina, iam damnata a Melchiade Pp. adversus donatistas, et dein a Conc. Constantiensi adversus vicleffitas, iterum a Trid. proscripta fuit [2]: « Si quis « dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essen- « tialia quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, « servaverit, non conficere aut conferre sacramentum A. S. » — « Si « quis dixerit Baptismum qui etiam datur ab haereticis in nomine

1. sess. 21. cp. 2. — 2. sess. 7. cn. 12. et de bapt. cn. 4.

« Patris et Filii et Sp. Sancti, cum intentione faciendi quod facit « Ecclesia, non esse verum Baptismum A. S. »: quod ob intimam analogiam de reliquis quoque sacramentis intelligi debet — Protestantes vero tuentur nullam requiri *intentionem* in ministro ad sacramentorum valorem; quem errorem proscripsit Trid. [1]: « Si quis « dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non « requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia A. S. ». Quæ quidem intentio ex communi nunc consensu — a) non requiritur *specialis* sc. directa ex. gr. non modo ad ponendum ritum sacramentalem, sed etiam ad *effectum* sacramenti, sed — b) sufficit *generalis*, quatenus minister *generatim* et *in confuso* intendat facere quod per huiusmodi ritus facit vera Ecclesia, quaecumque demum ea sit. Debet tamen — c) esse *interna* i. e. vera et proprie dicta intentio, nec sufficit *externa* intentio sc. illa qua quis poneret quidem ritum sacramentalem sed interne vel nullam vel etiam contrariam gereret voluntatem, uti contendit Ambrosius Catharini. Sit ergo sequens

714. **Conclusio II.** « *Ad valorem sacramenti* — 1° *non requiritur in ministro probitas seu status gratiae, nec* — 2° *ullo modo requiritur fides: requiritur tamen* — 3° *intentio interna saltem generalis faciendi quod facit Ecclesia* » — Conclusio est *de fide catholica.*

Prob. 1. pars — Eatenus necessarius esset in ministro status gratiæ ad valorem sacramentorum, quatenus illum postularet vel — a) intrinseca sacramentorum natura, vel — b) indoles potestatis ministerialis, vel — c) voluntas Christi. Atqui non *primum:* sanctitas enim et virtus sacramentorum tota est ex Christi meritis et institutione: hinc illud Catholicorum adversus rebaptizantes a saec. III. ad V.: « *Sacramenta non sunt ministrorum, sed Christi* » — Non *secundum.* Minister enim per potestatem ministerialem eatenus est causa gratiae, quatenus est causa sacramenti: ergo, ut similitudine utamur a Patribus adhibita, quemadmodum sigillum sive aureum, sive argenteum, sive ferreum, regis imaginem immutabiliter imprimit — quemadmodum manus sive lotae, sive sordidae, bonum semen ad fructificandum serere possunt; ita sacramentum suum producit effectum sive a bono, sive a malo ministro dispensetur — Non *tertium:* praxis enim Ecclesiae, quae voluntatis sui divini fundatoris est infallibilis interpres, antiqua et constans est ut non iterentur sacramenta a peccatoribus collata. Quare perbelle Augustinus [2]: « Dedit Iudas « baptismum et non baptizatum est post Iudam; dedit Ioannes et « baptizatum est post Ioannem: quia qui datus est a Iuda baptismus, « Christi erat, qui autem a Ioanne datus est, Ioannis erat. Sic ergo « quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit

1. sess. 7. cn. 11. — 2. in Io. tr. 5. n. 18.

« adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo « adulterum, non ebriosum, non homicidam; quia columbam (Ecclesiam) attendo, per quam mihi dicitur [1]: *Hic est qui baptizat* ».

Prob. 2. pars — Veritatem huius partis evincit — a) controversia sec. III. inter s. Cyprianum et s. Stephanum Pp., quae deinde continuata est a Donatistis saec. IV. et V.; ex qua constat sententiam negantem valorem baptismi ab haereticis collati fuisse *posteriorem* sententiâ affirmante necnon *particularem* loco et personis, ac propterea non originis apostolicæ: evincit — b) praxis Ecclesiæ universæ cui soli infallibilitatis praerogativa promissa est quaeque valorem horum sacramentorum iugiter agnovit: evincit — c) ratio petita ab obiectivo valore et sanctitate sacramentorum independenter a ministro, uti in praeced. parte dictum est — *Excipe* sacramentum *poenitentiae;* cum enim ad huius sacramenti valorem requiratur etiam potestas *iurisdictionis* quae in haereticis haud permanet, idcirco ex huius potestatis defectu, extra periculum mortis, hoc sacramentum ab haereticis collatum invalidum est.

Prob. 3. pars — a) ex s. Thoma [2], cuius argumentatio ad haec redit. Quando aliqua causa est per se indifferens ad plures effectus producendos, necesse est ut per aliquid determinetur. Atqui res et verba sacramentalia sunt ex se indifferentia ad plura significanda et efficienda, ut patet ex exemplo baptismi. Ergo determinari debent per aliquid ad unum effectum sacramentalem significandum et efficiendum. Atqui haec determinatio non aliunde peti potest quam a ministri intentione, qua ipse vult actionem non quamcumque, sed sacramentalem ponere: quae quidem intentio sufficienter continetur in generali voluntate faciendi quod facit Ecclesia: ergo — *Prob. min.* Sacramentum non est actio quaedam *materialiter* posita, sed est actio *ministerialiter* posita h. e. ab homine non suam gerente personam, sed Christi [3]. Atqui ut sacramentum ponatur tamquam actio *ministerialis,* non sufficit ut ponatur ab eo *qui est* minister Christi, sed praeterea *quatenus est* minister Christi; ex eo enim quod homo instructus est potestate ministeriali non sequitur eum necessario et semper agere uti tali potestate praeditum, quoties tales actiones peragit; posset enim velle eundem actum materialiter ponere etiam proprio nomine. Ergo ad valorem sacramenti necessaria est intentio in ministro. Accedit — b) in praeiudicium sententiae Ambrosii Catharini declaratio Conc. Trid. [4] sc. invalidam esse absolutionem « si Sacerdoti animus *serio* agendi et *vere* absolvendi desit »: necnon prop. 28. ab Alexandro VIII. damnata: « valet baptismus collatus a ministro, qui om-

1. Io. I. 33. — 2. 3. p. q. 64. a. 8. — 3. cfr. Franzelin th. 16. — 4. sess. 14. c. 6.

« nem ritum externum formamque baptizandi observat: *intus* vero « in corde suo apud se resolvit: non intendo quod facit Ecclesia »: ex qua propositione censet Benedictus XIV. [1] grave vulnus praefatae opinioni inflictum fuisse.

CAPUT III.

De sacramentorum virtute et effectibus.

ARTICULUS I.

De virtute productiva gratiæ.

715. **Errores** (n. 302) — Circa efficaciam sacramentorum errant — a) sociniani qui sacramenta habent ut signa, quibus christiani a iudaeis et gentilibus discernantur. Errant — b) lutherani et calvinistae, qui hoc unicum munus sacramentis vindicant, quod instar *concionis* excitent fidem in sacramenta suscipientibus: propterea verba sacramentalia ex horum systemate non sunt *consecratoria,* sed *concionatoria.* Errant — c) zwingliani qui a socinianis vix recedentes habent sacramenta veluti signa, quibus homo se probet uti Ecclesiae candidatum et militem Christi.

716. **Ecclesiæ doctrina** (n. 303) — At Conc. Trid. hos errores proscripsit sqq. can. 5. 6. 7. 8. « Si quis dixerit sacramenta propter « solam fidem nutriendam instituta esse A. S. » — « Si quis dixerit « sacramenta N. L. non continere gratiam, quam significant, aut « gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa « tantum externa sint acceptae per fidem gratiae et iustitiae, et « notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discer- « nuntur fideles ab infidelibus A. S. » — « Si quis dixerit non dari « gratiam per huiusmodi sacramenta semper et omnibus quantum est « ex parte Dei, etiam si rite ea suscipiant, sed aliquando et aliqui- « bus A. S. » — « Si quis dixerit per ipsa N. L. sacramenta ex opere « operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis « ad gratiam consequendam sufficere A. S. ». Quare doctrina catholica de sacramentorum virtute haec est: « Sacramenta N. L. tamquam « causae instrumentales non ponentibus obicem gratiam conferunt ex « opere operato ». Quae doctrina antequam demonstretur, per partes declaranda est.

717. **Quid et quotuplex obex** (n. 304) — *Obex* est animi *indi-*

1. De syn. diœc. l. 7. c. 4. § 8.

spositio ad sacramenti gratiam recipiendam, oriens vel ex ipsa rei natura, ut e. g. *impoenitentia* — vel ex positiva Christi voluntate, ut e. g. *conscientia peccati letalis*. Idcirco tolli nequit nisi per *actus liberos* hominis auxilio gratiae actualis elicitos, quibus proinde constituitur necessaria ad sacramenta *dispositio*. Duplex est sc. obex *simpliciter* quo non valor sacramenti, sed eius fructus i. e. gratiæ infusio impeditur; et obex *secundum quid*, qui est minor dispositio impediens abundantiorem gratiae infusionem [1].

718. **Quid formula ex opere operato** (n. 305) — Hac formula — a) *affirmatur* signum sacramentale ex Christi institutione virtutem habere gratiam conferendi: proinde sacramenta dicuntur gratiam *continere* non quidem *formaliter* sicut vas continet aquam, sed *efficienter* sicut calamus continet litteram: — b) *negatur* infusionem gratiae pendere tamquam a causa efficienti et meritoria *ex opere operantis* sive administrantis, sive suscipientis sacramentum: quoniam vero — c) haec virtus est a Deo, qui solus est causa principalis gratiae, idcirco sacramenta appellantur causae *instrumentales* gratiae.

719. **Conclusio I.** « *Sacramenta sunt causae instrumentales gratiæ, quam conferunt ex opere operato non ponentibus obicem* » (n. 307-309). Conclusio est *de fide catholica* eaque ostenditur ex Scripturis, ubi de singulis sacramentis hæc legimus. Sic e. g. de Baptismo [2]: « *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine I. C. in remissionem peccatorum vestrorum* » — de Confirmatione [3]: « *Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Sp. Sanctum* » — de Eucharistia [4]: « *Qui manducat hunc panem... vivet in aeternum* » — de Pœnitentia [5]: « *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* » — de Extrema Unctione [6]: « *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis fuerit, remittentur ei* » — de Ordine: [7]: « *Noli negligere gratiam quae est in te et quae data est tibi per impositionem manuum presbyterii* ». Ex quibus sic: effectus sacramentorum in hisce testimoniis nunquam describitur fidei excitatio, sed constanter exhibetur gratia, peccatorum remissio, vita spiritualis. Ergo doctrina, quae tenet alium esse sacramentorum effectum praeter gratiam, est *praeter* et *contra* Scripturarum doctrinam. Ad rem perbelle Tertullianus [8]: « Caro abluitur ut anima emaculetur: caro ungitur ut « anima consecretur: caro signatur ut anima muniatur: caro manuum « impositione adumbratur ut anima Spiritu illuminetur: caro corpore « et sanguine Christi vescitur ut et anima de Deo saginetur ».

---

1. cfr. Trid. sess. 6. cp. 7. — 2. Act. II. 38. — 3. Act. VIII. 17. — 4. Io. VI. 59. — 5. Io. XX. 22. — 6. Iac. V. 14. — 7. 1. Tim. IV. 14. — 8. De resurr. carn. c. 8.

720. **Conclusio II.** « *Sacramenta sunt causae morales gratiae* » (n. 310) — Conclusio sic declaratur simul et probatur. Constat — a) *sacramenta esse operationes vicarias Christi,* quippe quae nomine et auctoritate Christi peraguntur. Ad rem s. Augustinus [1]: « Christus « est qui baptizat in Sp. Sancto, nec, sicut Petilianus dicit, iam « baptizare cessavit, sed adhuc id agit non ministerio corporis, sed « invisibili opere maiestatis ». Quare — b) *sacramentis inest supernaturale pretium et obiectiva dignitas ex Christi dignitate promanans.* Actio enim ministri *qua talis* vim dignitatemque suam mutuatur ex illius praestantia, cuius vices gerit et in cuius nomine agit. Hinc sequitur — c) *sacramenta esse verissimas causas morales gratiae.* Nam causa *moralis* illa intelligitur, quae causam physicam intellectu et voluntate praeditam movet ad effectum producendum, sive imperio, sive consilio et exhortatione, sive precibus, sive etiam sua obiectiva bonitate et dignitate. Atqui sacramenta, utpote vicariae operationes Christi, gaudent bonitate et dignitate ad movendum Deum, qui est causa principalis gratiae, ad illos sanctificandos quibus applicantur: ergo. At — d) dicine possunt etiam causæ *physicae* gratiæ? Quæritur sc. an sensibilis actio sacramentalis vel per qualitatem aliquam sibi impressam, vel per virtutem obedientialem, physice agat in animam et gratiam producat. Sententiam *affirmantem* tenent Suarez, Bellarminus et probabiliter s. Thomas, quin ideo causalitatem moralem respuant; sententiam *negantem* tuentur s. Bonaventura, Canus, De-Lugo, Vasquez, Franzelin: cui sententiæ subscribimus. Et sane — α) sacramentum, remoto obice, confert gratiam quae suspensa fuerat, ut inferius dicemus. Atqui tunc sacramentum non amplius physice existit: quomodo ergo poterit physice causare gratiam? Item — β) materia et forma non semper *physice* coëxistunt, uti in matrimonio. Atqui physica coëxistentia necessaria foret ut sacramentum *physice* agere possit: ergo. Item — γ) verba formæ sibi succedunt, et prolatis ultimis, sine quibus forma non valet, non amplius existunt priora: quomodo ergo forma, quae nonnisi integra valet, potest concurrere *physice* ad producendum effectum qui fit in instanti? [2].

---

1. cont. lit. Petiliani l. 3. c. 49. — 2. Sunt nonnulli qui insequentem explicandi modum proponunt. Sacramenta — a) eatenus causant gratiam quatenus inducunt in subiecto cui applicantur dispositionem et exigentiam seu necessitatem ad susceptionem gratiæ, dummodo *obex* aliquis non obstet: atque ita effectus immediatus et proprius sacramenti non est gratia, sed titulus exigens gratiam. Hæc causalitas dicitur *instrumentalis-dispositiva.* Hunc vero titulum ad gratiam — b) sacramenta inducunt in subiecto *imperative* idest deferendo, tamquam *instrumentum significans,* divinum imperium ut tali subiecto conferatur gratia per executricem omnipotentiam Dei, si nihil obstet ex parte subiecti eiusdem. Quo delato imperio, inducitur in subiecto necessitas ut in ipso fiat quod imperatum est sc.

721. **Scholion I.** *Gratia prima et secunda* (n. 311) — Quamvis omnia sacramenta gratiam habitualem conferant, tamen aliqua ex natura sua et ex primaria Christi intentione ordinata sunt ad delenda peccata ideoque ad *primam* gratiam infundendam, alia vero gratiam supponunt et ad ipsam augendam ordinata sunt, propterea gratiam *secundam* conferre dicuntur. Illa appellantur sacramenta *mortuorum* et sunt Baptismus et Poenitentia; ista sacramenta *vivorum* et sunt reliqua sacramenta. Tamen — a) certum est apud omnes, sacramenta mortuorum posse *per accidens* gratiam *secundam* conferre, quoties qui ad haec accedit, iam in gratia versatur. Item — b) *plures* defendunt cum s. Thoma et Suarez, sacramenta vivorum *per accidens* posse gratiam *primam* conferre, quando peccator, absque formali conscientia sui status, attritus tamen de suis peccatis, haec suscipit sacramenta. Ratio communis est quia sacramenta conferunt semper gratiam non ponentibus obicem.

722. **Scholion II.** *De reviviscentia gratiae in sacramentis cum obice susceptis* (n. 312) — De hac quaestione sequentia tenenda sunt. Ac — a) gratia *Baptismi*, remoto obice, *certo* reviviscit. Ratio *intrinseca* petitur ex absoluta huius sacramenti necessitate ad salutem: ratio autem *extrinseca* sumitur ex controversia catholicorum cum Donatistis, de qua ait s. Augustinus [1]: « Non iterum baptizandus « est, quia ipsa ei reconciliatione ac pace praestatur ut ad remissionem « peccatorum eius in unitate iam prodesse incipiat sacramentum, « quod acceptum in schismate prodesse non poterat ». *Probabilius* est — b) contra Scotum et Vasquez, *Confirmationem, Ordinem, Matrimonium* et *Extremam-unctionem* reviviscere, sublato obice. Ratio est quia haec sacramenta hinc quidem iterari non possunt vel simpliciter, vel quadamtenus, inde vero vix credibile est Deum velle eos, qui ea indigne susceperint et de hoc peccato poenitentiam egerint, illorum fructu in perpetuum carere. Iuxta omnes — c) *Eucharistiae* sacramentum haud reviviscit, quia pluries accipi potest. Disputatur — d) utrum sacramentum *poenitentiae* esse possit *validum* simul et *informe*. Nobis quidem id impossibile videtur: cum enim actus

---

ut gratia infundatur. Quapropter sacramentum ut *signum* notificat divinum imperium, ut *instrumentum* applicat divinum imperium determinato subiecto, ordinans ipsum ad gratiam. Hoc — c) illustrant exemplo *signi* quo promulgatur lex, quod simul est signum *notificans* legem et *applicans*, ut instrumentum, legislatoris imperium subditis, ex quo fit ut oriatur in subditis necessitas ad legem implendam — Verum haud necessarium ducimus ut ad hanc *ingeniosam* explicationem recurramus ad explicandam causalitatem sacramentorum. Eam proponit et defendit cl. P. Billot (Comm. in 3. p. s. Th. lytogr. ed. Romæ 1889-90) eamque demonstrare nititur consentaneam esse doctrinæ Angelici Doctoris. — 1. De bapt. l. 1. c. 12. n. 18.

poenitentis sint simul *dispositiones* ad gratiam et *materia* sacramenti, idcirco si adsunt, sacramentum est validum et fructuosum seu *formatum;* si desunt, nec validum erit ex defectu materiae.

723. **Scholion III.** *De gratia sacramentali* (n. 313) — Gratia *sacramentalis*, si *stricte* sumatur, designat gratiam cuique sacramento propriam. Quod ut intelligatur, sequentia advertantur. Ac — a) singula sacramenta ad fines distinctos ordinantur specialesque obligationes in suscipientibus important. Sic *Baptismus* ordinatur ad membra Christi et Ecclesiae procreanda simulque obligationem legis christianae inducit — *Confirmatio* militem Christi constituit et simul confirmatum obligat ad fidem fortiter profitendam contrariasque tentationes superandas — *Eucharistia* ordinatur ad vitam spiritualem nutriendam simulque obligat ad perseverandum in vita spirituali — *Poenitentia* refertur ad culpas delendas simulque obligat ad praeterita peccata expianda, futura vitanda — *Extrema Unctio* ordinatur ad pleniorem animae sanationem et simul obligat ad morbi incommoda perferenda et dæmonis tentationes evincendas — *Ordo* constituit Ecclesiæ ministros et simul eos obligat ad sanctitatem sacerdotalem et ad sacra ministeria rite peragenda — *Matrimonium* ordinatur ad sanctificationem coniugii simulque coniuges obligat ad mutua officia et ad christianam prolis educationem. Ergo — b) singula sacramenta, præter gratiam sanctificantem, speciales gratias actuales conferre debent, quibus propriae singulorum sacramentorum obligationes impleri possint propriusque finis obtineri. Hinc — c) communiter docent Theologi gratiam sacramentalem *adaequate* sumptam esse ipsam gratiam sanctificantem, quatenus haec ad proprium cuiusque sacramenti finem ordinatur et ius confert ad specialia auxilia actualia tempore opportuno conferenda, ut obligationes ex singulis sacramentis emergentes rite impleri possint.

ARTICULUS II.

De charactere sacramentali.

724. **Ecclesiæ doctrina** (n. 314) — Ecclesiæ doctrina circa veritatem characteris sacramentalis continetur can. 9. sess. 7. Conc. Trid.: « Si quis dixerit in tribus sacramentis, Baptismo sc. Confirma-« tione et Ordine non imprimi characterem in anima h. e. signum « quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt A. S. ». Ex quo canone duo sunt de fide catholica sc. — a) *existere* characterem sacramentalem illumque esse, saltem usque ad mortem, *indelebilem* — b) generatim illud esse *signum spirituale residens in anima.*

725. **Natura characteris** (n. 315) — Character — a) est *qualitas realis et ontologica* animam afficiens, non autem relatio tantum rationis ac denominatio mere extrinseca. Nam ex Trid. character est

signum quod *imprimitur*, quod *non deletur* ab anima: atqui haec de mera relatione rationis, de mera externa deputatione nonnisi valde improprie affirmari possunt: ergo. Per characterem — b) *fit consecratio hominis ad Christum regem, prophetam, sacerdotem*. Characterem contineri in quadam hominis ad Christum consecratione, docet Augustinus [1]: « Utrumque sacramentum est (baptismus et ordo) et « quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptiza- « tur, istud cum ordinatur: ideoque in catholica Ecclesia utrumque « non licet iterari ». Cum autem in Christi familia, pro triplici Christi munere sc. *regis, prophetae* seu *doctoris* et *sacerdotis*, triplex sit status seu ordo sc. *subditorum* simpliciter — *certantium* bonum fidei certamen — *ministrantium* in ministerio sanctificationis, idcirco per characterem Baptismi consecratur homo ad Christum *regem*, per characterem Confirmationis ad Christum *prophetam*, per Ordinis characterem ad Christum *sacerdotem*. Character praeterea — c) quamdam sacram confert potestatem ad divina vel *recipienda*, vel *peragenda*, [2], cuius sacrae potestatis est veluti divinum diploma, uti ait De-Lugo [3]. Quia autem fons et principium cuiusvis sacrae potestatis est sacerdotium Christi, idcirco character est quaedam participatio sacerdotii Christi et per illum homines configurantur Christo uti summo sacerdoti [4]. Character — d) non est quidem *per se* donum sanctificans, proinde sub hoc respectu inter dona *gratis data* recenseri potest; tamen respectum habet etiam ad gratiam illamque habere adnexam ex se postulat; ideoque sub hoc respectu merito illum dices donum *gratum faciens* [5]. Denique — e) conformius est Conc. Trid. doctrinae dicere characterem esse *simpliciter* indelebilem sc. remanere post mortem « in bonis ad eorum gloriam, in malis ad eorum confusionem » [6].

726. **Conclusio unica.** « *Dogma fidei est Baptismum, Confirmationem et Ordinem imprimere characterem in anima* » — Conclusio est *de fide chatolica* eaque sic ostenditur — a) ex Traditione. Consensio antiqua, universalis et constans Ecclesiae in doctrinam aliquam, nota est tutissima apostolicitatis doctrinae eiusdem. Atqui talis est consensio de charactere sacramentali: ergo. *Prob. min.* — α) A sec. XII. ad saec XVI. habemus communem Scholasticorum consensum: licet enim disputatio in scholis ferveret de characteris *natura* deque *modo* quo eius impressio probetur, eo tamen evidentior erat consensus de illius *existentia* — β) Saec. V. in controversia cum donatistis illud Catholicis solemne erat, haec tria sacramenta iterari non posse eoquod haec sacramenta semel suscepta *permanent, inhaerent* nobis. Atqui dici nequeunt permanere ratione ritus externi qui transit — ne-

1. l. 2. c. Parmen. c. 13. n. 28. — 2. s. Th. 3. p. q. 63. a. 2. — 3. d. 6. s. 6. n. 37. — 4. ib. a. 3. — 5. cfr. s. Th. q. 63. a. 4. ad 1. — 6. a. 5. ad 3.

que ratione gratiæ quæ amissibilis est: ergo permanent in aliquo suo effectu qui est *character*. Explicite vero — γ) disserentes de charactere sacramentali, illum appellant *sigillum* — *signaculum:* sic s. Ambrosius [1]: « Signati igitur Sp. Sancto a Deo sumus. Sicut enim Christo « morimur ut renascamur, ita etiam Sp. Sancto signamur ut splendo- « rem atque imaginem eius et gratiam tenere possimus, quod est « utique spiritale signaculum ». Quod signum tum a ritu sacramentali externo, tum a gratia distinguunt in eo quod dicant illud *permanere*. Ita s. Augustinus [2]: « Baptizatus si fuerit desertor Ecclesiæ, san- « ctitate vitae carebit, sacramenti signaculo non carebit... sicut de- « sertor militiae caret legitima societate, non caret regio charactere ». Huius signi munus illud esse dicunt ut agnoscamur ab angelis, timeamur a daemonibus: sic. s. Basilius [3]: « In acie duces tesseram « tribuunt sub se militantibus, ut et amici facile se invicem incla- « ment, et si in conflictu fuerint cum hostibus commixti, queant citra « confusionem seiungi..... Quomodo angelus vindicabit te? Quomodo « eripiat ex hostibus, nisi agnoverit signaculum? Quomodo dicturus « es tu: Dei sum, si notas et insignia non exhibeas? ». Frequens autem est s. Augustino characterem conferre vel cum tessera ab imperatore militibus imposita — vel cum signo ovibus a pastore impresso. Quod si — δ) haec est doctrina Patrum saec. V. et IV., eadem profecto erit apud priores Patres usque ad prædicationem apostolicam. Nunc — b) in lumine huius argumenti, de charactere sacramentali intelligi possunt quaedam Scripturarum testimonia, quae per se sola haud sufficerent. Sic legimus [4]: « *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* » — « *Nolite contristari Sp. Sanctum in quo signati estis in diem redemptionis* » — Unde hic distinguitur Spiritus unctio, quae est eius sanctificatio, ab eius *obsignatione*.

727. **Scholion** (n. 320) — *De sacramentalibus* — Appellantur *sacramentalia* res quaedam vel actiones ab Ecclesia institutae et adhibitae ad quosdam spirituales effectus producendos. Praecipuus eorum effectus, veluti *ex opere operato,* non tamen *infallibilis,* est contra daemonum infestationes: quae quidem efficacia oritur tum ex speciali potestate quam Ecclesia adversus dæmones a Christo accepit; tum ex virtute crucis et nominis Christi, sub cuius invocatione sacramentalia conficiuntur vel adhibentur.



1. De Sp. s. l. 1. c. 6. — 2. s. 8. n. 2. — 3. hom. 13. de bapt. n. 4. — 4. 2. Cor. I. 21. - Eph. IV. 30. coll. I. 13.

PARS SECUNDA

De sacramentis in specie.

SECTIO I.

De sacramento Baptismi.

728. **Prologus** (n. 322-324 — Primum sacramentorum est Baptismus tum — a) *naturâ* quia quod est generatio quoad vitam corporalem, est Baptismus quoad vitam spiritualem: tum — b) *necessitate* quia Baptismus vel in re vel in voto necessarius est ad salutem: tum — c) *ordine receptionis* quia dat capacitatem ad reliqua sacramenta suscipienda. Quare ab Eugenio IV. [1] *ianua vitae spiritualis* appellatur. Sic vero definitur a Catech. Rom.: « *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo* ». Porro, quae de hoc sacramento dicturi sumus, seqq. conclusionibus complectimur.

729. **Conclusio I.** « 1° *Materia remota Baptismi est aqua vera et naturalis* — 2° *proxima est tam immersio quam infusio et aspersio* — 3° *forma autem est distincta trium divinarum personarum invocatio* » (n. 326-329) — Conclusionis *prima* pars est *de fide catholica* ex Trid. [2] contra protestantes et socinianos: « Si quis aquam veram et naturalem « non esse de necessitate Baptismi atque ideo verba illa D. N. I. C.: « *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Sp. Sancto* [3]: ad metaphoram « aliquam detorserit A. S. » — *secunda* pars statuitur contra graecos schismaticos et ad fidem pertinet ex can. 3. Trid.: « Si quis dixerit « in Ecclesia romana, quæ omnium Ecclesiarum est mater et magistra, « non esse veram de Baptismi sacramento doctrinam A. S. » — *tertia* pars est *de fide catholica* ex can. 4.: « Si quis dixerit Baptismum, « qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti, « non esse verum Baptismum A. S. ».

Prob. 1. pars — Scriptura — a) aperte docet aquam esse Baptismi materiam. Legimus enim [4]: « *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Sp. Sancto, non potest introire in regnum coelorum* ». Atqui haec verba in sensu litterali proprio aquam veram et naturalem designant, neque ulla est gravis ratio in contrarium: ergo. Ad rem s. Augustinus [5]: « Quid est baptismus? Lavacrum aquae in verbo. Tolle aquam, non est « baptismus; tolle verbum, non est baptismus ». Accedunt — b) rationes congruentiæ, petitæ hinc quidem ex huius elementi aptitudine ad

1. Instr. pro Armenis. — 2. sess. 7. cn. 2. — 3. Io. III. 5 — 4. ibid. - cfr. Act. VIII. 36. - Act. X. 47. — 5. in Io. tr. 15. n. 4.

designandam spiritualem animae mundationem, inde vero ex summa baptismi necessitate, cui consulendum erat per eam materiam, quae esset ubique et facile comparabilis.

Prob. 2. pars — Valere — a) Baptismum per *immersionem* colligitur tum ex facto Eunuchi, qui ut baptizaretur a Philippo diacono, in aquam descendit atque de ea ascendit [1] — tum ex praxi Ecclesiae usque ad sec. XIV. Valere — b) Baptismum per *aspersionem,* quod negant Graeci schismatici, colligitur ex Act. [2] ubi refertur die Pentecostes baptismum recepisse circiter tria hominum millia, qui vix omnes per immersionem aut infusionem baptizari potuissent. Valere — c) Baptismum per *infusionem* adhuc contra Græcos colligitur ex praxi Ecclesiae falli nesciae a sec. XV. et deinceps.

Prob. 3. pars — Baptismi formam contineri in distincta trium divinarum personarum invocatione per verba: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti:* constat sat clare ex Matth. [3]: « *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti* »: necnon ex traditione tum theoretica, tum practica Ecclesiae. Et merito: cum enim Baptismus dicatur sacramentum fidei et regenerationis, qua homo fit Dei filius, idcirco sub illius invocatione conferendum est, quod praecipuum est mysterium fidei.

730. *Obiectio — Legimus* [4] *quosdam baptizatos fuisse in nomine Christi: ergo.*

Resp. — Hac de re *triplex* est sententia — *prima* quam tuentur Beda, Petrus Lombardus et Caietanus, stat pro valore talis baptismi — *altera* quam tenent s. Bonaventura et s. Thomas, sic ait: « Ex speciali « Christi revelatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi « baptizabant, ut nomen Christi (quod erat odiosum iudaeis et gen- « tilibus), honorabile redderetur per hoc quod ad eius invocationem « Sp. Sanctus dabatur in Baptismo » [5] — *tertia* simpliciter negat; illa autem Scripturae testimonia ita explicat ut dicat Baptismum collatum esse in nomine Christi quatenus conferebatur *baptismus Christi* h. e. a Christo institutus, eius nomine et auctoritate, at semper sub distincta invocatione Trinitatis. Quae sententia in praxi est tenenda iterandusque foret Baptismus aliter collatus.

731. **Conclusio II.** « *Minister solemnitatis Baptismi* — 1° *ordinarius est episcopus et presbyter* — 2° *extraordinarius est diaconus* — 3° *minister vero necessitatis est omnis homo* » (n. 331-334).

Prob. 1. pars — a) Episcopum esse *primo loco* ministrum ordinarium *solemnitatis* huius sacramenti, seu ex divina institutione deputatum ad hoc sacramentum administrandum, servatis Ecclesiae coe-

1. Act. VIII. 38. — 2. Act. II. 41. — 3. Matth. XXVIII. 19. — 4. Act. VIII. 12. X. 48. XIX. 5. — 5. 3. p. q. 66. a. 6.

remoniis, ex eo colligitur quod in ipso resideat plenitudo potestatis *ordinis* sacerdotalis. Item — b) presbyterum esse ordinarium ministrum solemnitatis Baptismi, constat ex Traditione. Sicut enim Traditione discimus non modo episcopos, verum etiam presbyteros Apostolis successisse in potestate consecrandi et peccata remittendi, etiamsi verba: *Hoc facite in meam commemorationem — Quorum remiseritis peccata* — ad solos Apostolos directa sint; ita etiam Traditio nos docet potestatem baptizandi etiam ad presbyteros pertinere ut ipsis propriam, etiamsi ad Apostolos solos dictum fuerit [1]. *Baptizantes eos in nomine Patris etc.....*

Prob. 2. pars — Diaconum — a) esse Baptismi ministrum constat ex Act. [2] ubi Philippus diaconus baptizasse perhibetur. Ipsum esse — b) ministrum *solemnitatis* ex eo liquet quod Ecclesia ipsi quandoque facultatem faciat administrandi solemniter Baptismum. Est autem — c) minister *extraordinarius*, quia id nonnisi ex speciali episcopi delegatione contingit.

Prob. 3. pars — In casu necessitatis cuilibet homini facultatem baptizandi fieri colligitur — a) ex Ecclesiae documentis. Sic e. g. Later. IV. [3]: « Sacramentum baptismi..... tam parvulis, quam adultis « in forma Ecclesiæ, a *quocumque* rite collatum fuerit, proficit ad sa- « lutem » — et Eugenius IV. [4]: « In casu necessitatis non solum « sacerdos vel etiam diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam « paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet « Ecclesiae et facere intendat quod facit Ecclesia ». Sane, cum summa sit Baptismi necessitas, aequum est ut a quocumque conferri possit.

732. **Conclusio III.** « *Baptismus* — 1° *est omnibus necessarius necessitate medii ad salutem, ita ut tamen* — 2° *suppleri possit martyrio, necnon* — 3° *in adultis contritione vel caritate perfecta* » (n. 335-339). *Prima* pars est *de fide catholica* ex Trid. [5]: « Si quis dixerit Baptismum liberum esse h. e. non necessarium ad salutem A. S. » — *secunda* et *tertia* pars *fide certa.*

Prob. 1. pars — Scriptura baptismi necessitatem ad salutem ita clare enunciat, ut nil clarius optari possit. Sane legimus [6]: « *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Sp. Sancto, non potest introire in regnum Dei* ». Atqui haec verba sunt *universalia* ac simul exhibent nexum obiectivum conditionis seu medii ad finem: ergo. Item Marc. [7]: « *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* »: ergo sicut fides, ita et baptismus requiruntur necessitate medii ad salutem. Hinc s. Augustinus [8]: « Noli credere nec dicere nec docere infantes, ante-

1. Matth. XXVIII. 19. — 2. Act. VIII. 38. — 3. cp. *Firmiter.* — 4. Instr. pro Armenis. — 5. sess. 7. cn. 5. — 6. Io. III. 5. — 7. Marc. XVI. 16. — 8. ad Renatum l. 3. de an. et eius orig. c. 9.

« quam baptizentur, morte praeventos pervenire posse ad originalium « indulgentiam peccatorum, *si vis esse catholicus* ».

Prob. 2. pars — Ait Christus [1]: « *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* » — « *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* ». Unde: qui sanguinem fundunt pro Christi fide, Christum coram hominibus confitentur, animam suam perdunt pro Christo. Atqui hisce Christus vitam aeternam promittit: ergo. Quod quidem non modo adultis, verum etiam infantibus prodest ex privilegio divinitus concesso, uti constat ex Ecclesiae sensu, quae uti sanctos colit innocentes martyres qui Christum *non loquendo, sed moriendo confessi sunt*. Hinc pro omnibus pronunciat Augustinus [2]: « *Quicumque* non percepto regenerationis « lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet mors « ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis ».

Prob. 3. pars — Contritionem vel caritatem perfectam cum voto sacramenti coniunctam supplere vices Baptismi, patebit ex infra dicendis ubi de contritione ad rationem sacramenti requisita. Sufficiat hic verba Augustini referre [3]: « Invenio non tantum passionem pro « nomine Christi id, quod ex baptismo deerat, posse supplere, sed « etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum my- « sterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest ».

733. **Conclusio IV.** « *Cum* — 1° *baptismus infantibus collatus va- « lidus et licitus sit, idcirco* — 2° *iidem cum ad annos discretionis per- « venerint non sunt rebaptizandi neque interrogandi, an ratum habere « velint quod eorum nomine patrini polliciti sunt* » (n. 340-343) — Conclusio est *de fide catholica* — *Prima* pars statuitur contra anabaptistas, qui ex lutherano principio, sacramenta esse tantum ad excitandam fidem, inferebant infantes esse baptismi incapaces — *Altera* pars est contra Erasmum necnon adhuc contra protestantes, qui innixi principio quod nemo nisi volens ad aliquid obligari possit, insequentem doctrinam propugnabant a Conc. Trid. proscriptam [4]: « Si quis di- « xerit parvulos, eoquod actum credendi non habent, suscepto Bap- « tismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos « discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut praestare omitti « eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in « sola fide Ecclesiae A. S. » — « Si quis dixerit huiusmodi parvulos « baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse an ratum habere « velint quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; « et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec « aliâ interim poenâ ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eu-

1. Matth. X. 32. XVI. 25. — 2. De civ. Dei l. 13. c. 7. — 3. in obitu Valeriani. — 4. sess. 7. cn. 13. 14.

« charistia aliorumque sacramentorum perceptione arceantur donec « resipiscant A. S. ».

Prob. 1. pars — Scriptura et Traditio in valorem Baptismi infantibus collati luculenter conspirant. Sane — a) Deus voluntate sincera vult omnes homines salvos fieri, ad quos infantes quoque pertinent — Christus pariter diserte dixit [1] parvulorum quoque *esse regnum coelorum*. Atqui absque Baptismo vel in re, vel in voto ad salutem perveniri nequit: ergo eius subiectum sunt quoque infantes — b) Traditio autem seu praxis baptizandi infantes, adeo antiqua, universalis et constans est ut ipsi protestantes coacti fuerint *pœdobaptismum* retinere. Ad rem s. Ambrosius [2]: « Quia *omnis aetas* peccato obnoxia, ideo *omnis aetas* sacramento idonea ».

Prob. 2. pars — Nulla ratione convinci potest integrum esse infantibus, cum adoleverint, acceptare vel secus eas obligationes quas patrini eorum nomine inierunt. Quinimmo — a) quemadmodum infantes ac pupilli *ex iure naturali* tenentur, cum adoleverint, ea servare pacta et debita solvere quae in temporalem eorum utilitatem iniere parentes et tutores; ita et eas servare obligationes quas Baptismus, ad salutem quam maxime necessarius, secum importat. Item — b) sicut homo vi *naturalis generationis,* velit nolit, tenetur ad legis naturalis observantiam; sic vi *spiritualis regenerationis* obnoxius erit legi christianae.

734. **Scholion.** *De effectibus Baptismi* (n. 343) — Effectus Baptismi iuxta Ecclesiae doctrinam sequentes sunt — a) gratia deletiva omnis peccati: quod est *de fide* definitum a Conc. Trid. [3]: « Si quis « per D. N. I. C. gratiam, quae in Baptismo confertur, reatum ori « ginalis peccati remitti negat aut etiam asserit non tolli totum id « quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud tantum « dicit radi aut non imputari A. S. ». Revera legimus [4]: « *Baptizetur* « *unusquisque vestrum in nomine D. I. C. in remissionem peccatorum* « *vestrorum* ». Item — b) ablatio reatus poenae sive temporalis, sive aeternae, uti colligitur ex Conc. Trid. quod [5] ait « nihil esse damna« tionis iis qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mor« tem ..... ita ut *nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur* ». Sane Baptismus est quaedam regeneratio, per quam vetustas prioris vitae exuitur: atqui ad prioris vitae vetustatem pertinet quoque poena temporalis: ergo. At — c) minime tollit praesentis vitae poenalitates, quia Christus ordinem quidem supernaturalem, minime vero praeternaturalem restituit [6]. Denique — d) imprimit characterem.

735. **Corollarium** (n. 344) — Ex disputatis patet Baptismum esse

---

1. Matth. XIX. 14. — 2. l. 2. de Abraham c. 11. n. 81. — 3. sess. 5. cn. 5. — 4. Act. II. 38. — 5. ib. — 6. cfr. s. Th. 3. p. q. 69. a. 3.

verum sacramentum. Sane — a) est *signum sensibile* quia continetur in usu aquae cum verbis — b) est signum *efficax gratiae*, cum eius effectus sit peccata remittere — c) est *divinae institutionis* uti patet ex verbis Christi [1]: « *Nisi quis renatus fuerit etc.....* » — « *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti* ».

SECTIO II.

De confirmationis sacramento.

736. **Definitio** (n. 345) — Confirmationis sacramentum definiri solet: « *Sacramentum N. L. quo baptizatis gratia sanctificans augetur et additur robur S. Spiritus tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam strenue profitendam* ». Pauca de hoc sacramento delibamus.

737. **Materia et forma.** (n. 346) — De *materia* quadruplex est sententia. *Prima* censet eam esse *solam manuum impositionem*, cuius sententiae fundamentum est in Scriptura quae de illa sola mentionem facit — *Altera* quam tuentur s. Thomas, Bellarminus et Maldonatus, contendit eam reponendam esse *in sola inunctione*, cuius sententiæ fundamentum sunt libri rituales antiqui necnon plura Patrum testimonia [2] — *Tertia* statuit tum manuum impositionem, cum sacram inunctionem seorsim spectatas esse sufficientem huius sacramenti materiam — *Quarta* tuetur, ex manuum impositione et sacra inunctione *unam* coalescere materiam essentialem sacramenti: quae sententia, monumentis antiquitatis magis conformis, in praxi est sequenda — Hinc *forma* erunt verba, quae episcopus pronunciat, dum pollice manus imposito frontem confirmandi inungit quaeque sunt: « *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti* ».

738. **Confirmatio est sacramentum** (n. 347) — Contra protestantes id definivit Trid. [3]: « Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum cœremoniam otiosam esse et non potius verum et proprium sacramentum: aut olim nil aliud fuisse quam catechesim quamdam qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant A. S. ». Sane — a) legimus Act. [4]: « *Imponebant manus super illos et accipiebant Sp. Sanctum* ». Ex quibus ita: hic sermo est de ritu sensibili a Baptismo prorsus distincto, necnon de ritu collativo gratiae. Atqui ex analogia aliorum rituum, qui sunt gratiae efficaces, colligitur hunc ritum fuisse divinitus institutum: ergo huic ritui nil deest ad sacramenti essentiam. Hinc s. Augustinus [5]: « In hoc un-

1. Io. III. 5. - Matth. XXVIII. 19. — 2. sess. 7. cn. 2. — 3. sess. 7. cn. 2. — 4. Act. VIII. 14. - XIX. 6. — 5. l. 2. c. Petilian. c. 104.

« guento sacramentum chrismatis vultis interpretari; quod quidem « in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est sicut Bap- « tismus ».

739. **Minister et subiectum** (n. 348) — *Ad 1um* docet Trid. [1]: « Si quis dixerit sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non « esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem A. S. »: cui definitioni respondet praxis antiqua et constans Ecclesiae — At eoipso quod Concilium declarat ministrum *ordinarium* Confirmationis esse episcopum, implicite affirmat alium adesse ministrum sc. *extraordinarium* qui est *presbyter*, adhibito chrismate per episcopos confecto et supposita speciali Apostolicae Sedis delegatione, quae in Oriente ex tacito Romani Pontificis consensu habetur.

Ad 2um — Confirmationis *subiectum* est *omnis* et *solus baptizatus*. Revera — a) est *omnis* baptizatus; nam « anima ad quam pertinet et « spiritualis nativitas et spiritualis aetatis perfectio, immortalis est: « et potest sicut tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi, « ita tempore iuventutis et pueritiae consequi perfectam ætatem » [2]. Est — b) *solus* baptizatus, quia ex Conc. Flor. et Trid. Baptismus est ianua ad reliqua sacramenta suscipienda.

740. **Effectus** (n. 349) — Duplex est Confirmationis effectus, scilicet — a) auget imprimis gratiam sanctificantem cum iure ad auxilia specialia ut fortiter profiteamur fidem. Sacramenta enim non ponentibus obicem gratiam conferunt. Atqui sacramentum hoc non confert gratiam *primam*, quia ex universa traditione christiana constat, solum Baptismum et Poenitentiam ad delenda peccata ex se ordinari; aliunde mos est ut parvulis iam baptizatis sacramentum hoc conferatur, et adulti in statu gratiæ constituantur ad hoc sacramentum suscipiendum: ergo. Deinde — b) *imprimit characterem:* « Insignitur « homo signo crucis sicut miles signo ducis ..... Et ideo in fronte « signatur ut neque per timorem, neque propter erubescentiam nomen « Christi confiteri praetermittat » [3].

SECTIO III.

De augustissimo Eucharistiae mysterio [4].

741. **Dicendorum ordo** (n. 350-353) — Eucharistia duplicem habet rationem sc. *sacramenti* et *sacrificii:* hinc duplex erit præsentis sectionis caput.

---

1. sess. 7. c. 3. — 2. s. Th. 3. p. q. 72. a. 8. — 3. s. Th. a. 5. — 4. De huius sacramenti præstantia cfr. s. Th. 3. p. q. 65. a. 3. et q. 73. a. 4.

CAPUT I.

De Eucharistia ut sacramento.

ARTICULUS I.

De sacramentali Christi praesentia.

742. **Errores** (n. 355) — *Realem* Christi praesentiam in Eucharistia — a) negavit saec. XI. Berengarius, quem vix aliqui secuti sunt quique in Concilio Romano sub Gregorio VII. damnatus, fidei formulae subscribere compulsus est. Tunc errorem — b) in apertam haeresim restaurarunt Zwinglius cum suis discipulis, qui *sacramentarii* appellati sunt, Œcolampadius et Calvinus.

743. **Ecclesiæ doctrina** (n. 355) — Contra hos omnes stat sequens canon tridentinus [1]: « Si quis negaverit in ss. Eucharistiae sacramento « contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una « cum anima et divinitate D. N. I. C. ac proinde totum Christum, « sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo vel figura aut virtute « A. S. ». Quibus verbis Christus asseritur — a) contra Zwinglium esse in Eucharistia *vere* et non solum *significari* — b) contra Œcolampadium esse *realiter* et non *metaphorice*, quasi nempe panis sit figura Christi — c) contra Calvinum esse *substantialiter* et non solam virtutem aliquam sanctificatricem inesse, sicut ceteris inest sacramentis. Sint ergo seqq. conclusiones.

744. **Conclusio I.** « *Ex verbis promissionis (Io. VI.) evidenter infertur dogma catholicum de reali Christi praesentia in ss. Eucharistia* » (n. 357) — Legitur Io. [2]: « *Ego sum panis vitae. Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt. Hic est panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus qui de coelo descendi. Et si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Iudaei ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo ..... Multi ergo*

1. sess. 13. cn. 1. — 2. Io. VI. 48.

audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? Sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam. Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt ..... Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro et iam non cum illo ambulabant ».

Ex quibus sic: verba Christi, in sensu litterali proprio accepta, exhibent formalem promissionem se daturum suam carnem et suum sanguinem in cibum et potum. Atqui relata Christi verba sumi reapse debent in proprio litteralique sensu, non vero *metaphorice*, uti volunt adversarii, qui contendunt in toto hoc Christi sermone Christum seipsum appellare panem vitae eiusque carnem et sanguinem exhiberi uti cibum et potum, quatenus Christus est *obiectum fidei* ad salutem necessariae: ergo — *Prob. min.* — a) *ex ipsis orationis verbis in se inspectis*: dictio enim *manducare carnem* et *bibere sanguinem* Christi nonnisi per magnam violentiam intelligi possunt de fide in Christum, praesertim cum nullibi Scripturarum similis loquendi ratio recurrat. Quinimmo ex usu loquendi biblico *manducare carnem alicuius* metaphorice acceptum significat moliri alicui gravem iniuriam, praecipue per calumniam [1]. Constat — b) *ex iudaeorum interpretatione*, qui intelligere non valentes quomodo caro et sanguis Christi fieri possent cibus ac potus hominum ad salutem necessarius, dixerunt: *Durus est hic sermo et quibus potest eum intelligere?* Atqui nec Christus pro more suo [2] correxit Iudaeorum interpretationem, nec Evangelista, item pro more suo [3], Christi verba explicavit: quinimmo Christus iterum atque iterum sua verba repetendo illam interpretationem confirmavit: ergo. Constat — c) *ex iis quae secuta sunt*. Plures enim ex Iudaeis et ex Christi discipulis, ex duritate illius sermonis Magistrum dereliquerunt. Atqui conciliari nequit cum Christi indole quod maluerit discipulorum discessum permittere, imo innumerorum fidelium errorem per tot saecula, quam suum explicare sermonem, quem non poterant intelligere non ex mala voluntate, sed ex ipsius sermonis obscuritate: ergo Christus in sensu proprio locutus est, ad quem credendum necessarius est conatus fidei, uti expressit Apostolorum princeps (v. 69.): « *Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes. Et nos credimus et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei* ». Idcirco Christus ad credibile reddendum tantum mysterium provocat ad gloriosam suam ascensionem: « *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* »

---

1. cfr. Ps. 26. - Mich. III. 3. - Gal. V. 15. - Iac. V. 3. - Dan. III. 8. VI. 24. — 2. cfr. Matth. XVI. 6. - Io III. 2. - IV. 32. - VIII. 21. - XI. 11. — 3. cfr. Io. II. 19. sqq.

745. **Refelluntur obiectiones** (n. 358-360). *Obiectio I. — Iudaei errarunt quoque putantes carnem Christi fore manducandam more aliorum ciborum. Atqui Christus eos non correxit: ergo ex Christi silentio haud sequitur approbatio sensus proprii.*

Resp. — conc. mai. et min. et nego conseq. Distinguendum est enim inter *ipsam manducationem* et eius *modum*. Christus hoc in loco non de *modo*, sed de *realitate* manducationis suae carnis sermonem habere voluit. Ergo illud tantum cavere tenebatur, ne suis verbis ipse esset causa efficax erroris circa ipsam manducationem, non autem circa *modum* manducandi. Atqui iudaei intellexerunt manducationem non metaphoricam *per fidem*, sed *realem* et *propriam*, quam Christus cum non correxisset, imo confirmasset, ostendit esse illam a se intentam; errarunt vero circa *modum* manducationis, quem quidem errorem Christus non tenebatur corrigere, quia non ex Christi verbis, sed ex iudicii præcipitatione ortus est: ergo valet argumentum supra allatum.

746. *Obiectio II. — Verum suorum verborum sensum aperuit Christus dicens* (v. 64. : « Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam; verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt »: *ergo Christus agit de spirituali manducatione suae carnis i. e. per fidem.*

Resp. — Verus sensus loci obiecti hic est: « Verba quae ego locutus sum vobis, non possunt nec debent *carnaliter* intelligi h. e. secundum illam intelligentiam quam infirmitas naturae suggerit; animalis enim homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei [1]; sed *spiritaliter* idest secundum illam intelligentiam, quae nonnisi a Sp. Sancti illustratione descendit quaeque sola prodest ad salutem ».

747. *Obiectio III. — S. Augustinus habet,*[2]: « Si praeceptiva est « locutio (Scripturæ) aut flagitium vetans aut beneficentiam iubens, « non est figurata. Si autem flagitium videtur iubere aut beneficen- « tiam vetare, figurata est. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis* « (haec in exemplum ducit): facinus videtur iubere. Figura ergo est, « praecipiens passioni Domini esse communicandum et in memoria « recondendum, quod caro eius pro nobis crucifixa et vulnerata est : *ergo s. Doctor manducationem figuratam intelligit.*

Resp. — Cum certum sit s. Doctorem agnovisse realem manducationem, uti ex millenis eius locis patet, idcirco eius obiecta verba difficultatem quidem *exegeticam* exhibent, minime vero *dogmaticam*. Distinguatur ergo cum eodem s. Doctore [3] duplex modus loquendi *figurate*, alter *metaphoricus* proprie dictus, quo verba non id significant ad quod significandum instituta sunt, sicut homo fortis *leo*, mansuetus *ovis* appellari solet — alter *typicus* quo sensus proprius

1. 1. Cor. II. 14. - Matth. XVI. 17. — 2. De doct. christ. l. 3. c. 16. — 3. l. 3. c. 12.

non excluditur, sed illud quod per verba litteraliter et proprie exprimitur, simul *figura* et *typus* est rei alterius; sicut lotio pedum discipulorum figura et symbolum erat interioris munditiae ad Eucharistiam suscipiendam necessariae. Quare sicut quodam vero sensu Baptismus dici potest non corporis ablutio, sed emundatio animae [1], sic Eucharistia dici potest non esse carnis Christi manducatio, sed communicatio et memoria eius passionis, non ut realis manducatio excludatur, sed ut significetur eam ordinari ad sacramentalem animæ refectionem per oralem manducationem. Quo in sensu scribit Augustinus [2]: « Tunc vita unicuique erit corpus et sanguis Christi, si quod « in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter man- « ducetur, spiritualiter bibatur ».

748. **Conclusio II.** « *Idem augustissimum dogma clare comprobatur ex verbis institutionis* » (n. 361) — Quod ante annum Christus promisit, opere implevit. Factum *institutionis* ita enarrat Matthaeus [3] cui concinunt Marcus, Lucas et Paulus: « *Accepit panem et benedixit ac fregit deditque discipulis suis et ait: Accipite et comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit et dedit illis dicens: hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* ». Ex quibus sic: si semel constiterit verba Christi esse accipienda in sensu litterali proprio, iam dogma nostrum in luce meridiana positum erit. Atqui sensum proprium — a) postulat collatio horum verborum Christi cum verbis promissionis. Nam quod Christus absolute promisit, id procul dubio servavit. Atqui nullum alium locum est invenire praeter hunc, in quo adeo disertis solemnibusque verbis Christus det reapse carnem suam manducandam et sanguinem suum bibendum, uti ante annum promiserat: ergo. Postulat — b) regula interpretationis, nunquam obliteranda. Etenim sensus proprius in Scriptura præsumi debet quotiescumque non probetur metaphoricus. Atqui nulla suppetit sacramentariis ratio recedendi a sensu proprio: ergo — *Prob. min.* Ratio unica vel potissima, cur sacramentarii ad sensum figuratum confugiunt (fingentes sensum verborum Christi hunc esse: hoc idest hic panis est figura corporis mei), est apparens mysterii impossibilitas. Atqui haec ratio admitti nequit: hac enim semel admissa, lata aperitur via rationalismo omnibusque christianae religionis mysteriis valedicendum esset: ergo. Postulat — c) improbabilitas sensus metaphorici. Est enim lex in dicendo communis, ut res aliqua non sumatur pro altera re tamquam *signum* et *figura*, nisi id vel expresse moneatur — vel constet sive ex natura rei ipsius (sicut statua Cæsaris suapte natura pro Cæsare sumitur) — sive ex usu (sicut ex usu recepto ramus olivae pro pace

1. 1. Pet. III. 21. — 2. serm. 131. n. 1. — 3. Matth. XXVI. 26. seqq.

sumitur) — sive ex praecedente eaque nota institutione (sicut ex nota typi destinatione petra, unde Moyses extraxit aquam, erat Christus) — sive ex indole sermonis (sicut ex indole parabolarum ager est mundus, bonum semen sunt filii regni, zizania filii nequam). Atqui panis et vinum ex nulla ex recensitis causis signa sunt corporis et sanguinis Christi: ergo. Accedit in favorem sensus *proprii* — d) *ris pronominis* demonstrativi *hoc,* quod cum non possit referri ad panem, utpote qui est diversi generis, vel referendum est ad *corpus,* cum quo in eodem genere concordat, vel in confuso significat rem determinandam per praedicatum propositionis. Accedit — e) *consonantia* narrationis: incredibile enim est neminem ex quatuor scriptoribus inspiratis cogitasse obscuritatem locutionis auferre vel aliquam explicationem addendo, vel locutioni impropriae propriam substituendo. Accedit — f) *indoles Christi,* qui ne ipse esset causa erroris in infinita fidelium multitudine, qui ex simplicitate cordis credunt in Eucharistia vere et proprie esse corpus et sanguinem Domini, non propter aliam rationem, quam quia ipse dixit: *Hoc est corpus meum, hic est sanguinis meus:* debuisset statim ab initio aperire sensum figuratum suae locutionis. Accedit denique — g) auctoritas s. Pauli, qui l. c. dicit reos esse *corporis et sanguinis Domini qui manducant et bibunt indigne:* et alibi [1]: « *Calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio Domini est?* »

749. **Solvuntur difficultates** (n. 362-364). *Obiectio I. — Christus Eucharistiam instituit in sui memoriam. Atqui nil in memoriam sui relinquitur: ergo.*

Resp. — *dist. mai.* in memoriam suae passionis, uti clare docet Apostolus [2], *conc.* secus *nego:* et *dist. min.* sub eodem respectu *conc.* sub diverso respectu *nego.* Memoria enim non supponit rei *absentiam,* sed opponitur *oblivioni* quae oritur non solum ex rei absentia, verum etiam ex rei praesentis invisibilitate. Cum ergo Christus in Eucharistia adsit invisibiliter, idcirco sacramentum hoc quatenus visibile elementum complectitur, Christi memoria esse et dici poterit.

750. *Obiectio II. — Plura sunt Scripturae loca in quibus verbum* esse *significat* repraesentare *seu* figuram esse: *ergo.*

Resp. — a) retorquendo argumentum. Praeterea — b) si ex aliis Scripturae locis parallelis possent et deberent *metaphorice* intelligi verba Christi, quaerimus ab ipsis: undenam factum est ut usque ad saec. XVI. nemo viderit parallelismum illum? Concludendum est ergo criterium, unde determinari debet verus sensus verbi *esse,* suppeditari (ceteris omissis) a subiecta materia adiunctisque sermonis, quibus

1. 1. Cor. X. — 2. 1. Cor. XI. 26.

consultis apparebit, nullum parallelismum interesse inter verba Christi et illa testimonia.

751. *Obiectio III. — Vel ipsi catholici dissentiunt in determinanda significatione pronominis* hoc *et* hic: *ergo.*

Resp. — conc. antec.: nam s. Thomas [1] censet pronomen *hoc* designare in confuso substantiam indeterminatam ac determinandam per praedicatum — s. Bonaventura cum Halensi refert pronomen *hoc* ad panem convertendum — Scotus vero ad corpus. At quid pro sua doctrina ex hoc dissensu capiant sacramentarii, nescio; etenim doctores omnes catholici conveniunt in asserendo dogmate de reali Christi praesentia in ss. Eucharistia.

752. **Conclusio III.** « *Traditio quoque ecclesiastica in idem dogma conspirat* » (n. 365) — Revera — a) Patres comparatione instituta inter figuras Eucharistiae in V. T. (e. g. *manna, panes propositionis — agnus paschalis — sanguis* quo confirmatum fuit V. T. — *oblatio Melchisedech* [2]) et ipsam Eucharistiam, dicunt tantum interesse discrimen, quantum inter umbram et corpora, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria et exemplata. Ita Hieronymus [3] — Chrysostomus [4] — Cyrillus alexandrinus [5]. Item — b) mirantur prodigia stupenda quae realem Christi praesentiam comitantur, e. g. quod multiplicetur in infinitum praesentia humanitatis Christi [6] — quod Christus *ferebatur in manibus suis* [7] — quod corporeis hominibus incorporeus cibus praestetur [8] — quod immensus Deus nostris manibus nostrisque templis contineatur [9]. Item — c) rationes assignant cur Christus suam voluerit dare nobis carnem, ut sc. nos uniremur cum ipso non solum secundum dilectionem, sed etiam secundum rem [10] — ut ipsius praesentiam haberemus [11] — ut caro nostra in carnem ipsius transmutaretur atque ita antidotum in nobismetipsis haberemus adversus venenum peccati quo infecti sumus [12]. Item — d) ex hoc mysterio ea inferunt corollaria quae nonnisi realem Christi praesentiam supponunt sc. Eucharistiae *adorationem latreuticam* praestandam esse [13] — *magna cum reverentia* ad eam accedendum esse [14] — maximam esse *efficaciam commemorationis* quae tempore celebrationis Eucharistiae fit [15] — cum *corporis sanctitate* h. e. ieiunio hoc sacramentum esse sumendum [16] — grave esse crimen communionem indignam [17].

---

1. 3. p. q. 78. a. 5. — 2. Gen. XIV. 18. - cfr. s. Th. 3. q. 73. a. 6. — 3. ep. ad Tit. c. 1. — 4. hom. 23. in Io. n. 24. hom. 45. n. 3. — 5. adv. Nestor. l. 4. c. 5. — 6. Nyss. *or. cath.* c. 37. — 7. August. s. 1. in ps. 33. n. 10. — 8. s. Ephrem adv. scrutatores s. 10. — 9. Chrys. *De sacerd.* l. 3. n. 4. — 10. idem in Io. h. 46. al. 45. n. 3. — 11. Cyril. alex. in Matth. XXVI. 26. — 12. Nyss. *or. cath. c.* 37. — 13. Ambr. *De Sp. S. l.* 3. *c.* 11. — 14. Cyril. hieros. *cathech.* 5. *n.* 22. — 15. Chrysost. *hom.* 3. *n.* 7. - *hom.* 4. *n.* 4. — 16. August. *ad Ianuar. ep.* 54. *al.* 118. *n.* 8. — 17. Chrysost. *in Matth. hom.* 82. *al.* 83. - *in* 1. *Cor. hom.* 24. *n.* 4.

Item — e) principii instar hoc dogmate utuntur Patres ut alias comprobent veritates, e. g. veritatem carnis Christi adversus docetas: « Matres saepe sunt quae post partum infantes aliis nutricibus dant; « ipse vero id non passus est, sed nos proprio sanguine nutrit et per « omnia sibi copulat »: Chrysostomus [1] unionem hypostaticam in Christo, sine qua caro Christi non esset vivifica [2] — carnis nostrae resurrectionem statuunt, quae ex Christi promissis fructus est specialis sumptionis carnis Christi [3] — summam membrorum Ecclesiae inter se et cum capite coniunctionem [4]. Denique — f) ea dicere et repetere solent quae sacramentariis e diametro opponuntur; e. g. panem eucharisticum esse corpus Christi [5] — verba Christi litteraliter sumenda esse [6] — mysterium hoc non esse iudicandum secundum sensum, sed secundum fidem [7] — hoc sacramentum non gratiam tantum continere, sed ipsum gratiae auctorem [8] — corpus Christi non sola fide in hoc sacramento manducari [9] — in Eucharistia adesse accidentia panis et vini absque propria substantia [10].

753. **Corollarium** (n. 366) — Ex dictis patet praesentiam corporis et sanguinis Christi non esse alligatam tantum usui, ut contendunt lutherani, sed consecratione peracta tamdiu durare, quamdiu manent species consecratae. Hinc Trid. [11]: « Si quis dixerit, peracta conse- « cratione, in admirabili Eucharistiae sacramento non esse corpus et « sanguinem D. N. I. C. sed tantum in usu dum sumitur, non autem « ante vel post; et in hostiis seu particulis consecratis, quae post « communionem reservantur vel supersunt, non remanere corpus « Domini A. S. ».

ARTICULUS II.

De modo sacramentalis praesentiae Christi.

754. **Ecclesiae doctrina** (n. 367) — Modum quo Christus sacramentaliter existit, ita exhibet Trid. [12]: « Semper haec fides in Ecclesia « Dei fuit, statim post consecrationem verum D. N. corpus verumque « sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et « divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis et san- « guinem sub vini specie ex vi verborum; ipsum autem corpus sub « specie vini et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque

1. hom. mox cit. n. 5. — 2. Cyril. alex. *adv. Nestor. l.* 4. *c.* 5. — 3. idem *in Io. l.* 4. *c.* 2. — 4. idem l. c. l. 11. c. 11. — 5. Chrysost. *in* 1. *ad Cor. hom.* 24. *n.* 4. — 6. Ambros. *de mysteriis* c. 90. n. 50. — 7. Chrysost. in Matth. hom. 82. vel 83. — 8. Iustinus M. *Apol. I. n.* 65. — 9. Cyril. in Io. l. 10. c. 2. — 10. Lanfrancus *De corp. et sang. Domini* c. 18. — 11. sess. 13. cn. 4. — 12. l. c. cp. 3.

« vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi « Domini, qui iam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter « se copulantur: Divinitatem porro propter admirabilem illam eius « cum corpore et anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum « est, tantumdem sub alterutra specie atque sub utraque contineri; « totus enim et integer Christus sub panis specie et sub quavis speciei « parte, totus item sub vini specie et sub eius partibus existit »: et can. 3.: « Si quis negaverit in ven. sacramento Eucharistiae sub « unaquaque specie et sub singulis cuiusque speciei partibus, separa- « ratione facta, totum Christum contineri A. S. ». Sit ergo

755. **Conclusio unica** — « *Christus ita existit in venerabili Eucharistiae sacramento ut* — 1° *totus sit sub utraque specie* — 2° *totus sub qualibet speciei parte* — 3° *non modo post, sed etiam ante separationem* ».

Prob. 1. pars — *Vi verborum* sub specie panis *solum corpus,* sub specie vini *solus sanguis* existit: verba enim illud efficiunt quod significant. Atqui simul cum utroque adest inseparabiliter *anima* quae corpus et sanguinem informat et vivificat: corpori autem, sanguini et animae est hypostatice unita Divinitas: ergo.

Prob. 2. pars — Peracta fractione Christus vel desinit esse sub partibus divisis — vel remanet in una solummodo parte — vel partim sub una, partim sub alia particula — vel totus sub singulis. Atqui *primum* et *alterum* adversantur tum facto Christi qui probabiliter panem, certo vero calicem consecratum divisit porrexitque sumendum Apostolis — tum praxi Ecclesiae frangendi hostiam consecratam distribuendique particulas fidelibus — *tertium* repugnat statui glorioso Christi: ergo superest *quartum* ut nempe totum Christum profiteamur praesentem in singulis particulis divisis.

Prob. 3. pars — Egregia est argumentatio s. Thomae [1]: « Corpus « Christi est in hoc sacramento per modum *substantiae* idest per mo- « dum quo substantia est sub dimensionibus.... Manifestum est au- « tem quod natura substantiae (intellige *homogeneam)* tota est sub « qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur, sicut sub qua- « libet parte aëris tota est natura aëris, et sub qualibet parte panis « est tota natura panis; et hoc indifferenter, sive sint dimensiones « actu divisae, sive sint actu indivisae, divisibiles vero potentiâ. Et « ideo manifestum est quod totus Christus est sub qualibet parte spe- « cierum panis, etiam hostia integra manente, et non solum cum fran- « gitur, sicut quidam dicunt, ponentes exemplum imaginis quae ap- « paret in speculo una quidem in speculo integro, in speculo autem « fracto apparent singulae in singulis partibus ».

---

1. 3. p. q. 76. a. 3.

756. **Corollaria** (n. 373) — Ex his patet — a) sacramentalem Christi praesentiam esse similem praesentiae spiritus humani in corpore, quod informat, ideoque corpus Christi esse in Eucharistia non *circumscriptive*, sed *definitive* [1]. Sequitur — b) nullum corpus naturaliter posse agere in corpus Christi, quatenus in Eucharistia existit, neque ipsum obnoxium esse aliorum sensibus. Sequitur — c) uti egregie disserit Card Franzelin [2]: « Christum Dominum non posse *naturali virtute* « suae humanitatis exercere actus transeuntes in alia corpora; nec « posse, *spectata solum naturali virtute*, animam Christi agere in « proprium corpus sive ad motum, sive ad exercitium sensuum exter- « norum..... Videtur tamen dignitas ss. humanitatis exigere vel certe « eius dignitatem decere, ut Verbum supernaturali modo tribuat suae « humanitati etiam in hoc statu exercitium sensuum, quantum id my- « sterio fidei et fini sacramenti congruit ».

757. **Solvuntur difficultates** (n. 374-375). *Obiectio I. — Essentiale est corpori humano habere quantitatem, organismum ordinemque partium inter se. Atqui in corpore Christi eucharistico haec tria intelligi nequeunt: ergo.*

Resp. — Ut *indirecte* imprimis respondeamus — a) advertimus immerito exigere adversarios ut humana ratio ostendat mysterium hoc, quod fide credimus, esse evidenter possibile. Adverte — b) iudicia nostra de corporibus alia esse ordinis *physici* seu constanti experientiae innixa, alia esse ordinis *metaphysici*, quae ab essentia corporum pendent. Iudicia prioris generis sunt *hypothetice* certa, posteriora vero sunt *absolute* vera et certa ideoque immutabilia. Porro repugnantiae, quae generatim obiiciuntur, fundantur solummodo in *constantia legum physicarum*, nullatenus vero in ipsa corporum *essentia*. Ergo inferri tantum poterit, eas vigere pro *praesenti* ordine physico, non autem pro *omni* rerum ordine. Atqui Eucharistia ad alium rerum ordinem sc. supernaturalem pertinet: ergo.

Nunc ad aliqualem responsionem *directam*. Ad conceptum *quantitatis* duo pertinent sc. *pluralitas* et *extraneitas* partium; ad conceptum vero *organismi* praeterea requiritur ut partes sint *heterogeneæ* ac *certo ordine* dispositae et unitae unione vitali. Porro *exigentia* extraneitatis ac situalis veluti partium dispositionis quantitatem *internam* et organismum pariter *internum* constituere dicitur; *actualis* vero extraneitas et actualis partium dispositio constituit quantitatem *externam* et organismum pariter *externum*. Porro *essentialis* quidem est corpori organico quantitas *interna* itemque *internus* organismus quippe quae eius conceptum ingrediuntur; at essentialem non esse organismum *externum* evidenter patet ex dogmate statuto de

1. cfr. s. Th. 3. p. q. 76. a. 5. — 2. th. 11.

reali Christi praesentia deque modo existendi ipsius sub speciebus eucharisticis. Quare corpus Christi sacramentaliter existens, quia non desinit esse corpus, idcirco *interno* organismo gaudet; quia autem per divinam omnipotentiam leges physicae suspenduntur, *externo* caret organismo, qui minime essentialis est corpori.

758. *Obiectio II. — Repugnat unum idemque corpus simul esse pluribus in locis: ergo.*

Resp. — neg. *antec.* Et sane — a) non repugnat simultanea præsentia *continua* h. e. simultanea praesentia Christi in singulis partibus hostiae. Cum enim Christus existat in hoc sacramento *ad modum spiritus,* idcirco non repugnabit ipsi ille existendi modus, quem ratio tribuit humano spiritui in corpore humano. Quod si — b) haud repugnat simultanea praesentia *continua,* quis ostendet repugnare replicatam corporis praesentiam in locis *disiunctis?* Numquid propinquitas locorum causa est replicationis praesentiae corporis ad singulas partes loci? Ceterum « demus Deum aliquid posse quod nos fateamur investigare non posse » [1].

ARTICULUS III.

De eucharistica transsubstantiatione.

759. **Ecclesiae doctrina** (n. 376) — Circa modum quo Christus *fit praesens* in Eucharistia docet Trid. [2]: « Si quis dixerit in sacro-
« sancto Eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini
« una cum corpore et sanguine D. N. I. C.: negaveritque mirabilem
« illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus
« et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat spe-
« ciebus panis et vini; quam quidem conversionem catholica Eccle-
« sia aptissime transsubstantiationem appellat A. S. ».

760. **Transsubstantiationis conceptus** (n. 377-378) — *Conversio* generatim est transitus unius rei in aliam. Ad eius conceptum tria pertinent: — a) *duplex* terminus unus *a quo* qui desinit, alius *ad quem* qui succedit. In utroque vero termino distinguere oportet terminum *totalem* et *formalem:* terminus *totalis a quo* est ille qui desinere dicitur, *formalis a quo* est illa ratio entis secundum quam terminus desinit. Item terminus *totalis ad quem* est ille qui ex conversione prodit quique incipere dicitur, *formalis ad quem* est illa ratio entis secundum quam terminus novus incipit existere. Praeterea — b) inter desitionem termini *a quo* et successionem termini

1. Aug. ep. 137, al. 3. ad Volus. n. 8. — 2. sess. 3. cn. 2. - cfr. prop. 29. a Pio VI. damn. in pistoriens.

ad quem interesse debet aliquis *nexus,* vi cuius desitio unius exigat successionem alterius. Denique — c) utrique termino debet esse aliquid *commune* h. e. aliquid quod ex termino *a quo* perseveret in termino *ad quem*. Porro duplex conversionis species concipi potest: *prior* qua una substantia convertitur in aliam, manente eadem materiâ primâ et sola forma substantiali mutata; et haec appellatur *transformatio,* cuiusmodi est conversio cibi in carnem — *posterior* est qua tota quaedam substantia secundum materiam et formam in totam quamdam aliam convertatur, manente dumtaxat aliquo accidentali tamquam elemento *communi;* et haec *transsubstantiatio* nuncupatur. Huiusmodi est *transsubstantiatio eucharistica* quae ex Conc. Trid. definiri potest: « mirabilis illa et singularis conversio totius substantiæ « panis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem Domini, ma- « nentibus dumtaxat speciebus panis et vini ». In hac terminus *a quo totalis* est panis et vinum, *formalis* substantia panis et vini — terminus *ad quem totalis* est corpus et sanguis Domini cum accidentibus panis et vini, *formalis* est corpus et sanguis Christi.

761. **Errores** (n. 379) — Dogma transsubstantiationis inficiantur lutherani, qui contendunt una cum corpore et sanguine Christi manere panis et vini substantiam, adeo ut corpus Christi sit *cum, sub, in pane,* vel per quamdam humanitatis Christi *ubiquitatem,* vel per *coniunctionem* quamdam corporis cum pane, sanguinis cum vino, vel *impanationem* seu assumptionem hypostaticam panis, vel per *sacramentalem quamdam unionem* in eo sitam quod ex Christi institutione pani et vino benedictis, tamquam mediis divinitus ordinatis, modo incomprehensibili uniantur corpus et sanguis Christi atque ita fiat unus spiritualis cibus et potus.

762. **Conclusio unica** — « *Christus præsens fit in Eucharistia per conversionem totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem suum, quae conversio aptissime transsubstantiatio dicitur* » (n. 381-382) — Splendidum argumentum suppeditant verba institutionis. Hæc enim — a) si *speculative* spectentur, significant identitatem substantialem inter subiectum et prædicatum. Atqui nequaquam foret hæc identitas, manente substantia panis et vini, quæ profecto non est idem cum corpore et sanguine Christi: ergo. Item — b) eadem verba si *practice* sumantur, id efficiunt quod significant. Atqui significant identitatem substantialem inter subiectum et praedicatum: ergo hanc efficiunt. Atqui illam efficere nequeunt nisi cessante substantia panis et vini: quousque enim duae substantiae simul existunt sub eisdem accidentibus, pronomen demonstrativum *hoc* ad illam refertur, quae connaturaliter per illa accidentia demonstratur. Atqui substantia connaturaliter demonstrata per accidentia in casu nostro est panis: ergo pronomen *hoc* ad panem refertur, et sensus esset: *panis est corpus Christi,* quae propositio falsa est. Requiritur ergo ad veritatem ver-

borum Christi ut panis et vini substantia desinat, cum esse incipiunt corpus et sanguis Domini.

763. **Solvuntur difficultates** (n. 384). *Obiectio I. — Accidentia panis et vini vel gaudent obiectiva realitate, vel secus. Si primum, ergo adhuc remanet substantia connaturalis illa sustentans: si alterum, ergo hoc sacramentum nos decipit.*

Resp. Certum est — a) contra quosdam philosophos catholicos qui post invectam cartesianam philosophiam, duce praesertim P. Maignam, defendere cœperunt species sacramentales nequaquam esse aliquid *reale* et *physicum,* sed solummodo impressiones in nostris sensibus et modificationes in obiectis circumpositis per immediatam operationem Dei, accidentia eucharistica *obiectiva realitate* gaudere. Dum enim Concilia docent *cessare* per verba evangelica panis et vini substantiam solasque species *remanere,* procul dubio substantiam et accidens eo sensu intelligunt quo tunc temporis a Doctoribus sumebantur. Atqui communiter tunc specierum nomine intelligebatur aliquid *obiectivum,* physicam habens realitatem: ergo. Idcirco merito Catechismus Romanus [1] nostram sententiam proponit tamquam perpetuam et constantem Ecclesiae doctrinam. Secus quomodo Eucharistia esset *sacramentum* sc. signum *sensibile* gratiae? Sunt vero — b) « in hoc sacramento sine subiecto, quod quidem virtute divina fieri potest. « Cum enim effectus magis dependeat a causa prima quam a causa « secunda, Deus, qui est prima causa substantiae et accidentis, per « suam infinitam virtutem conservare potest *in esse* accidens, subtractâ substantiâ, per quam conservabatur *in esse* sicut per propriam « causam; sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis, sicut humanum corpus formavit in « utero Virginis sine virili semine » [2].

764. *Obiectio II. — In sacramento veritatis nihil decet esse falsum. Atqui accidentia sunt naturalia signa subexistentis substantiae: ergo.*

Resp. — Angelicus [3]: « In hoc sacramento non est aliqua deceptio « neque fictio. Non enim sensus decipitur, quia non habet iudicare « de sensibilibus speciebus, quae quidem vere ibi sunt sicuti sensibus « ostenduntur. Neque etiam intellectus decipitur, qui habet iudicium « de substantiis rerum per fidem iuvatus ».

765. *Obiectio III. — Ubi sunt effectus panis et vini, ibi adest eorum substantia. Atqui id contingit in Eucharistiae sacramento: ergo.*

Resp. Profecto — a) species sacramentales possunt *corrumpi:* « sicut « enim *esse* horum accidentium potest corrumpi, substantia panis et « vini existente, ita etiam potest corrumpi, substantia illa abeunte » [4].

---

1. p. 2. de Euch. n. 44. — 2. s. Th. 3. p. q. 77. a. 1. — 3. in 4. dist. 11. q. 1. a. 1. qcla 2. ad 1. — 4. s. Th. 3. p. q. 77. a. 4.

Sicut autem — b) ex lege physica substantia panis et vini tamdiu subest propriis accidentibus, quamdiu haec permanent, horum vero mutatio specifica naturaliter postulat et indicat mutationem panis et vini in aliam substantiam respondentem accidentibus mutatis; ita ex lege sacramentali corpus et sanguis Christi tamdiu subsunt speciebus sacramentalibus, quamdiu hae sunt specifice accidentia panis et vini, cessant vero accidentibus specifice mutatis. Ratio est quia corpus et sanguis Christi succedunt in hoc sacramento substantiae panis et vini [1]. Cessante vero — c) corpore et sanguine Christi, succedit illa substantia quae successisset naturali desitioni panis et vini, substantia nempe respondens accidentibus immutatis, quae quidem substantia ad novorum accidentium exigentiam divinitus creatur [2]. Ex his intelligitur — d) quomodo e. g. species sacramentales possint *nutrire, inebriare* etc... Scilicet quod nutrit, quod inebriat etc... non sunt accidentia; ut enim ait Aristoteles [3] *alimentum nutrit prout est substantia quaedam,* species autem non sunt substantia. Cum ergo nutritio non contingat absque cibi mutatione, idcirco cum fit nutritio, iam species immutatae sunt; speciebus autem immutatis iam subesse incepit alia substantia *quae proprie nutrit* [4].

766. **Corollarium I.** (n. 388) — Ex disputatis consequitur — a) actionem transsubstantiativam non esse meram *adductionem,* sed *reproductionem* seu *replicationem* sacratissimae humanitatis Christi, quatenus ea sistitur sub speciebus eucharisticis. Ad conversionis enim conceptum requiritur ut terminus *ad quem* mutationis *producatur* vel *simpliciter* si non iam praexistit, vel *secundum quid* si iam extet. Atqui transsubstantiatio est in genere *conversionis:* ergo ad eius veritatem requiritur ut Christus præsens ponatur per actionem, quae ad eius productionem sufficeret quaeque recte dici potest *reproductio* vel *replicatio.* Sequitur — b) panis et vini substantiam recte non dici *annihilari;* non enim cessat ut *nihil* sit, sed ut ipsi succedat corpus et sanguis Christi [5].

767. **Corollarium II.** (n. 389) — Sequitur etiam Christum fieri praesentem in Eucharistia non aliis quam ipsis evangelicis verbis quibus divinus Salvator hoc instituit sacramentum. Quod explicite declaravit contra graecos schismaticos Eugenius IV. [6]: « Forma huius « sacramenti sunt verba Salvatoris quibus hoc confecit sacramen- « tum » [7]. Nec refert, uti obiiciunt graeci, quod in liturgiis orientalibus necnon quibusdam occidentalibus post verba evangelica con-

1. ib. — 2. Rem aliter explicat Angelicus (a. 5.). — 3. 2. de an. tex. 47. — 4. cfr. s. Th. a. 6. — 5. cfr. s. Th. q. c. a. 3. — 6. in decr. pro Iacobitis et in instr. pro Armenis. — 7. Cui doctrinæ suffragantur tum Conc. Trid. (sess. 13. c. 3.), tum Pius VII. in Brevi ad patriarcham Melchitarum (8 mai. 1822).

secrationis sequatur invocatio Sp. Sancti ut « proposita et sancta « dona sanctificet sua praesentia et transmutet in ipsum corpus et « sanguinem nostrae liberationis ». Cum enim tota illa pars Missae quae appellatur *actio* vel *canon*, considerari debeat tamquam *una actio sacrificialis*, cuius centrum et essentia in verbis evangelicis consecratoriis sita est; idcirco diversi ritus diversaeque praeces quae praecedunt aut subsequuntur tempus consecrationis, eo pertinent ut quod faciendum vel factum iam fuerit, distinctius declaretur ad animi devotionem magis excitandam.

768. **Scholion I.** *Falsitas nonnullarum opinionum circa eucharisticam transsubstantiationem* (n. 390) — Docuere nonnulli — a) cessare quidem *materiam* panis, manere autem eius *formam substantialem* una cum corpore Christi: alii vero cum Durando [1] — b) desinere *formam* substantialem panis, non vero eius *materiam:* nec defuere — c) qui distinctione facta inter *substantiam* panis et *naturam* panis, dicerent corpus Christi *sustentare naturam panis* quae hoc ipso desinit esse *substantia*, cum non sit amplius *in se* et *per se*. Porro quantum aberrent huiusmodi explicationes, nemo est qui non videat. Etenim ex Trid. per eucharisticam transsubstantiationem *tota* cessat panis ac vini substantia, atque ita ut *nonnisi accidentia remaneant*. Atqui, quantumvis subtiliter distinguas inter *substantiam* et *naturam*, profecto *naturam* nunquam inter accidentia recensebis, nunquam item materiam aut formam panis appellabis accidentia: ergo. Hinc merito s. Congregatio U. I. [2] tertiam memoratam sententiam proscripsit in quatuor propp. explicatam et contentam.

769. **Scholion II.** *Rosminii doctrina* (n. 391) — En — a) quomodo Rosminius explicat transsubstantiationem: « A catholica do- « ctrina, quae sola est veritas, minime alienam putamus hanc « coniecturam: In eucharistico sacramento substantia panis et vini « fit vera caro et verus sanguis Christi, quando Christus eam facit « terminum sui principii sentientis ipsamque sua vita vivificat: eo « ferme modo quo panis et vinum vere transsubstantiantur in nostram « carnem et sanguinem, quia fiunt terminus nostri principii sen- « tientis » (prop. 29). Porro ita argumentari licet: fieri terminum principii sentientis in doctrina Rosminii idem est ac fieri obiectum actualis perceptionis sensitivae, idem est ac *uniri* principio sensitivo, quod vitam communicat rei unitae ac perceptae quodque est *anima:* ergo substantia panis et vini fit caro et sanguis Christi quatenus percipitur a principio sensitivo, quod est in Christo; quatenus ipsi unitur ac vivificatur eadem vitâ sensitivâ qua vivit Christus. Atqui per haec haud *cessare* intelligitur substantia panis et vini: ergo.

1. in 4. dist. 11. q. 3. — 2. 7 iul. 1875. - cfr. s. Th. 3. q. 75. a. 6.

Hinc — b) sequitur corpus Christi sacramentale vere augeri per illam quantitatem panis, quae incipit vivificari a Christo atque ita evadit *nova caro* Christi. Et revera docet Rosminius prop. 30: « Peracta « transsubstantiatione intelligi potest corpori Christi glorioso partem « aliquam adiungi in ipso incorporatam, indivisam pariterque glorio- « sam » — En præterea — c) quam efficaciam tribuit Rosminius verbis evangelicis consecrationis: « In sacramento Eucharistiae *vi verborum* « corpus et sanguis Christi est tantum ea mensura, quae respondet « quantitati (a quel tanto) substantiae panis et vini quae transsub- « stantiatur: reliquum corporis Christi ibi est *per concomitantiam* »: prop. 31. Atqui docet Trid. *vi verborum* esse sub respectivis speciebus *corpus* Christi et sanguinem, profecto *totum:* adesse vero *per concomitantiam sanguinem* sub specie panis, *corpus* sub specie vini, *animam* et *divinitatem* sub utraque specie: patet ergo Rosminium aperte adversari doctrinae Ecclesiae.

ARTICULUS IV.

De Eucharistiæ effectibus et necessitate.

770. **Conclusio I.** « *Effectus eucharistici sacramenti in anima suscipientis — 1° non est per se vitae spiritualis inchoatio, sed — 2° eius conservatio et augmentum* ». — Conclusio est *de fide catholica* contra Lutherum et Calvinum ex Trid. [1]: « Si quis dixerit vel praecipuum « fructum ss. Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non « alios effectus provenire A. S. » — « Ecclesiastica autem consuetudo « declarat eam probationem (esse sc. in statu gratiæ) necessariam esse « ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quamtumvis sibi contritus « videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram « Eucharistiam accedere debeat » [2].

Prob. 1. pars — Apostolus [3] hanc promulgat sententiam: « *Quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini* ». Atqui manducare et bibere *indigne* significat hoc suscipere sacramentum *in statu peccati:* ergo. *Prob. min.* — a) ex authentica interpretatione Trid. [4]. Item — b) ex sensu theoretico et practico christianæ antiquitatis: « Nullus Iudas « adsit... Si quis discipulus non est, recedat; non recipit haec mensa « eos qui tales non sunt. Cum discipulis, inquit, meis facio pascha » [5]: quam animae munditiem — c) figuravit Christus in parabola hominis, qui ad regias nuptias ingressus est non vestitus veste nuptiali [6] — d)

1. sess. 13. c. 7. cn. 5. — 2. Conc. Trid. c. 7. — 3. 1. Cor. XI. 27. — 4. cp. 7. — 5. s. Chrysost. in Matth. hom. 37. n. 5. — 6. Matth. XXII. 11.

insinuavit in lotione pedum quam huius sacramenti institutioni praemisit [1] — et exigit natura sacramenti. Christus enim illud instituit per modum *cibi* et *potus* [2]. Atqui cibus *praesupponit* vitam, ad quam conservandam et roborandam datur: ergo [3].

Prob. 2. pars — Ut enumeremus effectus praeclaros huius caritatis divinae mysterii, sequentia ex ordine statuimus:

a) *Generatim* sic describit Angelicus huius sacramenti virtutem [4]: « Effectus huius sacramenti debet considerari *primo* quidem et principaliter ex eo quod in ipso continetur quod est Christus; qui sicut « in mundum visibiliter veniens contulit mundo vitam gratiæ iuxta « illud Io. [5]: *gratia et veritas per I. C. facta est:* ita in hominem « sacramentaliter veniens vitam gratiae operatur iuxta illud Io. [6]: « *Qui manducat me, vivet propter me..... Secundo* consideratur ex eo « quod per hoc sacramentum repraesentatur quod est passio Christi. « Et ideo effectum, quem passio Christi fecit in mundo, hoc sacra- « mentum facit in homine..... *Tertio* ex modo quo illud traditur sc. « per modum cibi et potus. Et ideo omnem effectum, quem cibus et « potus materialis facit quantum ad vitam corporalem, quod sc. su- « stentat, auget, reparat et delectat, hoc totum facit hoc sacramen- « tum quoad vitam spiritualem ».

b) *Nominatim* effectus huius sacramenti recenset Eugenius IV. [7] dicens: « Omnem effectum quem materialis cibus et potus quoad vi- « tam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, delectando, « sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem ». Porro — α) *conservat* vitam spiritualem quia « est antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur » [8]. Praeservat autem a mortalibus conferendo actualia Dei auxilia ad peccata vitanda [9]. Cum sit cibus — β) *auget* vitam gratiae eamque promovet, magis magisque perficiendo in nobis illa Christi lineamenta, quae vi spiritualis generationis contraximus: « Cibus sum grandium, ait Au- « gustinus [10]; cresce et manducabis me, nec tu me in te mutabis, « sicut cibus carnis tuæ, sed tu mutaberis in me ». Insuper — γ) *reparat* damna spiritualia, liberando a culpis quotidianis h. e. venialibus. « In hoc enim sacramento duo possunt considerari sc. ipsum sacra- « mentum et res sacramenti. Et ex utroque apparet quod hoc sacra- « mentum habet virtutem ad remissionem venialium. Nam hoc sacra- « mentum sumitur sub specie cibi nutrientis. Nutrimentum autem « cibi necessarium est corpori ad restaurandum id quod quotidie de- « perditur per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidie

1. Io. XIII. 4. — 2. Io. VI. 56. — 3. cfr. s. Th. 3. p. q. 79. a. 3. — 4. q. c. a. 1. — 5. Io. I. 17. — 6. Io. VI. 58. — 7. Instr. pro Armenis. — 8. Trid. sess. 13. c. 2. — 9. cfr. s. Th. q. c. a. 6. — 10. Confess. l. 7. c. 10.

« in nobis deperditur ex calore concupiscentiae per peccata venialia, « quae diminuunt fervorem charitatis. Et ideo competit huic sacra- « mento ut remittat venialia. Unde et Ambrosius dicit [1]: « *Iste panis* « *quotidianus sumitur in remedium quotidianae infirmitatis.* Res « autem huius sacramenti est charitas non solum quantum ad habitum, « sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc sacramento, « per quem venialia remittuntur. Unde manifestum est quod virtute « huius sacramenti remittuntur venialia » [2]. Denique — δ) *delectat* infundendo suavitatem quamdam spiritualem, qua bona terrena desipiunt, sapiunt coelestia: est enim *panis vivus de coelo descendens* et *angelorum esca.* Hinc robuste s. Maternus [3]: « Scimus quibus « remediis artis tuae venena vincantur, o diabole! Christi immortalem « sanguinem bibimus, nostro sanguini sanguis Christi adiunctus est. « Hoc est salutare remedium scelerum tuorum, quod a Dei plebe « mortiferum virus excludit ».

c) Intimam unionem cum Christo efficit: « *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo* » [4]: necnon arctam coniunctionem fidelium inter se causat iuxta verba Apostoli [5]: « *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus* » [6].

d) Denique est *pignus futurae gloriae.* Cum enim proprium sit huius sacramenti fovere unionem nostram cum Christo et amorem in ipsum, inchoat iam hic in terris illam unionem animae cum Deo, quae completa et consummata erit in visione, fruitione et charitate perfecta quae erit in gloria. Hinc Christus [7]: « *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* ».

771. **Conclusio II.** « *Alter sacramenti eucharistici effectus est futura gloriosa corporis resurrectio* » (n. 397-398) — Quod — a) aperte declaravit Christus [8] « *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* ». Egregia vero est — b) ratio congruentiae quam ex Vasquez [9] ita exponere possumus. Amor — α) suapte natura tendit ad realem unionem amantium inter se eo modo quo fieri potest: ex quo fit — β) ut Christus postquam a nobis intra viscera et carnem nostram sumptus est, corpora nostra aestimet, diligat et tractet sicuti carnem et ossa sua. Idcirco Patres nonnulli Baptismum considerant tamquam spirituales nuptias Christi cum anima, Eucharistiam vero tamquam nuptiarum veluti consummationem. Ex quo sequitur etiam — γ) Christum conformare hic in terris carnem nostram carni suae, extinguendo in

1. De sacram. l. 5. c. 4. — 2. s. Th. 3. p. q. 79. a. 4. — 3. De errore prof. relig. c. 22. — 4. Io. VI. 57. — 5. 1. Cor. X. 17. — 6. cfr. s. Th. q. c. a. 5. — 7. Io. VI. 59. — 8. ib. 55. 49. — 9. disp. 204.

nobis concupiscentiam tum per uberiora gratiae auxilia interna et externa, tum infundendo veluti novum palatum, quo desipiunt bona carnalia, sapiunt spiritualia, tum etiam minuendo ipsas cupiditates atque veluti restaurando originalem corporis integritatem per quamdam immediatam præternaturalem humorum attemperationem, sicut in quibusdam Sanctis factum esse ex historia novimus. At præterea — δ) nemo unquam carnem suam odio habet [1], et Christus in carne propria resurgens ex mortuis iam non moritur. Ergo cum propter physicum contactum carnis nostrae cum carne sua mediantibus speciebus sacramentalibus et propter spiritualem unionem inde consequentem, Christus aestimet, diligat, tractet carnem nostram ut suam, conformabit quoque corpus nostrum incorruptibili et immortali corpori suo, dando ipsi immortalitatem. Quod fit — ε) non per derivationem in corpore nostro alicuius qualitatis instar seminis, sed per peculiarem titulum ad resurrectionem fundatum in identitate carnis nostrae cum carne Christi. Quare merito Patres comparant hunc cibum ligno vitae [2], quod vitam corporalem tribuebat perpetuam.

772. **Conclusio III.** « *Sumptio eucharistica* — 1° *non est necessaria necessitate medii ad salutem, sed solummodo* — 2° *necessitate præcepti necnon* — 3° *necessitate quadam quae moralis dici potest* » (n. 399-401) — Prima pars, quatenus *infantes* respicit, est *de fide catholica* ex Trid. [3]: « Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis « pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem A. S. ». Huc quoque spectat prop. 32. in Rosminio damnata: « Quoniam qui « non manducat carnem Filii hominis et bibit eius sanguinem, non « habet vitam in se; et nihilominus qui moriuntur cum baptismate « aquae, sanguinis aut desiderii, certo consequuntur vitam aeternam, « dicendum est, his qui in hac vita non comederunt corpus et « sanguinem Christi, subministrari hunc celestem cibum in futura « vita, ipso mortis instanti. Hinc etiam Sanctis V. T. potuit Christus « descendens ad inferos seipsum communicare sub speciebus panis « et vini ut aptos eos redderet ad visionem Dei ».

Prob. 1. pars — Eucharistia eatenus esset *absolute* necessaria ad salutem, quatenus sine ipsa impossibilis esset vel vitae spiritualis inchoatio, vel in statu gratiae perseverantia. Atqui *non primum*, uti iam demonstratum est — Non *alterum*, uti patet ex eo quod nonnisi per peccatum a gratia excidimus, peccata autem possumus per aliquod tempus vitare absque hoc sacramento: ergo.

Prob. 2. et 3. pars — Sacramentum hoc necessarium esse — a) necessitate praecepti *ecclesiastici*, patet ex Lateran. IV. et Trid. [4]:

---

1. Eph. V. 29. — 2. Gen. III. — 3. sess. 21. c. 4. cn. 4. — 4. cp. *Omnis* - sess. 13. cn. 9.

necessarium esse — b) necessitate praecepti *divini* clare edicunt verba Christi [1]: « *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* »: necessarium esse — c) necessitate medii *morali* [2], quatenus sit medium admodum efficax ad perseverandum in gratia atque hunc in finem fuerit divinitus institutum, ex eo constat quod Christus illud instituerit sub visibili forma *cibi* et *potus*. Non enim immerito dici poterit ita se habere hunc panem quoad vitam spiritualem, sicut se habet corporalis cibus quoad corporalem vitam. Atqui vita corporalis absque cibo duci nequit per diuturnum tempus: ergo qui *voluntarie* panem hunc cœlestem negligunt, perseverantiam in gratia, saltem ordinario, non assequuntur. Quod quotidiana experientia confirmat.

773. **Scholion I.** *De sumptione eucharistica sub utraque specie* (n. 402) — Docuere nonnulli, duce Hus, sumptionem Eucharistiae sub utraque specie fidelibus necessariam esse: quos *calixtinos* appellatos damnavit Conc. Constantien. [3]. Hanc deinde doctrinam a novatoribus suscitatam proscripsit Trid. [4]: « Si quis dixerit ex Dei « praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles « utramque speciem ss. Eucharistiæ sacramenti sumere debere A. S. ». Revera si qua esset necessitas sumendi utramque speciem, ea petenda esset vel ex eoquod sub utraque specie plus contineretur quam sub una — vel ex indole sacramenti eoquod nempe per modum cibi et potus fuerit institutum — vel ex Christi præcepto. Atqui non *primum*, cum totus Christus sub utraque specie contineatur — Non *secundum*,

1. Io. VI. 54. — 2. Immerito Rosminius deducit *absolutam* Eucharistiæ necessitatem ex verbis Christi mox relatis. Ad cuius rei intelligentiam distingue — a) inter *rem* sacramenti et *sacramentum* ipsum. *Res* sacramenti est unio cum Christo quæ *inchoatur* per Baptismum, *consummatur* per Eucharistiam: *sacramentum* vero tribus modis suscipi potest sc. *realiter* per sumptionem specierum sacramentalium — *per votum* i. e. per desiderium — *virtualiter* h. e. per susceptionem Baptismi qui naturâ suâ ordinatur ad Eucharistiam (cfr. s. Th. 3. p. q. 73. a. 3. — q. 79. a. 1. ad 1.). Porro — b) *res sacramenti* profecto necessaria est necessitate medii ad salutem sicut gratia ipsa sanctificans. Idcirco — c) saltem *virtualis* susceptio Eucharistiæ necessaria est *omnibus* necessitate medii ad salutem. Item — d) susceptio *in voto* explicito vel implicito necessaria est adultis necessitate medii ad salutem eoipso quod susceptio *realis* necessaria est necessitate *praecepti*. At — e) *realem* susceptionem Eucharistiae necessariam non esse necessitate medii, patet ex datis argumentis; et contra Rosminium dicere possumus, saltem huiusmodi necessitatem inferri non posse ex verbis Christi, cum ea optime intelligi possint *de re sacramenti* vel, si de *sacramento*, de eius sumptione *reali* si possibilis sit, vel *in voto* quoad adultos si *realis* sumptio sit impossibilis, vel *virtualis* per susceptionem Baptismi *in re* vel *in voto*. — 3. sess. 13. cfr. quoque art. 18. ex illis de quibus interrogandi erant suspecti errorum Wicleffi et Hus. — 4. sess. 21. cn. 1.

cum ratio spiritualis alimoniae satis servetur in unius quoque speciei sumptione — Non *tertium*, ad quod probandum provocant adversarii ad verba Christi: « *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* ». Quominus enim ex hisce verbis ea necessitas inferatur, obstat Ecclesiae praxis et authentica interpretatio Tridentini [1].

774. **Scholion II.** *De veritate et constitutivis sacramenti eucharistici* (n. 403) — Eucharistiam — a) esse verum sacramentum, ex disputatis liquet: est enim *signum sensibile* per species panis et vini — *efficax gratiae* uti patet ex dictis de eius effectibus — *divinitus institutum* uti constat ex verbis Christi: « *Hoc facite in meam commemorationem* »: quibus significavit permanens esse debere in Ecclesia illud quod ipse fecerat [2]. At — b) quaenam sunt constitutiva intrinseca? Si sacramentum hoc spectetur *in fieri,* cum sc. consecratio peragitur, ex Conc. Flor. [3] *materia* sacramenti in statu *transeunte* est panis triticeus sive azymus, sive fermentatus et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet [4] — *forma* autem sunt verba: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus* — Si autem consideretur *in facto esse*, ex doctrina Catechismi Conc. Trid. [5] essentia huius sacramenti *in solis speciebus consecratis* consistit, quæ *materiam* constituunt quatenus sunt aliquid sub sensus cadens; sunt *forma*, quatenus *consecratae sunt,* atque ideo quatenus verba consecrationis *moraliter permanent* in speciebus. Propterea *communio* non est nisi sacramenti *applicatio.* Hinc haud immerito Eucharistiae sacramentum definiri potest: « *Sacramentum corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini ad spiritualem fidelium refectionem a C. D. institutum* ».

775. **Scholion III.** *De ministro sacramenti eucharistici* (n. 404). Solus sacerdos est minister *confectionis;* quod adversus Albigenses iam definiverat Later. IV. et iterum contra novatores Trid. [6]. Ex huius enim declaratione catholica Ecclesia eo in sensu semper intellexit Christi verba: « *Hoc facite in meam commemorationem* » ut ad solos sacerdotes sint referenda. Idcirco — b) soli sacerdotes erunt *ordinarii* ministri *dispensationis* — c) Diaconi vero sunt ministri *extraordinarii* Eucharistiae *dispensandae;* constat enim ex pluribus Patrum testimoniis, praxim olim viguisse ut ex delegatione diaconi quoque Eucharistiam fidelibus dispensarent.



1. l. c. cp. 1. — 2. cfr. s. Th. 3. q. 73. a. 2. — 3. Decr. pro Armenis. — 4. cfr. s. Th. 3. q. 74. a. 6. — 5. p. 2. c. 8. — 6. sess. 22.

CAPUT II.

De incruento Missae sacrificio [1].

ARTICULUS I.

De veritate sacrificii eucharistici.

776. **Idea sacrificii** (n. 406 407) — Sacrificium definitur: « *Oblatio rei sensibilis substantialis Deo facta per eiusdem realem vel aequivalentem destructionem, legitime instituta ad agnoscendum supremum Dei dominium, et in hypothesi lapsus ad profitendam divinam iustitiam hominisque reatum* ». Idcirco — a *materia* i. e. *victima* sacrificii est res *substantialis* et *sensibilis* — b) *forma physica* h. e. *actio sacrifica* est realis vel aequivalens victimae destructio [2] — c) *forma metaphysica* est *finis* sacrificii: quapropter — d) sacrificium est substitutio quaedam victimae loco hominis ipsius, qui, cum ipse deberet semet mactare et Deo offerre ad exprimendum supremum Dei dominium et proprium reatum, rem aliquam substantialem sibi substituit, praesertim viventem vel quae ad vitam sustentandam inservit: atque huiusce rei destructione vel aequivalenti exinanitione Deum colit suumque reatum confitetur.

777. **Ecclesiae doctrina** (n. 408) — Porro praeses quaestio est utrum Eucharistia sit N. L. sacrificium. Negant novatores saec. XVI. quamvis permittant illam dici sacrificium sensu *improprio*, sicut quaelibet gratiarum actio vel virtutis actus. Affirmat catholica doctrina a Tridentino sic proposita [3]: « Si quis dixerit in Missa non offerri Deo « verum et proprium sacrificium aut quod offerri non sit aliud quam « nobis Christum ad manducandum dari A. S. ».

778. **Conclusio unica** — « *Veritas sacrificii eucharistici quod offertur in Missa, invicte demonstratur* — 1° *ex Scripturis* — 2° *ex Traditione* — 3° *suadetur quoque ex ratione fide illustrata* » (n. 410-417).

Prob. 1. pars — Quadruplex est argumentum ex Scripturis sc. eucharisticum sacrificium fuit in V. L. *praedictum* — a Christo *promissum* ac *institutum* — ab Apostolis iam *usu habitum*.

1° *Ex promissione V. L.* Ceteris omissis ad unum Malachiam provocamus qui [4] sic inducit Deum sacerdotes alloquentem: « *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum*

1. cfr. de vi huius nominis s. Th. 3 p. q. 83. a. 4. ad 9. — 2. cfr. s. Th. 3. p. q. 22. a. 2. ad 2. et dicta n. 590. — 3. sess. 22. cn. 1. — 4. Mal. I. 10.

magnum est nomen meum in gentibus et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus ». Porro heic Deus novum promittit sacrificium, substituendum sacrificiis mosaicis. Atqui — a) novum hoc sacrificium non est aliud *iudaicum* sacrificium, quia sacrificia iudaica erant simpliciter reprobanda: « *Munus non suscipiam de manu vestra* » — non est sacrificium aliquod *gentilium* quippe quod cum idolis offeratur, esse nequit *oblatio munda* — non est cruentum sacrificium *crucis* quippe quod nonnisi *semel* et *uno in loco* oblatum est — non sunt sacrificia *improprie* dicta precum, eleemosynarum, operum bonorum etc..., siquidem sacrificia haec ab initio mundi extiterunt nec unquam abrogata sunt. Ergo per exclusionem infertur illud esse Missam, in qua Christiani credunt offerri Deo verum sacrificium per oblationem corporis et sanguinis Christi. Ceterum — b) Eucharistia vere est *oblatio munda,* Christus nempe qui est *agnus sine macula sanctus, innocens, impollutus* — eius celebratio *universalis* est — ipsa est insignis glorificatio nominis Dei per magnam exinanitionem Christi sub eucharisticis speciebus.

2° *Ex Christi promissione.* Christus enim in sermone cum Samaritana haec dixit [1]: « *Mulier crede mihi quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem ..... sed venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate* ». Porro Christus de illa adorationis specie heic loquitur quae *sacrificio* continetur: hinc enim verbum *adorare* quandoque in Scripturis sumitur pro sacrificii oblatione [2]: inde vero Christus verbum *adorare* eodem sensu accepit, quo mulier samaritana, quae procul dubio de illa adoratione loquitur quam Samaritanorum patres in monte Garizim Deo exhibebant quaeque erat adoratio per *sacrificium.* Atqui adoratio sacrificialis, de qua Christus, alia non est quam Eucharistiae celebratio: ergo — *Prob. min.* Adoratio sacrificialis quam hic Christus promittit, futura est *universalis.* Atqui nunc alia assignari nequit præter illam quam Christiani, per universum terrarum orbem dispersi, credunt exhiberi in Missa: praesertim quia adoratio eucharistica vere est adoratio *spiritualis,* non umbram continens, sed *veritatem:* ergo.

3° *Ex verbis institutionis* supra relatis (n. 748) — Corpus enim Christi dicitur *dari pro nobis, frangi pro nobis in remissionem peccatorum* — pariter calix seu sanguis dicitur *pro nobis et pro multis effundi in peccatorum remissionem.* Atqui huiusmodi formulae *sacrificiales* sunt, tum quia usu biblico, praesertim N. T., sacrificium Christi in cruce declaratur saepissime per effusionem sanguinis, per traditionem corporis

1. Io. IV. 21. — 2. Io. XXII. 20. - cfr. Act. VIII. 27 - Gen. XXII. 5. - 1. Reg. I. 3. XV. 30.

pro nobis, in peccatorum remissionem et pro salute mundi — tum quia hae formulae in se et per se inspectae apte significant illam Christi pro nobis reis substitutionem ad placandum Deum, quae est character proprius sacrificii veri: ergo — Praeterea — b) condit hic Christus novum testamentum, quod est adimpletio veteris [1]. Atqui illud confirmavit Moyses sanguine victimae: sumptum enim sanguinem sacrificii « *respersit in populum et ait: Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum* » [2]: ergo et novum sanguine victimae confirmari et consecrari debuit, idest per modum sacrificii: « *Hic est sanguis meus novi testamenti* ».

4° *Ex Apostolorum usu et praxi.* Apostolus enim — a) ait [3]: « *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt* ». Apostolus hic argumentatur veluti *ad hominem* adversus fideles iudaizantes, quod sc. eorum persuasio de adhuc durante obligatione legis mosaicae deberet eos impedire a participatione mensae eucharisticae. Nam secundum legem mosaicam, qui tabernaculo deserviebant, comedere non poterant de carne sacrificiorum propitiatoriorum pro populo, quorum sanguis in sanctuarium inferebatur. Atqui hoc argumentum omni vi destitueretur, si illud *de altari edere* non significaret verum sacrificium: ergo. Praeterea — b) idem Apostolus ait [4]: « *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?... Videte Israël secundum carnem; nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?... Non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum* ». Ex quibus sic: opponit hic Apostolus mensam eucharisticam mensis gentilium et altari iudæorum, Eucharistiam victimis iudæorum et gentilium. Atqui iudæorum altare et mensae gentilium erant sacrificiis destinatae: ergo supponit Apostolus eucharisticum corpus et sanguinem Christi esse victimam, et eius mensam altare proindeque Eucharistiam verum esse sacrificium.

Prob. 2. pars — Sensum traditionalem Ecclesiae favere nostrae doctrinae, ipsi protestantes libenter agnoscunt, adeo ut ab explicitis testimoniis afferendis abstinere possimus: « Missa, ait Lutherus [5], « creditur *passim* esse sacrificium quod offertur Deo. Accedunt his « *dicta ss. Patrum*, tot exempla tantusque usus per orbem constanter « observatus ». Iure ergo contra adversarios dicere possumus: *prior possideo, ergo iure.*

Prob. 3. pars — Ad rem Bellarminus [6]: « Tanta est coniunctio « inter legem seu religionem et sacrificium externum seu proprie « dictum, ut omnino necesse sit aut legem et religionem vere et

1. Ex. XXIV. — 2. Ex. ibid. — 3. Hebr. XIII. 10. — 4. 1. Cor. X. 16. — 5. Lutherus *de capt. babyl.* c. 1. — 6. l. 6. c. 20.

« proprie in Ecclesia Christi non reperiri, aut sacrificium quoque « externum et proprie dictum in Christi Ecclesia reperiri. Nullum « est autem, si Missam tollas. Est igitur Missa sacrificium externum « et proprie dictum ».

779. *Obiectio* — Ait Apostolus [1]: « *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata* »: ergo (n. 418-419).

Resp. — *dist. ant.* sacrificio *redemptionis* conc. *applicationis* nego. « Deus enim et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, « morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat ut aeternam illic « *redemptionem operaretur;* quia tamen per mortem sacerdotium eius « extinguendum non erat, in coena novissima qua nocte tradebatur, « ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura « exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce « peragendum repraesentaretur eiusque memoria in finem usque « saeculi permaneret atque illius salutaris virtus in remissionem « eorum, quae a nobis committuntur quotidie, peccatorum applica- « retur: sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum « constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus « panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earundem rerum symbolis « Apostolis quos tunc N. T. sacerdotes constituebat, ut sumerent, « tradidit; et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus ut offerrent « praecepit per haec verba: *Hoc facite in meam commemorationem,* « uti semper catholica Ecclesia intellexit et docuit ». Ita Conc. Trid. [2].

ARTICULUS II.

De essentia sacrificii eucharistici.

780. **Natura quaestionis** (n. 420-421) — Duplicem quaestionem heic proponimus — *prima* est quaenam sit in Missa actio *sacrificialis* sc. actio qua victima immutatur in honorem Dei nostrique reatus agnitionem — *altera* est *quomodo* huiusmodi actio sit *immutativa* ac *mactativa* victimae. Sint ergo seqq. conclusiones.

781. **Conclusio I.** « *In eucharistico sacrificio* — 1° *actio sacrificialis in sola consecratione reponenda est, ita tamen ut* — 2° *utriusque speciei consecratio requiratur* » (n. 423-424).

Prob. 1. pars — a) ex Christi institutione: non enim alia actione constat Christum obtulisse sacrificium illud quam verbis consecrationis [3]. Item — b) ex rei natura: si enim totus ritus celebrationis Missæ consideretur, actio quæ præter consecrationem speciem aliquam

1. Hebr. IX. 28. - X. 10. 14. — 2. sess. 22. c. 1. — 3. Luc. XXII. 19. coll. 1. Cor. XI. 25.

habere videtur actionis sacrificae, est *communio*. Atqui communio nullo pacto haberi potest uti actio sacrifica, tum quia sacerdos eam non recipit vi potestatis *ordinis*, tum quia certum non est Christum in cœna communicasse, quamvis certum sit ipsum in cœna sacrificasse. Aliunde — c) consecrationi nil videtur deesse eorum quae de sacrificii essentia sunt. Hinc concludit Irenaeus [1]: « Christus dicens: *Hoc est corpus meum:* docuit novam N. T. oblationem ».

Prob. 2. pars — Etsi in consecratione unius tantum speciei reperiatur sufficiens *aptitudo* ad sacrificium, tamen — a) *de facto* non sufficit. Ad sacrificii enim rationem requiritur *legitima institutio*. Atqui Christus sub utraque specie consecravit idque in eius commemorationem fieri præcepit: ergo. Præterea — b) eucharisticum sacrificium est repræsentativum sacrificii crucis [2]. Atqui ad id requiritur mystica sanguinis effusio, quae per separatam consecrationem habetur [3]: ergo.

782. **Conclusio II.** « *Sacrificii eucharistici ratio formalis* — 1° *non consistit in eius relatione ad sacrificium crucis: neque* — 2° *in distincta utriusque speciei consecratione; sed conceptus in eo adaequate exhauritur quod simul sit* — 3° *productio rei principaliter oblatae necnon* — 4° *sacramentalis Christi exinanitio ac quaedam moralis annihilatio* » (n. 425-428).

Prob. 1. pars — Vasquez, distinctione facta inter sacrificium *absolutum* et *relativum*, censet requiri quidem victimae destructionem in sacrificio *absoluto*, minime vero in *relativo*. Cum autem sacrificium eucharisticum sit *relativum* ad sacrificium crucis, idcirco in *sola relatione* repraesentativa sacrificii crucis essentiam sacrificii eucharistici reponit. At huiusmodi opinio est prorsus *insufficiens:* « sacrificium « enim proprie dictum non quocumque modo est realis protestatio « supremi dominii Dei, sed modo determinato sc. per rei immutationem « et saltem morali existimatione aequivalentem destructionem. Atqui « per relationem ad sacrificium absolutum eiusdemque repraesenta- « tionem poterit quidem oriri aliqua supremi dominii protestatio, sed « non protestatio propria sacrificio: ergo » [4].

Prob. 2. pars — Lessius ponit essentiam sacrificii eucharistici *in separata consecratione* panis et vini, quatenus consecratio instar gladii mystici separat *vi verborum* corpus a sanguine, etsi realis separatio haud sequatur. At haec quoque opinio *insufficiens* videtur. Etenim ad rationem sacrificii in se considerati requiritur rei destructio vel *realis*, vel saltem *moraliter aequivalens*. Atqui per hanc mysticam separationem sanguinis a corpore — a) nulla contingit destructio *realis*, quia realis separatio non fit — b) non *aequivalens*, quia quousque

1. l. 4. c. 17. al. 32. — 2. cfr. Trid. sess. 22. c. 1. — 3. cfr. s. Th. 3. q. 80. - 12. ad. 3. — 4. Franzelin th. 16. n. 1. 1.°

sistimus in hac mystica separatione nondum concipimus Christum in statu decliviori positum: ergo et haec sententia complenda est.

Prob. 3. pars — Suarez statuit, *rationem formalem* sacrificii eucharistici, ob suam singularitatem et excellentiam, esse in protestatione supremi dominii Dei *per productionem sacramentalem rei principaliter oblatæ*, destructionem vero esse in termino *a quo* sc. substantiæ panis et vini. Revera finis sacrificii est protestatio supremi Dei dominii sc. quod ipse sit auctor vitae et mortis. Atqui haec significatio habetur non modo in destructione rei qua *perimitur esse,* verum etiam in rei productione qua *producitur esse:* ergo etiam per productionem rei oblatae finis sacrificii obtinetur, imo tanto praestantius quo productio rei praestat eiusdem destructioni. Quapropter libenter sententiam Suaresii adoptamus, dummodo *quarta* non excludatur, sed potius cum ea coniungatur.

Prob. 4. pars — *Quarta* igitur sententia sic proponitur et defenditur a Card. De-Lugo — a) Ad rationem sacrificii requiritur rei oblatae *destructio,* non necessario *realis*, sed sufficit moraliter *aequivalens,* ita sc. ut vi actionis sacrificialis hostia ponatur in statu decliviori et humano modo desinat, ut e. g. vinum effusione in libationibus. Porro — b) « etsi consecratione non destruatur Christus « substantialiter, destruitur tamen humano modo, quatenus accipit « statum decliviorem et talem quo reddatur inutilis ad usus humanos « corporis humani et aptus ad alios diversos usus per modum cibi; « quare humano modo idem est ac si fieret verus panis et aptaretur « et condiretur in cibum, quae mutatio sufficiens est ad verum « sacrificium: fieri enim comestibile illud quod non erat comestibile, « et ita fieri comestibile ut iam non sit utile ad alios usus nisi per « modum cibi, maior mutatio est quam aliae quae ex communi « hominum mente sufficiebant ad sacrificium » [1]. Sic ergo nunc argumentari possumus: tum *productio* rei principaliter oblatae, tum rei eiusdem *destructio,* utrumque seorsim aptum est *per se* ad exprimendum supremum Dei dominium in res omnes *ut sint vel non sint.* Ergo perfectissimum erit illud sacrificium, in quo utraque ratio invenitur. Atqui tale est sacrificium eucharisticum: ergo non videtur perfecte exhauriri ratio intrinseca eucharistici sacrificii, si vel in *sola* productione cum Suarez, vel in *sola* destructione rei oblatae cum De-Lugo reponatur.

783. **Corollarium I.** *Materia seu victima sacrificii eucharistici* (n. 429) — Ex disputatis patet — a) *victimam* sacrificii eucharistici esse corpus et sanguinem Christi sub speciebus panis et vini — b) *species* non esse res *quae per se offeruntur,* sed *per quas* et *sub quibus*

1. disp. 19. s. 5.

victima offertur fitque *visibile sacrificium* — c) substantiam vero panis et vini pertinere ad hoc sacrificium tamquam terminum *a quo* — d) propter *identitatem victimae* sacrificium Coenae, Crucis et Missae esse idem *secundum speciem*, minime vero — e) *secundum numerum* propter multiplicationem actionis sacrificialis.

784. **Corollarium II.** *Sacerdos principalis et secundarius sacrificii eucharistici* (n. 430) — Ex natura sacrificii altaris sequitur adhuc — a) Christum esse sacerdotem *principalem* [1]. Etenim essentia sacrificii eucharistici in consecratione consistit: atqui in consecratione sacerdos minister propriam exuit induitque Christi personam dicens: *Hoc est corpus meum:* ergo Christus est offerens principalis. Sequitur ergo — b) offerentem *secundarium* et *ministerialem* esse sacerdotem legitime ordinatum. Quinimmo — c) *soli* sacerdotes legitime ordinati possunt hoc sacrificium offerre, uti colligitur — α) ex professione fidei ab Innocentio III. Waldensibus praescripta — β) ex antiqua et universali Ecclesiae praxi arcendi ministros presbyteris inferiores ab huius sacrificii oblatione, uti praescribit can. 8. Conc. Nicaeni — γ) ex ritu ordinationis sacrorum ministrorum.

785. **Corollarium III.** *Missae privatae validae et licitae* (n. 431). Ex dictis sequitur etiam *populi participationem de victima* ad sacrificii essentiam nullatenus pertinere [2], ac propterea immerito protestantes et pistorienses damnare ut illicitas vel etiam ut invalidas Missas in quibus fideles non communicant quasque *privatas* appellant: « Si quis « dixerit Missas in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, « illicitas esse ideoque abrogandas A. S. » [3].

786. **Corollarium IV.** *Communio sacerdotis pars integralis sacrificii* (n. 432) — Ex propria ratione huius sacrificii consequitur, illud intrinsecum ordinem includere ad participationem victimae ideoque hanc nunquam licite posse omitti, et in casu necessitatis ab alio sacerdote esse perficiendam ut sacrificium *integretur*. Propterea Conc. Toletanum XII. an. 681 illos sacerdotes reprehendit, qui quoties celebrant, non toties de sacrificio participant. Ex qua victimae participatione intelligitur, quomodo Missa *praesanctificatorum* quae in Ecclesia latina die Parasceves, in Ecclesia orientali in quadragesima quotidie, exceptis sabbatis et dominicis, celebratur, considerari possit tamquam continuatio et consummatio sacrificii diei praecedentis.

1. Trid. sess. 22. c. 2. — 2. cfr. Trid. l. c. cp. 6. — 3. ib. cn. 8. - cfr. prop. 28. in pistor. damn.

ARTICULUS III.

De virtute sacrificii eucharistici.

787. **Ecclesiæ doctrina** (n. 433) — Conc. Trid. [1] sic describit virtutem sacrificii eucharistici: « Si quis dixerit Missae sacrificium « tantum esse laudis et gratiarum actionis aut nudam commemora- « tionem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium vel « soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, « pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere A. S ». Ex quo canone elucet sacrificium Missae esse *latreuticum* — *eucharisticum* — *propitiatorium* — *impetratorium*.

788. **Fructus propitiationis quid** (n. 434) — Fructus *propitiatorius* iis verbis a Tridentino exprimitur ut dicatur sacrificium offerri « *pro peccatis, poenis et satisfactionibus, tam pro vivis quam pro de-* « *functis* ». Idcirco — a) vis propitiationis *pro poenis et satisfactionibus*, quae debentur pro iam remissis, in eo consistit quod per incruentum Missae sacrificium exhibeatur Deo satisfactio a Christo consummata in cruento sacrificio crucis — b) Vis vero propitiationis *pro peccatis* nondum remissis non quidem in eo consistit quod eucharisticum sacrificium *ex opere operato* gratiam iustificationis conferat: hoc enim sacramentorum est proprium: sed in eo sita est ut « huius oblationis « placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens, cri- « mina et peccata etiam ingentia dimittat » [2].

789. **Fructus impetrationis quid** (n. 435) Fructus *impetrationis* expressus continetur in verbis « *pro aliis necessitatibus* » idest pro necessitatibus ordinis supernaturalis et naturalis ad finem supernaturalem conducentibus. Quare dum *propitiatio* respicit *iustitiam* quam vel *compensat* pro poenis adhuc solvendis, vel *placat* pro peccatis nondum remissis ne in horum poenam subtrahat gratias ad poenitentiam necessarias; *impetratio* veluti succedit *propitiationi* et movet *divinam bonitatem* et *misericordiam* ut donum poenitentiae largiatur peccatoribus, ut iustis beneficia conferantur. Sit ergo sequens

790. **Conclusio unica** — « *Sacrificium eucharisticum* — 1° *vere est propitiatorium pro peccatis, poenis et satisfactionibus, necnon* — 2° *impetratorium pro nostris necessitatibus* » (n. 437-439) — quae conclusio est *de fide catholica*.

Prob. 1. pars — Sacrificio eucharistico vim inesse *propitiationis* constat — a) ex ratione typica sacrificiorum V. L. Nam « illis sacri- « ficiis, quae pro peccatis offerebantur, unum hoc sacrificium signi-

1. sess. 22. cn. 3. — 2. Trid. ib. c. 2.

« ficabatur in quo vera fit remissio peccatorum »: s. Augustinus [1]. Idcirco recte s. Leo M. [2]: « Omnem differentiam hostiarum unius corporis et sanguinis (Christi) complet oblatio ». Accedit — b) Christi institutoris auctoritas: hoc enim instituturus sacrificium diserte ait [3]: « *Hic est calix N. T. qui pro nobis effundetur in remissionem peccatorum* ». Accedit — c) sensus traditionalis tum theoreticus, tum practicus etiam universae christianae antiquitatis.

Prob. 2. *pars* — Vim *impetrationis* sacrificio eucharistico inesse constat — a) argumento *a fortiori:* si enim inimicis Dei impetrat peccatorum remissionem, *a fortiori* impetrabit amicis Dei varia beneficia — b) ex eius relatione ad sacrificia vetera, quorum est implementum: — c) ex sensu Ecclesiae in liturgiis expresso: — *d) ex sensu practico fidelium qui ad beneficia impetranda Missarum celebrationem procurant.

791. **Quaestio I.** *Unde desumendus valor Missae?* (n. 440) — Distinguendum est inter varios offerentes, qui sunt minister sacrificii — fideles — Ecclesia — Christus. Porro — a) opus tum ipsius sacerdotis ministri, tum fidelium qui aliquâ suâ operâ ad hoc sacrificium concurrunt, procul dubio est tum *meritorium,* tum *satisfactorium*, tum *impetratorium*. Item — b) opus Ecclesiae per suos sacerdotes offerentis sacrificium, cum sit opus sponsae immaculatae Christi, semper a Deo acceptatur in odorem suavitatis pro fidelium bono. Item — c) opus Christi est opus *meritorium*, *satisfactorium* et *impetratorium* pro nobis suis membris, non quasi Christus iterum *satisfaciat* et *mereat*, sed quatenus totum meritum et satisfactionem in Cruce consummatam, renovata oblatione, Patri repraesentet. Ergo valor Missae ex triplici capite desumendus est sc. ex opere ministri et offerentium fidelium — ex opere Ecclesiae — ex opere Christi.

792. **Quaestio II.** *Quantus sit valor sacrificii eucharistici ex opere Christi proveniens?* (n. 441) — Si valor sacrificii in actu *primo* consideretur, dicendus est simpliciter *infinitus* propter infinitam dignitatem Christi. Haec autem infinitas in tribus consistit: — α) quatenus est sacrificium *latreuticum* et *eucharisticum,* exhibet Deo honorem divinæ maiestati condignum — β) quatenus est *impetratorium*, nullum est bonum cui impetrando non par sit — γ) quatenus est *propitiatorium,* nullus est peccatorum numerus, nulla gravitas, pro quibus ad placandum Deum non sufficiat. Si vero in *actu secundo* idest *quoad effectum* spectetur, distinguendum est inter effectum *intensive* et *extensive* inspectum. Si *intensive* consideretur, procul dubio valor sacrificii *finitus* est, quatenus effectus obtinendus est bonum aliquod *finitum*. Si autem *extensive,* tunc præcise quæritur utrum effectus

1. q 57. in Levit. — 2. serm. 58. — 3. Luc. XXII. 20.

sacrificii sit infinitus, ita ut non dividatur, sed multiplicetur pro numero eorum pro quibus offertur, adeo ut singuli eundem fructum consequantur quem unus accipit, pro quo offertur: quemadmodum sol *ex aequo* omnes illuminat sive pauci, sive multi adsint. Porro fructus *generalis*, ille sc. qui *omnibus* fidelibus provenit, quatenus Missa est sacrificium, quod nomine universae Ecclesiae offertur, cum totus pendeat a Christi applicatione et fidelibus obveniat quatenus sunt membra Ecclesiae, maior vel minor a singulis percipitur iuxta mensuram donationis Christi necnon singulorum necessitates, independenter omnino a numero fidelium quibus Ecclesia conflatur — Fructus *specialissimus*, qui sc. obvenit *primario* sacerdoti offerenti, *secundario* etiam fidelibus *assistentibus* et una cum sacerdote *offerentibus*, videtur non minui crescente numero assistentium; alioquin dicendum foret concursum abstantium, qui sane cedit in maiorem Dei gloriam, cedere in ipsorum damnum — Fructus *specialis*, ille sc. qui pendet ab applicatione sacerdotis, qua *impetratorius* est, iuxta omnes extenditur absque diminutione *indefinite* ad plures — At *controvertitur* utrum fructus *specialis*, qua *satisfactorius* est, censeri possit *extensive* infinitus. In praxi non licet plura stipendia recipere pro uno eodemque sacrificio, tum quia Ecclesiae decretis prohibitum est [1], tum quia, stante controversia, non licet inferre probabile damnum iis qui, soluto stipendio, ius habent ad certum fructum.

793. **Quaestio III.** *Quomodo sacrificium Missae suos producat effectus?* (n. 442) — Fructus qui — a) provenit ex Christo, cum nullo modo pendeat a sanctitate et a meritis tum ministrorum, tum fidelium offerentium, idcirco est *ex opere operato*. Fructus — b) qui provenit a ministro et ab aliis fidelibus simul offerentibus, totus est *ex opere operantis*. Fructus — c) qui provenit ab Ecclesia, dici potest *ex opere operato* respectu sacerdotis: quapropter orationes quae dicuntur in Missa, valent *ex opere operato* tamquam orationes Ecclesiæ, licet sacerdos nulla cum attentione eas recitet. Respectu tamen ipsius Ecclesiae valor est quasi *ex opere operantis*.

794. **Quaestio IV.** *Pro quibus Missa offerri possit?* (n. 443) — Proprie hic quaeritur, an in sacerdotis potestate sit sacrificium applicare indiscriminatim quibus vult. Porro — a) potest sacerdos *directe* sacrificium offerre pro omnibus *fidelibus* vivis atque defunctis utpote qui membra sunt Ecclesiæ, cuius est hoc sacrificium. Excipiuntur vero — b) *excommunicati*, saltem non tolerati, cum a communibus Ecclesiae suffragiis excludantur idque patet ex ratione mox allata. Potest autem *indirecte* — c) offerri pro omnibus *viventibus* qui extra Ecclesiam versantur, quatenus nempe v. g. vel applicatur iis qui infi-

1. cfr. prop. 10. ab Alex. VII. damn.

delium aut excommunicatorum conversioni adlaborant, vel tamquam fructus *impetratorius* intenditur horum conversio generatim aut speciatim alicuius determinatae personae.

795. **Quaestio V.** *An fructus sacrificii eucharistici infallibilis sit?* (n. 444) — *Satisfactionis* fructus — a) *pro poenis*, iustis tam vivis, quam defunctis debitis, *infallibilis* est, quia nil esse potest quod hunc effectum impediat. Non tamen omnis poena uno sacrificio semper solvitur; nam vivis conceditur remissio pro mensura bonae dispositionis, defunctis vero secundum mensuram divinae iustitiae et sapientiae. *Satisfactio* autem — b) *pro peccatis,* cum ingrediatur conceptum *impetrationis,* uti supra explicavimus, idcirco eius leges sequitur. Porro *impetrationis* fructus haud infallibilis est, propter obicem forte existentem in subiecto, cui bona impetrari deberent. Conditiones enim ad infallibilem impetrationem, quae est per modum *orationis*, quatuor sunt sc. ut quis *pro se — pie — perseveranter — et ad salutem necessaria* postulet: ex quibus posteriores duae *tantum* conveniunt quoque sacrificio Missae quoad vim impetratoriam. Porro, sicut impetratio ad modum *simplicis orationis* nequaquam infallibilis est, si requisitae quatuor conditiones non concurrunt; ita et effectus impetratorius Missae haud est infallibilis, nisi recensitae conditiones impleantur.

SECTIO IV.

De sacramento Poenitentiae.

CAPUT I.

De pœnitentia virtute.

796. **Indoles poenitentiae** (n. 447) — Poenitentia, quatenus est virtus quaedam, non est *simplex resipiscentia* seu *propositum novae vitae* aut *ipsa vitae emendatio* [1], sed praeterea est *dolor et detestatio vitae malae anteactae* -- Et sane — a) iuxta communem sensum poenitentia est transitus, qui fit per actus liberos a statu peccati ad statum iustitiae [2], ita quidem ut desitio prioris malae vitae sit principium et ratio vitae novae. Atqui actus quibus vetus vita deseritur, esse debent actus doloris et detestationis vitæ eiusdem, ut esse possint ratio sufficiens novae vitae; quousque enim manet complacentia vel animus indifferens ad peccatum, nova vita nunquam serio inchoabitur: ergo. Praeterea — b) per poenitentiam homo convertitur ex corde ad

1. Uti censent Lutherus et Erasmus. — 2. cfr. Ier. VIII. 6. - Ezech. XVIII. 30. - Ioel. II. 12.

Deum, quem offendit. Atqui conversio ad Deum offensum esse nequit absque detestatione offensae: ergo. Quare poenitentia *theologica* definiri potest « *dolor et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero* ».

797. **Poenitentia est virtus** (n. 448) — Ad rem s. Thomas [1]: « Virtus est habitus electivus secundum rationem rectam. Pertinet « autem ad rationem rectam ut aliquis doleat de quo dolendum est, « et eo modo et fine quo dolendum est, quod quidem observatur in « poenitentia. Nam poenitens assumit moderatum dolorem de peccatis « praeteritis cum intentione removendi ea. Unde manifestum est quod « pœnitentia de qua nunc loquimur, vel est virtus vel actus virtutis ». Quid autem sit intentio removendi peccata praeterita explicat idem s. Doctor [2]: « Dolere de eo quod prius factum est cum intentione « conandi ad hoc quod factum non fuerit, esset stultum. Hoc autem « non intendit poenitens, sed dolor eius est displicentia seu reprobatio « facti praeteriti cum intentione removendi sequelam ipsius sc. of- « fensam Dei et reatum poenae; et hoc non est stultum ».

798. **Poenitentia sub diversis respectibus est virtus generalis et specialis** (n. 449-450) — Distingui solent virtutes *universales* a *particularibus*. Virtus *universalis* ea dicitur cuius obiectum formale ea gaudet amplitudine ut quodvis peccatum ei opponatur, ut e. g. caritas, spes, religio, obedientia, gratitudo erga Deum — virtus *particularis* illa dicitur, cui aliquod tantum peccatum opponitur, ut e. g. fides, temperantia. Porro — a) poenitentia dici potest virtus *generalis*, quatenus eius actus sc. dolor, detestatio et propositum, determinari possunt ex motivis diversarum virtutum, illarum nempe quae *universales* audiunt. Revera determinari possunt — α) a *caritate* cuius motivum est *bonitas Dei*, cui quodvis peccatum adversatur: — β) a *spe* cuius motivum est *beatitudo*, cuius assecutionem peccatum quodlibet vel prohibet vel retardat: — γ) a *religione* cuius formale obiectum est honestas in eo relucens, quod Deus ob suam summam excellentiam a nobis colatur; quodvis vero peccatum est inhonoratio Dei: — δ) ab *obedientia* cuius motivum est honestas divinae legis servandae: quodcumque vero peccatum legi Dei adversatur: — ε) a *gratitudine* cuius motivum sunt beneficia divinitus collata: omne vero peccatum ingratitudinem in se continet. Est autem pœnitentia virtus *specialis*, quatenus eius actus determinari possunt a peculiari motivo ceteris virtutibus haud communi, quod est intrinseca natura peccati *prouti est offensa et iniuria Dei*. Revera — a) peccatum est *offensa* Dei, cum sit operatio contra divinam voluntatem ac Deo displicens. Praeterea — b) est *iniuria* Deo illata, cum Deus ius

1. 3. p. q. 85. a. 1. — 2. ib. ad 3.

habeat ut a creatura voluntas sua fiat. Atqui — c) eodem iure quo honor exigitur, laesi quoque honoris reparatio postulatur: ergo — d) peccatum est offensa et iniuria Dei *expianda per actus ipsius peccatoris.* Ergo peccato inest speciale motivum poenitendi, quatenus nempe est offensa et iniuria Deo illata, quod quidem *speciale motivum* recte dicitur *specialem virtutem* constituere [1].

799. **Pœnitentia est pars potestativa iustitiæ** (n. 451) — Rem ita concipimus: — a) Obiectum formale iustitiae est iuris alieni conservatio eiusque reparatio, si laesum fuerit. Atqui obiectum proprium poenitentiae est reparatio iniuriae Deo illatae per peccatum: ergo poenitentia rationem iustitiae participat [2]. At — b) a perfecta iustitiae ratione deficit; perfecta enim iustitia in aequalitate consistit: atqui nequit homo *generatim* referre Deo aequale pro iis quae accepit, *speciatim* vero ad rem nostram nequit per se sufficientem compensationem exhibere pro iniuria: ergo. Hinc — c) poenitentia dicitur pars potestativa iustitiae h. e. *in potestate* iustitiae contenta tamquam eius functio: pars enim *potestativa* relate ad virtutem aliquam principalem ea dicitur virtus, quae in aliquo essentiali convenit cum principali, in aliquo essentiali differt. Iustitia autem — d) cuius poenitentia est pars potestativa, est tum *commutativa*, tum *vindicativa;* est quidem commutativa quatenus poenitentia tendit ad reparandum ius divinum laesum ideoque ad aequalitatem restituendam; est vindicativa quatenus poenitens punit in se admissa peccata.

800. **Obiectum materiale pœnitentiæ** (n. 452-454) — Poenitentia — a) quatenus est actus *fugae,* habet pro obiecto *materiali* omne peccatum, commissum et commissibile: quatenus — b) est actus *prosecutionis,* habet ea omnia qua assumi possunt in compensationem iniuriae. Res ita clara videtur ut demonstratione non egeat. Actus autem, qui fieri possunt ad iniuriam compensandam, multiplices sunt. Alii sunt *interni* ut e. g. *contritio, odium, detestatio, intentio satisfaciendi, propositum* — alii sunt *externi* ut e. g. peccatorum confessio, satisfactio pro poena ac proinde quaevis opera satisfactoria — Alii sunt *eliciti* sc. illi qui ab hac virtute immediate producuntur — alii sunt *imperati* sc. illi qui immediate ab alia virtute gignuntur sub imperio poenitentiae, ut e. g. ieiunia, vigiliae, infirmorum cura aliaque opera laboriosa, sacrificium, oratio, eleemosynae etc... Ex quibus omnibus patet, subiectum poenitentiae esse *voluntatem* [3].



1. cfr. s. Th. 3. p. q. 85. a. 2. — 2. cfr. s. Th. ib. a. 3. — 3. cfr. s. Th. ib. a. 4.

CAPUT II.

De potestate remittendi retinendique peccata.

801. **Potestas clavium** (n. 455-456) — Potestas *clavium*, etsi sensu *generico* pro omni ecclesiastica potestate usurpetur [1], tamen sensu *specifico* magisque communi sumitur pro potestate remittendi peccata in foro interno. Ad rem Tertullianus [2]: « Si adhuc clausum « tibi cœlum putas, memento claves Dominum Petro et per Petrum « Ecclesiae reliquisse ».

802. **Errores - catholica doctrina** (n. 456-457) — Porro — a) protestantes vel simpliciter negant adesse in Ecclesia potestatem remittendi et retinendi peccata — vel illam nil aliud esse dicunt quam potestatem annunciandi promulgandique peccata a Deo remitti credentibus et pœnitentibus, non credentibus autem et non pœnitentibus eadem retineri — vel eam cum potestate delendi peccata per Baptismum confundunt — b) Montanistae autem prius, deinde novatiani, eius existentiâ admissâ, negabant eam ad omnia peccata extendi, excipientes praesertim idololatriam, homicidium et moechiam. At — c) contra Trid. [3] statuit: « Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris: « *Accipite Sp. Sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* « *et quorum retinueritis, retenta sunt* [4]: non esse intelligenda de « potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento pœnitentiae « sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit: detorserit autem, « contra institutionem huius sacramenti, ad auctoritatem praedicandi « evangelium A. S. ». Sint ergo seqq. conclusiones.

803. **Conclusio I.** « *Ecclesia gaudet ex iure divino* — 1° *potestate vere remittendi et retinendi peccata, non solum declarandi remissionem aut retentionem* — 2° *prorsus distincta a potestate delendi peccata per Baptismum* » (n. 459-462) — Conclusio est *de fide catholica*.

Prob. 1. pars — Legimus — a) *quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo* » [5]. Atqui potestas remittendi retinendique peccata continetur in generali potestate ligandi et solvendi: ergo. *Prob. min.* Ligare et solvere h. in l. spectat certe ad ordinem moralem proprium entis liberi. Atqui triplex est vinculum morale quo ens liberum ligari et a quo solvi potest sc. vinculum *legis, culpae et poenae;* ergo Christus contulit Apostolis potestatem ligandi et solvendi

1. Matth. XVIII. 17. - Io. XX. 22. — 2. in Scorp. c. 10. — 3. sess. 14. cn. 3. — 4. Io. XX. 22. — 5. Matth. XVI. 19. XVIII. 18.

homines a vinculo *culpae,* quae est potestas remittendi retinendique peccata. Item — b) « *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos: hæc cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite Sp. Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* » [1]. Porro: eo modo remittunt peccata Apostoli quo Deus ipse in cœlis; adest enim nexus immediatus, saltem conditionis necessariae, inter remissionem et retentionem peccatorum quae fit ab Apostolis, et illam quae fit a Deo. Atqui Deus peccata remittit non *declarando* peccata esse remissa, sed culpas ipsas *delendo:* ergo. Neque dicas, culpam quidem remitti a Deo, pœnam autem ab Apostolis, qui pœnam remittendo declarent culparum remissionem. Eo enim ipso quod culpa remittitur a Deo, poena quoque ab ipso remittitur atque ideo nullus relinqueretur locus remissioni, quae ab Apostolis fieret. Confirmatur — c) ex sensu theoretico et practico christianae antiquitatis. Hinc ait Augustinus [2]: « Non sunt istae claves in Ecclesia ubi quotidie peccata dimittuntur? »

Prob. 2. pars — Potestas remittendi peccata per Baptismum exercetur per actum *regenerandi,* adhibita aquae ablutione Trinitatisque invocatione; proinde exercetur in nondum regeneratos filios Dei, propterea in nondum factos subditos Ecclesiae. Atqui actus proprius et specificus *potestatis clavium* est remissio vel retentio peccati atque ita ut solo actu exerceatur quo peccatum remittitur vel retinetur — est potestas quae exercetur in causis violatae legis divinae, impertita vel negata absolutione — proinde est potestas praesidis et iudicis propria, potestas sc. iurisdictionis quae in solos subditos exercetur: ergo.

804. **Corollarium.** *Potestas clavium bifariam patet* (n. 463) — Ex dictis patet duplicem esse functionem potestatis clavium sc. *solvere* et *ligare* — *remittere* et *retinere.* Ubi advertendum est verbis *ligare* et *retinere* exprimi non meram *omissionem* actus solvendi et remittendi, sed *actum positivum* iurisdictionis, quo authentice denegatur peccatorum remissio conditionesque praescribuntur, sub quibus peccatorum remissio conditionesque praescribuntur, sub quibus peccatorum remissio possit obtineri. Ex quo infert Trid. [3] ius imponendi satisfactiones.

805. **Conclusio II.** « *Potestas clavium ad omnia se extendit peccata post Baptismum commissa* » (n. 464-465): quae conclusio est *de fide catholica* — Revera — a) potestas *ligandi* et *solvendi* includit potestatem remittendi retinendique peccata. Atqui illius potestatis obiectum latissime patet: *quaecumque* alligaveritis, *quaecumque* solveritis: ergo peccata *omnia* sunt obiectum potestatis clavium. Item — b) apud Ioannem contulit Christus potestatem Apostolis remittendi retinendique

1. Io. XX. 21. — 2. serm. 149. n. 7. — 3. sess. 14. c. 8. cn. 15.

peccata simul cum eadem missione, quam Christus a Patre acceperat. Atqui peccata *indefinite* dicta nullum peccatum excipiunt; Christus vero ad omnes peccatores missus est: ergo. Ad rem igitur s. Pacianus [1]: « *Quaecumque solveritis*, inquit; omnino nihil excepit. *Quaecumque*, « inquit, vel magna vel modica ».

806. **Solvuntur difficultates** (n. 466-469). *Obiectio I.* — Legimus [2]: « *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus: Spiritus autem blasphemia non remittetur. Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei. Qui dixerit verbum contra Sp. S. non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro* »: ergo.

Resp. — s. Thomas [3]: « Si dicatur peccatum in Sp. Sanctum « finalis impoenitentia (uti explicat Augustinus), sic dicitur irremis- « sibile, quia nullo modo remittitur (sc. ex defectu dispositionis). « Secundum autem alias acceptiones quod sc. sit illud crimen, quo « opera manifesto divina in hominum salutem facta daemoni adscri- « buntur, dicitur irremissibile non quod nullo modo remittatur, sed « quia *quantum est de se, habet meritum ut non remittatur*. Et hoc « dupliciter; uno modo *quantum ad poenam*. Qui enim blasphemabant « in Filium hominis, eius divinitate nondum revelata, poterant habere « aliquam excusationem propter infirmitatem carnis quam in eo aspi- « ciebant, et sic minorem poenam merebantur. Sed qui divinitatem « blasphemabat opera Sp. Sancti daemoni attribuens, nullam excu- « sationem habebat, unde eius poena minueretur ..... Alio modo « *quoad culpam*, sicut aliquis morbus dicitur *incurabilis* secundum « naturam morbi, per quem tollitur id per quod potest morbus curari: « puta cum morbus tollit virtutem naturae vel inducit fastidium cibi « et medicinae. Ita peccatum in Sp. S. dicitur irremissibile secundum « suam naturam, in quantum excludit ea per quae fit remissio « peccatorum ».

807. *Obiectio II.* — Legimus [4]: « *Impossibile enim est eos qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum coeleste et participes facti sunt Sp. Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque saeculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam* »: ergo peccatum apostasiae irremissibile est.

Resp. — Nonnulli — a) cum Patribus bene pluribus [5] censent Paulum negare Baptismum iterari posse, ita ut impossibilis sit pro lapsis ea *renovatio* ad poenitentiam quae per modum *generationis* obtinetur. Alii — b) censent Apostolum hic inculcare difficultatem magnam, quae *impotentia moralis* appellari potest, obtinendae veniae in casu apostasiae.

---

1. ep. 3. n. 2. — 2. Matth. XII. 31. — 3. 2. 2. q. 14. a. 3. — 4. Hebr. VI. 4. — 5. Athan. ep. ad Serap. n. 13. - Chrys. hom. 3. n. 2 in h. l. - Ambr. l. 2. c. 2. - Epiph. haer. 5. 9. n. 2.

808. *Obiectio III.* — Ait idem Apostolus de apostatis [1]: « *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia* »: ergo.

Resp. — Apostolus haud negat apostatas redire posse ad christianam fidem atque ita salutem reparare; sed negat suppetere ipsis, perdurantibus in statu separationis ab Ecclesia, sacrificium pro peccatis.

809. *Obiectio IV.* — Ait s. Ioannes [2]: « *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis* »: ergo nec potest remitti.

Resp. — cum s. Thoma [3]: « Si *peccatum ad mortem* intelligatur « peccatum in Sp. S. prout hoc requirit finalem impoenitentiam, sic « intelligendum est ut nullus pro talibus oret: quia qui usque ad « mortem in mortali perdurat, postmodum orationibus non iuvatur. « Si autem sumatur pro peccato in Sp. Sanctum prout non requirit « finalem impoenitentiam, sic intelligendum est ut *non oret pro eo* « *quis* idest *quicumque,* quia talium conversio quasi miraculosa est. « Unde sicut pro faciendis miraculis non quilibet orat, sed magni et « sancti viri; ita nec pro talium conversione. Tamen secundum « formam verborum non prohibetur oratio pro eo fieri, sed ostenditur « quod praeceptum orandi pro proximis fidelibus non se extendit « ad tales peccatores; quia propter sui peccati enormitatem hoc « merentur ut a fidelibus relinquantur sicut ethnici et publicani ».

CAPUT III.

De actibus pœnitentis ad peccatorum veniam.

810. **Ecclesiæ doctrina** (n. 470) — Docet Trid. [4]: « Si quis ne- « gaverit ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri « tres actus in poenitente, quasi materiam sacramenti Poenitentiæ « sc. contritionem, confessionem et satisfactionem A. S. ».

ARTICULUS I.

De contritione.

811. **Quid contritio** (n. 471-474) — Ex definitione tridentina [5] contritio est « animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero ». Porro — a) eius *proprietates quatuor* recensentur, ut ex eius natura declaratur: scilicet esse debet *interior* seu propria animi — *supernaturalis* tum ex parte *principii*

1. Hebr. X. 26. — 2. 1. ep. V. 16. — 3. in 2. dist. 43. — 4. sess. 14. cn. 4. — 5. ib. cp. 4.

sc. elicita auxilio gratiae elevantis, tum ex parte *motivi* idest elicita ex. motivo per fidem proposito — *universalis* sc. se extendens *quoad dolorem* ac *detestationem* ad peccata quoque mortalia quae committi possunt — *summa* non quidem *intensive*, sed *appretiative* quatenus debemus peccatum intellectu apprehendere et voluntate detestari tu quovis alio malo maius. Dividitur — b) in *perfectam* (quae dicitur simpliciter *contritio*) et *imperfectam* (quae dicitur *attritio*) [1]. Motivum contritionis *perfectae* est peccatum ut offensa Dei *summi boni summeque amabilis* seu bonitas Dei *absoluta*; idcirco contritio perfecta dicitur quoque contritio *caritate formata*. Motivum *attritionis* ex Trid. [2] est duplex sc. *timor poenarum* includens desiderium beatitudinis, et *intrinseca turpitudo peccati*. Amor vero Dei — c) qui requiritur ad contritionem *perfectam*, profecto est amor *benevolentiae*, cum sit amor *caritatis;* ita tamen ut supponatur tamquam fundamentum Deum esse bonum nobis, nec propterea excludatur amor *concupiscentiae:* « dato enim per impossibile quod Deus non esset hominis bonum, non esset ei ratio diligendi » [3]. Hisce praemissis seqq. conclusiones statuimus.

812. **Conclusio I.** « *Contritio perfecta* — 1° *vim habet ex se peccatorem iustificandi, dummodo* — 2° *coniungatur cum voto recurrendi ad clavium potestatem* » (n. 476-480) — *Prima* pars est *fide certa* ex Trid. [4]: « Docet praeterea (s. synodus), etsi contritionem hanc ali-
« quando caritate perfectam esse contingat hominemque Deo recon-
« ciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihi-
« lominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod
« in illa includitur, non esse adscribendam » — *Altera* pars est *de fide catholica,* cum definitum sit recursum ad claves necessarium esse ad veniam peccatorum, uti in seq. art. dicemus [5].

Prob. 1. pars — a) ex habitu novae legis ad veterem. Etenim in veteri lege contritio ex caritate concepta iustificabat. Atqui dignitas et meritum actuum non fuit imminuta in lege nova, nec per sacramenti institutionem aucta est difficultas obtinendæ veniæ, imo facilior parata est via: ergo — *Maior* patet ex dissertis Scripturae testimoniis, quae dilectioni Dei vim tribuunt iustificandi [6]: « *Ego diligentes me diligo* » — « *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum* » — « *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua* »: ergo eadem vis competit contritioni ex caritate conceptae — *Minor* autem ex eo constat quod lex christiana

1. cfr. s. Th. Suppl. q. 1. a. 1. — 2. sess. 24. c. 4. — 3. s. Th. 2. 2. q. 26. a. 13. ad 3. - cfr. Ps. 26. et 41. et 72. - Philipp. I. 21. — 4. Sess. 24. c. 4. cfr. prop. 71. in Baio damn. — 5. cfr. prop. 1. damn. a Sixto IV. in Petro Oxomensi a. 1479. — 6. Prov. VIII. 7. - Luc. VII 47. - Ezech. XXXIII. 12.

est lex *caritatis,* ac propterea iniquum est arbitrari Christum minori in pretio habere caritatem in Ecclesia quam in Synagoga. Ceterum si quid obstaret, quominus contritio et caritas nunc suam exserant virtutem, illud esset sacramenti poenitentiae institutio. Atqui sacramentum est solummodo *novum* illudque *facilius* reconciliationis medium: ergo. Idcirco verba Christi [1] nullo non tempore vim suam obtinent plenam: « *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum* ». Nec — b) deest ratio intrinseca. Caritas enim est perfecta hominis cum Deo coniunctio, perfectissima ad Deum conversio: ergo ex se expellit quidquid hanc unitionem impediat [2]. Ad rem igitur s. Bernardus [3]: « Fundamentum « omnium bonorum nil aliud est quam amicitia. In hoc pendent lex « et prophetae. Sicut ignis ubi sylvam occupaverit omnia purgare « consuevit, ita caritatis fervor quocumque inciderit, omnia tollit et « exscindit, quae divino semini nocere possunt, et terram mundam « facit ad excipienda semina. Ubi caritas est, omnia sublata sunt « mala ». Quae argumenta simul contra nonnulos probant non requiri *certum intensionis gradum,* nec *certum durationis tempus,* ut contritio iustificare valeat. Nam *species* actuum minime desumitur a maiori vel minori sive graduum intensitate, sive temporis duratione, sed a proprio formali obiecto: ergo quilibet contritionis actus qui a tali motivo determinatur, ad hominem iustificandum par est. Ad rem s. Thomas [4]: « Quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad con- « tritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet ».

Prob. 2. pars — In praesenti oeconomia, uti demonstrabimus infra, recursus ad clavium potestatem necessarius est ad peccatorum remissionem obtinendam: ergo nemo iustificari potest sine proposito explicito aut implicito recurrendi ad clavium potestatem. Atqui caritas est *plenitudo legis:* ergo nisi illud propositum includeretur, non esset *vera* caritas *veraque* contritio — Quod si quaeratur curnam adhuc confiteri teneatur ille, qui per caritatem aut contritionem perfectam iustificatus est, respondemus illum teneri — a) ratione illius *voti* quod semel emissum observandum est: — b) ratione *satisfactionis* præstandæ pro peccatis iuxta iudicium eorum, quibus potestas clavium concredita est [5]: — c) ratione *ordinis* et *disciplinae,* ut rata habeantur ab Ecclesia quae *praeter ordinem* gesta sunt [6]: — d) ratione *boni communis,* ne sc. ex persuasione de existente contritione perfecta, quam quisque facile sibi fingeret, potestas clavium frustranea evadat: denique — e) ratione *securitatis* obtentae veniae [7]. Nec tamen tunc absolutio sacer-

1. Io. XIV. 21. - IV. 16. - cfr. Luc. VII. 47. — 2. cfr. s. Th. Suppl. q. 5. a. 1. — 3. serm. 83. in Cant. — 4. in 4. dist. 17. p. 2. a. 5. — 5. cfr. s. Th. Supp. q. 10. a. 1. ad 1. — 6. ib. q. 8. a. 2. ad 3. — 7. ib. q, 5. a. 2. ad 1.

dotis inefficax est: etsi enim verba « *Ego te absolvo* » non infundant gratiam *actu* remissivam peccatorum, infundunt tamen gratiam *virtute* remissivam [1].

813. *Obiectio* (n. 481) — *Sicut in Scripturis exhibetur caritas iustificans, ita et fides iustificans.*

Resp. neg. parit. — Nam caritas praesupponit fidem, imo et plures alios actus salutares, quorum est consummatio. Si ergo fides vim haberet iustificandi, ea iustificaret vel tamquam dispositio *proxima* vel tamquam *remota*. Si tamquam dispositio *proxima*, ergo caritas nunquam suam explicabit virtutem: si tamquam dispositio *remota* seu conditio, ergo illatio *a pari* non valet.

814. **Conclusio II.** « *Ad peccatorum remissionem per clavium potestatem — 1° non requiritur contritio perfecta, sed — 2° sufficit attritio* » (n. 482-483) — Conclusio continet doctrinam *certo* ab Ecclesia traditam, uti patebit ex argumentis afferendis.

Prob. 1. pars — Prostat prop. 58. in Baio damnata: « Peccator « poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a « solo Deo, qui poenitentiam suggerens et inspirans, vivificat eum « et resuscitat, ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur ». Atqui si perfecta contritio requireretur, nunquam contingeret peccatores vivificari per absolutionem sacerdotis, eoquod contritio praecedens iam iustificet: ergo — Item ex Trid [2] contritio *perfecta* adest *aliquando* ante sacramentum, ita ut per eam homo ante sacramentum iustificetur: ergo Concilium supponit non esse necessariam perfectam contritionem ad sacramentum, quam *aliquando* tantum adesse dicit; ideoque supponit peccatores *ordinario* ad iustificationem per sacramentum perduci solâ imperfectâ contritione. Idcirco canonibus 3. et 9. eiusdem sessionis docet potestatem clavium dirigi ad peccatorum remissionem, adeo ut dicat [3] contingere posse ut quis ex absolutionis defectu pereat.

Dices — Patres conferunt iustificationem peccatoris cum resuscitatione Lazari ubi Christus prius vivificavit Lazarum, deinde Apostoli vincula solverunt.

Resp. — Omnis difficultas evanescit, si probe distinguatur duplex vita spiritualis, una *perfecta* et *habitualis* quae gratia sanctificante continetur — altera *imperfecta* et *initialis* quae consistit in actibus salutaribus ope gratiae actualis elicitis, quibus peccator disponitur

---

1. Hinc explicabis cur — a) Paulus, iam perfecte contritus, remittitur baptizandus ad Ananiam (Act. XX. 16.): cur — b) Christus dixerit Magdalenae iam perfecte contritae: « *Remittuntur tibi peccata multa* (Luc. VII. 48.) ». — 2. sess. 14. c. 4. — 3. sess. 14 c. 7. cfr. et prop. 36. in pistoriensibus damn. asserentem necessitatem contritionis perfectae in sacramento.

ad vitam *perfectam* adipiscendam. Haec altera vita profecto praerequiritur ad absolutionem recipiendam. Quam quidem duplicem vitam esse distinguendam, constat ex prop. 64. in Baio damnata.

Prob. 2. pars — Veritas huius partis per modum corollarii ex prima fluit. Sane res ipsa per se postulat aliquam contritionem in peccatore ut per clavium potestatem veniam obtineat. Atqui non requiritur contritio *perfecta:* ergo sufficit contritio *imperfecta* seu *attritio.* Quo in sensu ait Trid [1]: « Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum contritionis motus necessarius ».

815. **Conclusio III.** « *Attritio ex solo metu gehennae concepta* — 1° *bona est et utilis* — 2° *talis esse potest ut voluntatem peccandi positive excludat, imo* — 3° *dispositio proxima et sufficiens sit ad veniam in sacramento obtinendam* » (n. 486-493).

Praenotamina — Quoniam — a) attritio concipi potest vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu, idcirco speciatim quaeri solet utrum in sacramento sufficiat attritio ex solo metu gehennae concepta. Hic timor dicitur *simpliciter servilis,* si voluntatem peccandi excludit, *serviliter servilis* (omnino malus) si peccandi voluntatem non reprimit [2]. Porro — b) est doctrina definita a Trid. [3] contra lutheranos, iansenistas et quesnellianos, hunc timorem bonum esse ac utilem: « Si quis dixerit gehennae metum, « per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, « vel a peccando abstinemus, peccatum esse aut peccatores peiores « facere A. S. » — « Si quis dixerit eam contritionem quae paratur « per discussionem, collectionem ac detestationem peccatorum, qua « quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando « peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amis- « sionem aeternae beatitudinis et aeternae damnationis incursum, « cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem dolorem, « nec praeparare hominem ad gratiam, sed facere hominem hypo- « critam et magis peccatorem; demum illum esse dolorem coactum, « et non liberum ac voluntarium A. S. ». Imo — c) dicimus ac defendimus, attritionem ex tali metu conceptam voluntatem peccandi reapse excludere posse, atque — d) esse proximam et sufficientem dispositionem ad iustificationem obtinendam in sacramento.

Prob. 1. pars — Illa attritio bona ac utilis censenda est quae ex motivo bono et ad salutem utili concipitur. Atqui — a) Scriptura hinc quidem poenarum metum, inde vero desiderium beatitudinis proponit tamquam impulsum ac motivum bene agendi: sic enim Christus [4]:

1, sess. 14. c. 4. — 2. cfr. s. Th. 2. 2. q. 19. a. 2. — 3. sess. 6. cn. 8. et sess. 4. cn. 5. - cfr. propp. 60. 67. Quesnelli et propp. 25. pistor. necnon prop. 15. ex 31. propp. ad Alex. VIII. damn. a. 1690. — 4. Matth. X. 28.

« *Timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* »: et regius Psaltes [1]: « *Inclinari cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternum propter retributionem* »: ergo. Imo — b) et ratio suffragatur. Ille enim actus in se bonus est et ad salutem utilis, qui voluntatem a peccato removet. Atqui attritio ex metu gehennae concepta voluntatem a peccando retrahit: est enim in natura liberae voluntatis positum ut ex volitione finis possit efficaciter se determinare ad volitionem mediorum; et vicissim ex nolitione mali possit se efficaciter determinare ad nolitionem eorum quae sunt causa eius mali: ergo.

Prob. 2. pars — Dari reapse *posse* attritionem ex metu gehennae conceptam, quae vere et proprie excludat voluntatem peccandi — a) uti certum supponitur a Trid. quod dicit donum Dei esse « contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, *si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae* » [2]: ostendit — b) ratio ipsa mox allata. Intentio enim finis potest determinare electionem mediorum; ac propterea intentio vitandi poenas aeternas gignere potest voluntatem absolutam eligendi media, quorum primum est fuga peccati et affectus ad illud. Atqui negari nequit posse quempiam concipere efficacem intentionem vitandi pœnas aeternas, et ex hac voluntatem fugendi culpam utpote quae inductiva est poenae: ergo dari potest ut attritio ex metu gehennae concepta voluntatem peccandi *positive* excludat.

816. **Solvuntur obiectiones** (n. 490-492). *Obiectio I. — Talis attritio semper habet adiunctam voluntatem quamdam interpretativam peccandi, nisi esset infernus: ergo voluntatem peccandi vere non excludit.*

Resp. — Ad rem cl. Palmieri [3]: « Dupliciter accipi potest haec propositio: *Si non esset infernus, peccarem.* Nimirum — a) ita ut ea conditio sit extrinseca actui, atque significetur tantum quod absolute faceret aliquis si existeret alius ordo rerum, in quo nec paradisus esset nec infernus. Potest — b) accipi ita ut conditio illa sit intrinseca actui, qui idcirco sit ipse intrinsece conditionatus h. e. talis voluntas, quae actualiter detestetur tantum peccatum ratione poenae, servans amorem adhuc erga ipsum per se spectatum. Si priori modo accipiatur ea propositio conditionata, ea non arguit per se aliquam malam voluntatem praesentem in eo quoque, qui de seipso eam proferret. At accepta ea propositio secundo modo significat malum motum praesentem voluntatis, quae retinet adhuc affectum ad peccatum finemque ultimum in seipsa constituit. Porro

1. ps. 118. — 2. sess. 14. c. 4. — 3. Pœnit. th. 31.

« hoc altero modo ea propositio accipitur, cum dicitur mala esse ea « detestatio peccati, quae ita exprimi possit: *si non esset infernus, « vellem peccare* ».

817. *Obiectio II. — Quae ex metu fiunt, sunt voluntaria simpliciter, involuntaria secundum quid: ergo attritio ex metu gehennae concepta est involuntaria secundum quid ac proinde affectus ad peccatum non excluditur.*

Resp. neg. parit. — « Nam, ait idem cl. Palmieri (l. c.), ut ex verbis « ipsis patet *quæ fiunt*, refertur huiusmodi axioma ad actus *imperatos*, « quos per se voluntas nollet, sed in certis adiunctis ad maius malum « vitandum vult, quippe poni possunt manente in voluntate etiam « actuali propensione ad oppositum, quae finis consecutionem sive « mali impendentis fugam non impedit. Unde quod fit, dicitur invo- « luntarium *secundum quid*. At falsum est axioma si transferatur ad « actus ipsos elicitos voluntatis, quibus ipsa malum quod timet, « comparare sibi potest. Si enim voluntas reapse timet infernum et « non vult illum mereri atque adeo non vult peccare, nequit retinere « affectum actualem ad peccatum, qui iam peccatum esset et impe- « diret evitationem mali, quae intenditur. Quare dici quidem poterit « quod nisi fuisset timor, forte voluntas hic et nunc non esset detestata « peccatum, sed hoc est commune ceteris aliis motivis, spei etiam et « amoris; idque tantum nos docet quod voluntas ad agendum aliquo « indiget motivo quo determinetur ad actum. At existente eo timore « et voluntate vitandi infernum, homo nequit simul aliquid velle, « quod cum hac voluntate intrinsece pugnat malumque vitandum « inducit ».

Prob. 3. pars — Profecto — a) ex Tridentino [1] *contritio* est unus ex illis poenitentis actibus qui tamquam *materia* concurrunt ad sacramentum constituendum. Atqui contritio haec ab eodem Trid. [2] definitur: « *animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero* »: nulla facta mentione *qualitatis motivi:* ergo quaevis contritio, ex motivo supernaturali concepta, est dispositio *proxima* ad peccatorum veniam in sacramento obtinendam. Præterea — b) Concilium de attritione ex metu gehennæ concepta, ait [3]: « Quamvis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem per- « ducere hominem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacra- « mento Pœnitentiae impetrandam *disponit* ». Atqui attritio etiam sine sacramento disponit *remote:* ergo Trid. Loquitur de dispositione *proxima*. Et profecto dispositio *simpliciter dicta* est dispositio *proxima*. Hinc illud Scholae: « *Ex attrito peccator in sacramento fit contritus* »: idest cum quis attritus consequitur mediante sacramento gratiam iu-

1. sess. 14. c. 3. — 2. cp. 4. — 3. cp. 4.

stificationis, tunc reipsa illud idem consequitur quod est fructus contritionis perfectae.

818. **Scholion I.** *De necessitate amoris initialis* (n. 494) — Contendunt nonnulli praeter attritionem requiri in sacramento actum *amoris imperfecti* quem *initialem* appellant, sine quo vera hominis conversio ad Deum haberi nequit. Verum nullomodo demonstrari potest necessitas huius amoris: sincera enim ad Deum conversio iam sufficienter habetur per attritionem supra descripta, qua displicet peccatum super omnia quaque propterea peccator ad Deum convertitur. Neque provocare licet ad Conc. Trid. quod [1] ad iustificationem consequendam exigit ut peccatores *incipiant diligere Deum tamquam omnis iustitiae fontem*. Ibi enim Concilium loquitur de dispositionibus quae ad iustificationem obtinendam requiruntur, *etiam sine actuali sacramenti susceptione;* quo in casu requiritur *caritas perfecta*, quod est *diligere Deum tamquam omnis iustitiae fontem*.

819. **Scholion II.** *De attritione existimata* (n. 495) — Contingere potest ut quis ex bona fide non detestetur peccatum super omnia, vel putet esse bonam attritionem *iudicium mentis* quo peccatum reputatur uti summum malum quodque voluntatem peccandi haud excludit. Sufficitne eiusmodi attritio in sacramento? Negandum nobis videtur. Quae enim necessaria sunt necessitate *medii* ad finem, haud sufficit eorum existimatio: atqui dolor de peccatis necessarius est necessitate *medii* ad eorum veniam obtinendam: ergo haud sufficit eius existimatio. Idcirco Trid. requirit dolorem de peccatis ad veniam consequendam, eumque talem ut voluntatem peccandi excludat. Quae rationes probant quoque contritionem perfectam *existimatam* haud iustificare extra sacramentum.

ARTICULUS II.

De sacramentali confessione.

820. **Confessio sacramentalis** (n. 496) — Alter actus, a peccatore ponendus, est confessio i. e. « *peccatorum accusatio facta sacerdoti ad absolutionem virtute clavium obtinendam* »; idcirco *sacramentalis* appellatur. Porro — a) alia est *generica* et alia *distincta*, prouti quis vel sua peccata in genere confitetur nullo speciali peccato accusato, vel peccata quorum conscientiam habet, confitetur iuxta eorum numerum et speciem. Iterum — b) alia est *actualis*, alia *virtualis*, prouti quis peccata sua reapse confitetur, vel non habet nisi voluntatem eadem confitendi, aliquo existente impedimento.

---

1. sess. 6. c. 6.

Porro — c) novatores quamvis concedant *utilitatem* confessionis necnon *factum* quoque in antiqua Ecclesiae praxi, eius tamen *necessitatem* ex iure divino acriter inficiantur. Ecclesia autem — d) *necessitatem* confessionis *distinctae* ex iure divino definivit in Conc. Trid. [1]: « Si « quis dixerit in sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum « necessarium non esse *iure divino* confiteri omnia et singula peccata « mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione « habeatur, etiam occulta et quae sunt contra duo ultima Decalogi « praecepta, et circumstantias quae peccati speciem mutant; sed eam « confessionem tantum esse *utilem* ad erudiendum et consolandum « pœnitentem, et olim observatam fuisse ad satisfactionem canonicam « tantum imponendam; aut dixerit eos qui omnia peccata confiteri « student, nihil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum; « aut demum non licere confiteri peccata venialia A. S. ». Sint ergo seqq. conclusiones.

821. **Conclusio I.** « *Recursus ad clavium potestatem — 1° necessarius est et quidem — 2° necessitate medii — 3° in re vel in voto omnibus post Baptismum lethaliter lapsis* » (n. 500-504) — Conclusio est *de fide catholica.*

Prob. 1. pars — Christus dixit Apostolis [2]: « *Quorum remiseritis peccata etc...* » — « *Quaecumque alligaveritis etc...* ». Ex quibus sic: in verbis Christi remissio retentioque peccatorum, quae fit in coelis h. e. a Deo, adeo connectitur cum actu Apostolorum, ut Apostolorum actus se habeat ut conditio, actus Dei ut conditionatum. Scilicet peccata a Deo remittuntur, remittentibus Apostolis, retinentur, retinentibus Apostolis h. e. denegantibus Apostolis remissionem. Atqui id tandem significat necessariam esse subiectionem ad clavium potestatem, ut obtineri possit a Deo peccatorum venia: ergo. — Merito ergo s. Augustinus [3]. « Nemo sibi dicat: occulte ago poenitentiam, apud « Deum ago, novit qui mihi ignoscat quid in corde ago. Ergo sine « causa dictum est: *Quae solveritis in terra etc.?* Ergo sine causa « claves datae sunt Ecclesiae? Frustramusne evangelium Dei, fru- « stramus verba Christi? ».

Prob. 2. pars — Illud est necessarium necessitate *medii* ad iustificationem, quod ex divina institutione ita requiritur ut si non adhibeatur, iustificatio obtineri nequeat, non ex eo tantum quod peccatur, sed ex eo simpliciter quod medium non adhibetur. Atqui talis est subiectio peccatoris ad claves: Christus enim ita connexuit remissionem peccatorum in coelis sc. quae a Deo fit, cum exercitio potestatis clavium, ut nonnisi remittentibus vel retinentibus Apostolis in terris, Deus remittat vel retineat in coelis: ergo.

1. sess. 14. c. 7. coll. cn. 6. — 2. Io. XX. 23. - Matth. XVIII. 18. — 3. serm. 392.

Prob. 3. pars — Ex divinae revelationis fontibus duo rata ac certa sunt: — a) directam peccatorum remissionem post Baptismum obtineri non posse independenter ab exercitio potestatis clavium: — b) contritionem aut caritatem perfectam vim habere iustificandi statim peccatorem. Ergo haec duo non sunt invicem committenda, sed componenda. Atqui componuntur si dicatur: — α) peccatorem teneri ad sese subiiciendum clavibus ut veniam assequi possit: — β) huiusmodi obligationem haud tolli per contritionem vel caritatem, quinimmo contritionem caritate perfectam includere voluntatem (votum) satisfaciendi illi obligationi, alioquin non esset caritas *perfecta:* — γ) hac voluntate existente, Deum interim acceptare contritionem illam hominemque iustificare: proinde — δ) iustificatum adhuc teneri sese clavibus subiicere. Atqui id tandem significat recursum ad claves posse per aliud suppleri, adiuncto tamen eius voto: ergo.

822. **Conclusio II.** « *Modus divinitus institutus sese subiiciendi clavium potestati* — 1° *est peccatorum confessio* — 2° *distincta quidem si possibilis sit* — 3° *secus generica sufficit ad essentiam sacramenti* » (n. 505-512) — Conclusio est *de fide catholica.*

Prob. 1. pars — a) Potestas clavium, uti infra demonstrabimus, est potestas *iudicialis.* Atqui potestas iudicialis exerceri non potest nisi prius causâ cognitâ: ergo et potestas clavium. Atqui materia propria, in quam fertur iudicium huiusmodi, sunt peccata gravia post Baptismum admissa: ergo peccata, circa quae remittenda vel retinenda versatur potestas clavium, cognosci debent. Atqui non possunt aliter cognosci quam per poenitentis confessionem: ergo. In idem conspirat — b) sensus traditionalis Ecclesiae. Ante exortam enim controversiam cum protestantibus de confessionis necessitate sc. saec. XVI. nullus erat coetus christianus, qui necessitatem confessionis non profiteretur. Revera — α) ecclesia graeco-schismatica quae iam a saec. IX. ab Ecclesia latina reecesserat, convenit cum latina in agnoscenda confessionis necessitate, uti patet ex eorum synodo hierosolymitana (cp. 15.) a. 1672. celebrata. Item — β) in eadem fide conveniunt sectae illae orientales, quae iam a saec. V. a latina separatae sunt, uti constat ex cn. 20 earum synodi armenae in urbe Dovin habita a. 527. Item — γ) saec. V. IV. III. II. talis erat explicita Patrum praedicatio: ita e. g. s. Basilius [1]: « Necessario « iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio myste- « riorum Dei » — s. Cyprianus [2]: « Confiteantur singuli, quaeso « vos, fratres dilectissimi, dilectum suum, dum adhuc qui deliquit « in seculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio « et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est ». Quod

1. In regulis brevior. reg. 288. — 2. De lapsis n. 29.

si — δ) Ecclesia saec. IV. et III. doctrinam de confessionis necessitate professa est, ea profecto censeri debet originis *apostolicae*, novatorum e contra sententia corruptio antiquae fidei. Ceterum — ε) nullius ecclesiasticae institutionis obligationis confitendi nec auctor, nec patria, nec annus natalis assignari potest. Ridendi plane sunt, qui illius auctorem efferunt Innocentium III., qui necessitate confessionis supposita tamquam ab omnibus admissa, tempus solummodo determinavit quo saltem ei satisfaciendum est.

Prob. 2. pars — Necessitas confessionis *distinctae* colligitur — a) *ex natura potestatis clavium*. Ipsa enim — α) est potestas iudicialis, quae, incognitâ causâ, exerceri non potest. Atqui obiectum, circa quod versatur, sunt peccata gravia post Baptismum commissa: ergo eadem *distinctim* praecognosci debent, idque ex *iure divino:* censendum est enim Christum voluisse, ut potestas iudicialis eo modo exerceatur quem ipsius postulat indoles et consuetudo fert. Ipsa — β) ordinata est non modo ad remittendum, verum etiam *ad retinendum*, necnon ad congruentes poenas imponendas. Atqui sententia *retentionis* ac iudicium poenarum imponendarum ex qualitate quoque criminis determinari potest: ergo. Hisce quidem argumentis Trid. [1] necessitatem confessionis distinctae comprobat. Eadem necessitas colligitur — b) ex utilitate eiusdem confessionis distinctae, quam sic exponit Hurter [2]: « Confessio consentanea est — a) *naturae humanae*. Sicut enim na- « tura organica humores pravos, venenum, cibum indigestum eiicere « nititur et hac reiectione relevatur; ita confessione peccatum ex « animi latebris egeritur magna conscientiae revelatione et consola- « tione. Consentanea est — b) *peccatori* christiano, qui eius necessi- « tate excitatur a somno peccati, obligatur ad scrutandam conscien- « tiam et examinandum statum animae suae, quo procuret salutem « suam, adhibeat salutis media et resipiscat a peccatis suis. Consen- « tanea est — c) *iustitiae divinae*. Omne enim peccatum includit quam- « dam inobedientiam et superbiam; superbiae medetur confessionis « humilitas, inobedientiam reparat prompta subiectio sub sacerdotis « iudicio. Quamobrem nulla satisfactio confessione est melior, nihil « adeo placat offensum quam humilis culpae agnitio et confessio. « Consentanea est — d) *missioni et fini* Ecclesiae, cuius est docere « non modo integras nationes, sed et singulos promovere in via sa- « lutis et perfectionis. Eo autem melius poterit aliquis discipulum « instituere, quo penitius eum cognoverit. Denique — e) consentanea « est ipsi *societati* humanae, cuius bonum admodum promovere po- « test prudens confessarius componendo lites et dissidia, conciliando « inimicos, procurando bonorum ablatorum restitutionem, impediendo « scandala ».

1. sess. 14. c. 5. — 2. tom. 3. n. 1598.

Prob. 3. pars — Potestas clavium *primario* est divinitus ordinata *ad absolvendum*, et nonnisi subordinate ad absolutionem ordinatur ad *retinendum*. Atqui elementa *essentialia* exercitio potestatis *absolvendi* ex parte poenitentis sunt *dolor* de peccatis et *manifestatio* proprii status, qui sit sufficiens ut sacerdos illum iudicare possit indigentem absolutionis: quae quidem sufficiens manifestatio in sola quoque confessione *generica* continetur: ergo — Quinimmo ferri potest sententia absolutionis hypothetice absque *ulla* confessione, adeo ut valeat sententia, vera existente hypothesi quod aliqualis confessio praecesserit cum dolore coniuncta. Hoc enim in casu sacerdos, quia non absolvit absolute sed conditionate, alligat exercitium potestatis, ordinatae ad bonum fidelium, existentiae conditionum requisitarum ad essentiam sacramenti. Fatendum tamen est, hisce in casibus peccata non cognita remitti quidem per potestatem clavium, at non *iudicialiter*. Quia autem *ordinario* homines in iis adiunctis reperiuntur, in quibus possunt singula peccata sua manifestare, idcirco voluit Christus ut, cessante impossibilitate confessionis distinctae, illi qui cum sola generica confessione absoluti sunt, obligarentur ad confessionem distinctam eorundem peccatorum ut *iudicialiter* absolvantur.

ARTICULUS III.

De sacramentali satisfactione.

823. **Satisfactionis indoles** (n. 513) — *Satisfactionis* nomine intelligitur « *voluntaria alicuius poenae toleratio tum ad compensandam iniuriam Deo illatam per culpam, tum ad redimendam poenam temporalem post remissum peccatum reliquam necnon ad cavendum a futuris* ». Hinc duplex est finis satisfactionis sc. alter *vindicativus* seu compensatio aliqua iniuriae Deo illatae et punitio quaedam: et sub hoc respectu est actus *iustitiae* [1] — alter *medicinalis* seu sanatio hominis per opera satisfactoria, quibus a novis peccatis praeservatur; et sub hoc respectu est actus *caritatis*.

824. **Satisfactionis necessitas** (n. 514-515) — Protestantes docent remissâ culpâ per poenitentiam, seu melius, in ipsorum doctrina, *per fidem*, remitti omnem poenam sive aeternam, sive temporalem, adeo ut poenae, quae post dimissam culpam manent, non sint *vindicativae*, sed solummodo *medicinales* seu *praeservativae*. At contra Trid. [2]: « Si « quis dixerit totam poenam simul cum culpa remitti a Deo semper « satisfactionemque poenitentum non esse aliam quam fidem qua ap- « prehendunt Christum pro eis satisfecisse A. S. ». Revera « in peccato

1. cfr. s. Th. Suppl. q. 12. a. 2. — 2. sess. 14. cn. 12

« mortali sunt duo sc. aversio ab incommutabili bono et conversio « ad commutabile bonum inordinata. Ex parte ergo aversionis ab in- « commutabili bono consequitur peccatum mortale reatus poenae « aeternae, ut qui contra aeternum bonum peccavit, in aeternum « puniatur; ex parte etiam conversionis ad bonum commutabile, in « quantum est inordinata, consequitur peccatum mortale reatus ali- « cuius pœnæ, quia inordinatio culpæ non reducitur ad ordinem iusti- « tiae nisi per poenam: iustum est enim, ut qui voluntati suae plus « indulsit quam debuit, contra voluntatem suam aliquid patiatur; sic « enim erit æqualitas. Unde Apoc. [1]: « *Quantum glorificavit se et in « deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum* ». Quia tamen « conversio ad bonum commutabile est finita, non habet ex hac parte « peccatum quod debeatur ei poena aeterna. Unde si sit inordinata « conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, sicut in « venialibus, non debetur peccato poena aeterna, sed temporalis. « Quando igitur per gratiam remittitur culpa, tollitur aversio animæ « a Deo, in quantum per gratiam anima cum Deo coniungitur. Unde « et per consequens simul tollitur reatus pœnæ æternæ; potest tamen « remanere reatus alicuius poenæ temporalis »: quia hæc cum gratia ideoque cum conversione ad Deum stare potest. Hinc necessitas satisfaciendi pro poena temporali superexistente. Ad rem s. Augustinus [2]: « Impunitum non potest esse peccatum, impunitum esse non « decet, non oportet, non est iustum. Ergo puniatur a te, ne puniaris « pro illo »: et Isidorus hispal. [3]: « Poenitentia appellata est quasi « *punitentia* eoquod homo ipse in se puniat poenitendo quod male « admisit ». Neque id adversatur plenitudini satisfactionum Christi. Hinc enim voluit Christus ut fructus satisfactionum suarum non applicarentur adultis independenter ab eorum cooperatione conditionibusque ab ipsis servandis, inter quas locum habet satisfactio a poenitente praestanda: inde vero satisfactiones nostrae satisfactiones et merita Christi praesupponunt, quia supponunt Deum hominibus placatum, quod est fructus satisfactionis Christi: supponunt gratiam ad satisfaciendum, quae est fructus sanguinis Christi: supponunt opera nostra satisfactoria acceptari a Deo, quod pariter a Christi meritis descendit.

825. **Opera satisfactoria** (n. 516) — Quae autem sint opera quibus iustificatus possit temporalem poenam redimere, declaravit Trid. [4]: « Si quis dixerit pro peccatis quoad poenam temporalem « minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis et « patienter toleratis — vel a Sacerdote iniunctis — sed neque sponte

1. Apoc. XVIII. 7. — 2. serm. 20. n. 2. — 3. l. 6. ethym. n. 71. — 4. sess. 14. cn. 13.

« susceptis, ut jejuniis, orationibus et eleemosynis, vel aliis etiam « pietatis operibus, atque ideo optimam poenitentiam esse tantum « novam vitam A. S. ». Porro — a) *jejunium, orationem* et *eleemosynam* valde apta esse ita explicat Angelicus [1]: « Satisfactio debet « esse talis, per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei. « Nos hautem non habemus nisi tria bona sc. animae, corporis et « fortunae. Ex bonis quidem fortunae subtrahimus nobis aliquid per « eleemosynam, ex bonis corporis per jejunium, ex bonis autem « animae per orationem, eam submittendo Deo totaliter. Competit « etiam iste numerus ex parte illa qua satisfactio peccatorum causas « excidit, quia radices peccatorum tres ponuntur 1. Io. II. 16. sc. « *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum* et *superbia vitae*. « Contra concupiscentiam carnis ordinatur *jejunium*, contra concu- « piscentiam oculorum *eleemosyna*, contra superbiam vitae *oratio* ». Item — b) de poenis a Deo inflictis sic ait idem s. Doctor [2]: « Si « flagella quae pro peccatis a Deo infliguntur, fiant aliquo modo « ipsius patientis, rationem satisfactionis accipiunt. Fiunt autem « ipsius in quantum ea acceptat ad purgationem peccatorum, eis « utens patienter. Si autem omnino eis per impatientiam dissentiat, « tunc non efficiuntur aliquo modo ipsius et ideo non habent ra- « tionem satisfactionis sed vindicationis tantum ». Denique — c) conditiones requisitae ut opus sit *satisfactorium*, illae sunt imprimis quas supra (n. 669.) diximus necessarias esse ad rationem *meriti:* praeterea requiritur ut opus sit aliquomodo *poenale*. Nam « satisfactio « respectum habet et ad praeteritam offensam, pro qua compensatio « fit per satisfactionem, et etiam ad futuram culpam, a qua per « eam praeservamur. Et quantum ad utrumque exigitur ut sati- « sfactio per opera poenalia fiat. Recompensatio enim offensae im- « portat adaequationem, quam oportet esse eius qui offendit in of- « fensum. Adaequatio autem in humana iustitia attenditur per sub- « tractionem ab uno qui plus habet iusto, et additionem ad alterum « cui subtractum est aliquid. Quamvis autem Deo, quantum est ex « parte eius, nihil subtrahi possit, tamen peccator, quantum in ipso « est, aliquid ei subtraxit peccando (sc. rationem ultimi finis). Unde « oportet ad hoc quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur « a peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat. Opus « autem bonum, ex hoc quod est eiusmodi, non subtrahit aliquid « ab operante, sed magis perficit ipsum. Unde subtractio non potest « fieri per opus bonum nisi poenale sit. Et ideo ad hoc quod aliquod « opus sit satisfactorium, oportet quod sit bonum ut in honorem Dei « sit; et poenale, ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur. Similiter

1. Suppl. q. 15. a. 3. — 2. a. 2.

« etiam poena a culpa futura praeservat, quia non facile homo ad « peccata redit ex quibus poenam expertus est. Unde secundum « Philosophum poenae medicinae sunt » [1].

826. **Ministrorum ius et officium imponendi opportunas satisfactiones** (n. 517). — Quod ministri potestatis clavium — a) *ius* habeant, colligitur ex potestate *ligandi* qua instructi sunt: inter vincula enim quibus creatura rationalis *moraliter* ligari potest, locum habet et vinculum *poenae*. Hinc Trid. [2]: « Si quis dixerit claves Ec- « clesiae esse datas tantum ad solvendum et non etiam ad ligandum, « et propterea sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere « contra finem clavium et contra institutionem Christi, et fictionem « esse quod virtute clavium sublata poena aeterna, poena temporalis « plerumque exsolvenda remaneat A. S. » Quod — b) *officium* habeant ex eo constat quod peccatores a peccato deterrere teneantur « ne si forte peccatis conniveant et indulgentius cum poenitentibus « agant, levissima opera pro gravissimis delictis iniungendo, alie- « norum peccatorum participes efficiantur » [3]. Ergo — c) poenitens acceptare tenetur easque implere poenitentias quae a Confessario imponuntur « quantum spiritus et prudentia (sacerdotum) suggesserit pro qualitate criminum et poenitentium facultate » [4]. Et illud adhuc emolumenti capiunt fideles implentes satisfactionem sacramentalem, quod haec, cum sit pars (integralis) sacramenti, virtutem quamdam habet *ex opere operato* ad delendam reliquam poenam peccatis debitam.

CAPUT IV.

De actu sacerdotis seu de absolutione.

827. **Natura quaestionis** (n. 518-519) — In actu *absolutionis* duae veluti formalitates distingui possunt ac debent sc. sententia *iudicialis* et actio *sacramentalis*, idque necessario et inseparabiliter: absolutio igitur prouti est sententia *iudicialis*, requirit in illam proferente potestatem *iurisdictionis;* prouti est actio *sacramentalis*, exigit *ordinis* potestatem; quae quidem *ordinis* potestas, uti mox probabimus, est potestas propria *sacerdotis*, sive episcopi, sive presbyteri. Ergo — a) subiectum seu minister potestatis clavium ex Iure divino est solus *sacerdos* — b) praeter *ordinis* potestatem requiritur ex iure divino potestas *iurisdictionis* — c) utraque proinde potestas, seorsim sumpta, est *incompleta* ad effectum remissionis peccatorum — d) potestas *ordinis sacerdotalis* eo spectat ut constituat su-

1. s. Th. q. 15. a. 1. — 2. sess. 14. cn. 15. — 3. ib. c. 8. — 4. l. c.

biectum capax accipiendae iurisdictionis in foro interno, câque acceptâ, administrandi Poenitentiae sacramentum — e) utraque ergo potestas exercetur in ferenda sententia absolutionis, *ordinis* potestas quatenus absolutio est actio *sacramentalis* — potestas *iurisdictionis* quatenus est actus *iudicialis*. Utriusque potestatis necessitatem declaravit Synodus Tridentina [1]: « Si quis dixerit sacerdotes, qui in « peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, « aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus « et singulis fidelibus esse dictum: *Quaecumque ligaveritis etc...* et: « *Quorum remiseritis peccata etc.:* quorum verborum virtute quilibet « absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit: secreta vero per spontaneam confessionem A. S. »: et [2]: « Quoniam natura et ratio iudicii illud « exposcit ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum « semper fuit et verissimum esse haec Synodus confirmat, nullius « momenti eam esse absolutionem debere, quam sacerdos in eum « profert in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdi- « ctionem ». Sit ergo sequens

828. **Conclusio unica** — « *Quamvis ad exercendam clavium potestatem* — 1° *requiratur potestas ordinis sacerdotalis, tamen* — 2° *cum clavium potestas sit iudicialis, idcirco* — 3° *requiritur etiam potestas iurisdictionis* (n. 521-524) — Conclusio est *de fide catholica*.

Prob. 1. pars — Christus apud Matth. et Io. [3] potestatem *ligandi* atque *solvendi* — *remittendi* et *retinendi* peccata Apostolis contulit. Atqui — a) absque omni controversia successores Apostolorum in tota ipsorum ordinaria potestate sunt episcopi: — b) presbyteros autem sicut et in potestate consecrandi, ita et in *absolvendi* potestate successisse Apostolis — α) testantur monumenta antiquitatis, præsertim libri poenitentiales: testantur — β) Patres ut e. g. Ambrosius [4]: « Ius hoc solvendi solis permissum sacerdotibus est » : et s. Chrysostomus [5]: « Corporis lepram purgare, imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum, Iudaeorum sacerdotibus licebat ..... Hi vero non lepram corporis, sed immunditiam animae « non purgatam probandi, sed prorsus purgandi potestatem accepe- « runt ». Neque — γ) obstat Cyprianus qui [6] concedere videtur diaconis potestatem *reconciliandi* lapsos in articulo mortis constitutos in defectu presbyteri. Nomine enim *reconciliationis* haud venit reconciliatio *sacramentalis*, sed reconciliatio cum Ecclesia in foro externo, qua lapsis, quodammodo excommunicatis h. e. communione cum Ec-

1. sess. 14. c. 10. — 2. c. 7. — 3. Matth. XVIII. 18. XVI. 19. - Io. XX. 23. — 4. De Poenit. l. 1. n. 7. — 5. De sacerd. l. 3. n. 5. — 6. in epist. 13. ad presbyt. et diaconos.

clesia plus minusve privatis, intuitu intercessionis martyrum relaxabatur reliqua poenitentia peragenda.

Prob. 2. pars — Potestas *iudicialis* ea est quae ordinatur ad sententiam ferendam in causis violati iuris, necnon ad poenas infligendas pro criminum qualitate, atque ita ut subditi tali sententiâ obligentur. Atqui potestas clavium — a) *primario* ordinatur ad sententiam absolutionis ferendam in causis violati Iuris divini, et *secundario* ad sententiam retentionis — b) ordinatur quoque ad imponendas poenas pro peccatis — c) est potestas *necessaria*, quia recursus ad claves est necessarius necessitate *medii* ad peccatorum veniam et ad salutem: ergo [1].

Prob. 3. pars — Ex argumentatione Conc. Trid. [2]: « Quoniam « natura et ratio iudicii illud exposcit ut sententia in subditos dum- « taxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit et verissimum « esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam « esse debere, quam sacerdos in eam profert, in quem ordinariam « aut subdelegatam non habet iurisdictionem ». Quam quidem potestatem iurisdictionis presbyter non habet vi ordinationis, cum Trid. supponat nullius esse momenti absolutionem, quam sine iurisdictione profert sacerdos: sed eam dein successu temporis consequitur vel adepto aliquo munere cui potestas iurisdictionis in foro interno adnexa sit, vel per concessionem Superioris aut eius commissionem.

829. **Scholion I.** *Forma absolutionis — veritas sacramenti pœnitentiae* (n. 525-526) — Absolutio est actus *primarius* potestatis clavium, actus *iudicialis*, in quo consistit essentialiter exercitium potestatis clavium. Eius formulam declaravit Eugenius IV. in instr. pro armenis: « Forma huius sacramenti sunt *verba absolutionis* quæ profert sacerdos « quum dicit: *Ego te absolvo* ». Porro absolutio non est solummodo *declarativa*, sed *efficax* ipsius remissionis peccatorum, uti definivit Trid. [3]: « Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non « esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et « declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se « esse absolutum ..... A. S. ». Et revera potestas clavium est reapse potestas deletiva peccatorum: ergo et sententia absolutionis, quæ est actus proprius huius potestatis. Haud parum vero disputant Theologi utrum absolutionis forma esse possit *deprecatoria* (e. g. absolvat te Deus), an necessario debeat esse *indicativa* (e. g. ego te absolvo). Ex his sequitur, ritum, quo per confessionem peccatorum cum dolore coniunctam necnon per absolutionem sacerdotis peccata remittuntur, esse *verum sacramentum*. Et sane ille ritus — a) est *sensibilis* in subiectione pœnitentis ad clavium potestatem mediante dolorosa con-

1. cfr. Trid. sess. 14. cp. 5. — 2. sess. 14. c. 7. — 3. sess. 14. cn. 9.

fessione, et in absolutione sacerdotis — b) est *efficax gratiae* quia peccata remittit, remissio autem peccatorum fit per infusionem gratiae — c) est a Christo *institutus*, quia potestas clavium communicata est Apostolis in perpetuum permansura in Ecclesia: ergo.

830. At quaeritur quaenam sit *materia* et *forma* huius sacramenti. *Forma* ex dictis sunt verba absolutionis: *Ego te absolvo a peccatis tuis* [1]. Quoad *materiam* vero Scotus [2] censet, eam adhuc esse absolutionem quatenus hæc est *ritus sensibilis;* simul vero *formam* quatenus significat effectum sacramenti. Verum *communior* sententia statuit actus poenitentis sc. contritionem et confessionem, esse materiam *ex qua* sacramentum hoc constituitur. Et merito quidem: ait enim Trid. [3] « vim huius sacramenti *praecipue* esse sitam in forma seu in illis « ministri verbis: *Ego te absolvo* ». Quare: vis sacramenti in eius essentia sita est sc. in materia et forma, ex quibus coalescit. Atqui ex Tridentino vis sacramenti pœnitentiæ *praecipue* posita est in forma absolutionis: ergo *non unice* in absolutione. Atqui praeter verba absolutionis nil aliud reperire est quam actus poenitentis: ergo hi tamquam *materia* ad essentiam sacramenti concurrunt. Idcirco idem Conc. (l. c.) actus poenitentis appellat *quasi-materiam* huius sacramenti « non quia *verae* materiae rationem non habeant, sed quia « eius generis materia non sint, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua « in Baptismo et chrisma in Confirmatione; nam in eo maxime hoc « sacramentum ab aliis differt, quod aliorum sacramentorum materia « est res aliqua naturalis vel arte effecta, sacramenti vero pœnitentiæ « *quasi-materia* sunt actus pœnitentis » [4].

831. **Scholion II.** *De casuum reservatione* (n. 527) — Huius nomine intelligitur quaedam iurisdictionis limitatio relate vel ad quaedam peccata — vel ad quasdam personas — vel ad quaedam loca; ita ut iudex inferior non possit valide absolvere, ex defectu necessariae iurisdictionis, ab illis peccatis, vel illas personas, vel illis in locis. Porro posse Pontificem pro tota Ecclesia, episcopos pro suis dioecesibus casus reservare, ita ut casus reservati ab inferiorum iudicum iudicio *penitus* subtrahantur, ex natura reservationis omnino patet. Hinc Trid. [5]: « Si quis dixerit episcopos non habere ius reservandi sibi « casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reserva- « tionem non prohibere quominus sacerdos a reservatis vere absolvat A. S. ». Finis vero reservationis ex Trid. [6] est « *christiani populi disciplina* »: idcirco reservatio simul est *poenalis* et *medicinalis*. Tamen in periculo vel articulo mortis cessat omnis reservatio [7].

---

1. sess. 14. c. 3. — 2. in 4. dist. 16. q. 1. — 3. sess. 14. c. 3. — 4. Cath. rom. *de sacr. pœnit. n.* 10. — 5. sess. 14. can. 11. - cfr. propp. 44-45 pistor. — 6. c. 7. — 7. Trid. l. c.

832. **Scholion III.** *De remissione venialium* (n. 528) — Etsi — a) « venialia recte et utiliter in confessione dicantur, taceri tamen citra « culpam multisque aliis remediis expiari possunt » [1] — b) Ad eorum remissionem necessaria est aliqua *poenitentia* [2], non quidem *formalis,* sed *virtualis,* qualis habetur in quovis actu virtuoso, necnon *status gratiae* [3]. Idcirco — c) remissio venialium *formaliter* non consistit in infusione gratiae sanctificantis, etsi ea inseparabilis sit a gratiae augmento [4]. *Media* autem — d) quibus extra confessionem venialia remitti possunt, ad tria reducit Angelicus sc. — α) ad *sacramenta* quae gratiam in nobis augendo, eoipso augent in nobis fervorem charitatis, quo magis adhaerendo Deo et recedendo a bono creato, obtinemus remissionem venialium: — β) ad *poenitentialia* sc. ad opera quae fiunt cum aliquo motu detestationis peccati, cuiusmodi sunt confessio generalis, tunsio pectoris, oratio dominica in qua dicimus: *Dimitte nobis debita nostra:* — γ) ad *sacramentalia.*

CAPUT V.

Appendix de indulgentiis.

833. **Genuina notio indulgentiae** (n. 530-531) — Indulgentia definiri potest: « *Remissio poenae temporalis adhuc post dimissam culpam peccatis debitae, coram Deo valida, per applicationem thesauri Ecclesiæ a legitimo Superiore factam extra Pœnitentiæ sacramentum* ». Quapropter *ratio formalis* indulgentiae vel continetur in iudiciaria eaque authentica *absolutione* a poena temporali per clavium potestatem, uti explicant nonnulli, vel iuxta alios in *solutione* seu in compensatione poenae temporalis per satisfactiones Christi et Sanctorum a competenti auctoritate Deo pro fidelibus oblatas. Iuxta quem sensum scribit Angelicus [5]: « Ille qui indulgentias suscipit, « non absolvitur simpliciter loquendo a poenae debito, sed datur ei « unde debitum solvat » — Indulgentiæ dividuntur — a) in *partiales* et *plenarias* quatenus vel tota, vel pars aliqua poenae temporalis remittitur [6] — b) in *personales, locales* et *reales* prouti vel immediate conceduntur personis, vel affiguntur alicui loco, vel adnectuntur alicui rei e. g. rosario, imagini, cruci: — c) in *applicabiles* vel *non*

1. sess. 14. c. 5. - cfr. prop. 39. in pistor. damn. — 2. s. Th. 3. q. 87. a. 1. — 3. q. c. a. 4. — 4. q. c. a. 2. — 5. Suppl. q. 25. a. 1. ad 2. — 6. Sensus autem illarum formularum: *indulgentia 40 dierum, septem annorum etc. ..*: est, tantum remitti pœnæ temporalis adhuc in hac vita vel in altera solvendæ, quantum remitteretur ei, qui pœnitentiam canonicam 40 dierum, 7 annorum etc..... ageret.

applicabiles defunctis. Advertatur tamen indulgentias defunctis prodesse non per modum iudiciariae absolutionis a poenis, siquidem Ecclesiae potestati non amplius subsunt; sed *per modum suffragii* quatenus Ecclesia offert Deo satisfactiones Christi et Sanctorum, ut ex earum intuitu Deus relaxet poenas adhuc ipsis luendas.

834. **Quid thesaurus Ecclesiae** (n. 532) — Nomine *thesauri* intelligitur *obiective* res ipsa pretiosa, *subiective* res continens ac conservans rem pretiosam. Hinc ad rem nostram thesaurus *obiective* sunt Christi ac Sanctorum satisfactiones, *subiective* vero est Dei memoria, amor, iustitia ac supernaturalis providentia, in quibus satisfactiones illæ reconditæ sunt ut opportuno tempore hominibus applicentur. Revera — a) satisfactiones Christi fuere *infiniti valoris* ob infinitam dignitatem personae satisfacientis: ergo earum efficacia exhauriri nequit. Item — b) admitti debent satisfactiones *supereffluentes* Sanctorum: negari enim nequit extitisse Sanctos qui plus debito passi sunt, ut ex. gr. s. Io. Baptista, martyres, Virgo immaculata regina martyrum; quae quidem *superexcedentes* satisfactiones suum retinent valorem. Hinc prop. 73. in Baio damnata: « Nemo praeter Christum « est absque peccato originali: hinc B. V. mortua est propter pec- « catum ex Adam contractum omnesque eius afflictiones in hac vita « sicut et aliorum iustorum fuerunt ultiones peccati actualis vel ori- « ginalis »: cf. prop. 72. Atqui infinita bonitas Dei pati nequit, has Christi et Sanctorum satisfactiones oblivioni tradi fructuque suo privari: ergo semper vivent in eius conspectu, ut aliis saltem prosint. Hinc damnata est prop. 17. Lutheri: « Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et SS. » [1].

835. **Ecclesiae competit potestas concedendi indulgentias** (n. 533-536) — *De fide* est ex Trid. [2] Ecclesiam *potestatem* habere concedendi indulgentias easque *prodesse* populo christiano. Res evincitur ex amplissima clavium potestate. Christus enim potestatem fecit Ecclesiae relaxandi vincula, quae ingressum in coelum impediant [3]. Atqui non modo vinculum *culpae*, sed et *poenae* ingressum in coelum impedit, illum retardando: ergo. Quod si quaeritur *quibusnam* competat haec potestas, respondet Traditio potestatem eiusmodi non omnibus competere clavium ministris, sed tantum iis qui sunt *pastores principes* in Ecclesia, seu *primo gradu* Pontifici, *secundo* episcopis « secundum quod eis est taxatum a Pontifice » [4]. Ratio *convenientiae* haec esse potest quod *principis* est proprium condonare poenas subditis. Requiritur tamen, ut *valida* sit indulgentiae concessio, *iusta* et *legitima causa*, ut ipsi Pontifices profitentur; haec autem

1. cfr. prop. 41. in pistor. damn. — 2. sess. 25. decr. de indulg. — 3. Matth. XVI. 19. — 4. Suppl. q. 26. a. 3. - cfr. Const. *Super soliditate* Pii VI.

videtur esse iuxta Bellarminum [1] ut plus honoris in Deum et utilitatis in Ecclesiam redundet, quam ex rigida peccatorum vindicta.

SECTIO V.

De Extrema Unctione.

836. **Veritas sacramenti Extremæ Unctionis** (n. 538) — Contra protestantes Trid. definivit [2]: « Si quis dixerit Extremam Unctionem « non esse vere et proprie sacramentum a C. D. N. institutum et a « b. Iacobo Ap. promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus « aut figmentum humanum A. S. ». Quae veritas, ceteris omissis, patet ex Scriptura [3]: « *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei* ». Ex quibus constat — a) eam esse ritum *sensibilem*, quia continetur in unctione infirmi et oratione super ipsum a presbyteris facienda: esse — b) *efficacem gratiae,* quia per ipsam remittuntur peccata si opus fuerit; peccatorum autem remissio sine infusione gratiae non fit: esse — c) *divinitus institutum,* cum nonnisi Deus possit connectere gratiam sensibili signo.

837. **Materia - forma - minister** (n. 539) — Extremae unctionis — a) materia *remota* est *oleum*, prouti constat ex Iacobo — oleum *olivarum* (ex Conc. Florent.) — oleum *benedictum* uti declaravit Paulus V. [4] et adprobavit Gregorius XVI. [5]: benedicitur autem ab episcopo (ut apud latinos) vel etiam a presbytero ex S. P. concessione expressa vel tacita (ut apud græcos) — Materia *proxima* est *unctio* (quæ regulariter, etsi non necessario, fieri solet in figura crucis) — unctio *septuplex* sc. in quinque sensibus, in pedibus ac in renibus. Unctiones quinque sensuum necessariae videntur saltem necessitate *praecepti:* probabile est in casu necessitatis sufficere ad valorem sacramenti unctionem in una corporis parte sub unica forma universali omnes sensus complectente. *Forma* autem — b) est precatio quam sacerdos inter ungendum pronuntiat iuxta Rituale romanum, quae nunc est *deprecativa*, olim vero fuit *indicativa*. Demum — c) *minister* ex Iacobo est omnis et solus *praesbyter* seu sacerdos ab episcopo rite ordinatus, uti perpetua Ecclesiae traditio intellexit et Conc. Trid. declaravit [6]: « Si quis dixerit presbyteros Ecclesiae, quos b. Iacobus « adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sa- « cerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis com-

1. l. 1. c. 12. — 2. sess. 14. cn. 1. *De extr. unct.* — 3. Iac. V, 14. — 4. die 13 ian. 1615. — 5. die 14 sept. 1842. — 6. sess. 14. cn. 4.

« munitate, ob idque proprium Extremae Unctionis ministrum non « esse solum sacerdotes A. S. » — Apud latinos *ab uno* presbytero administratur sacramentum hoc, apud graecos a pluribus.

838. **Subiectum et effectus huius sacramenti** (n. 540) — Extremae Unctionis — a) *subiectum* est *homo baptizatus,* siquidem Iacobus per verba *in vobis* satis clare innuit hoc beneficium ei tantum conferri, qui membrum sit coetus christiani — *adultus* h. e. rationis usum consecutus, quia effectus praecipuus huius sacramenti est animi confortatio adversus diabolicas aggressiones, quandoque coniuncta cum peccatorum remissione: horum autem effectuum incapaces sunt rationis usu carentes — *graviter decumbens* ut colligitur ex verbis Iacobi: *infirmatur, infirmum.* Non excluduntur qui, senio confecti, in diem morituri sunt, quamvis non aegroti; infirmitas enim est ipsa senectus: excluduntur vero illi qui, licet in periculo mortis, tamen infirmi non sunt, ut profecturi ad bellum vel capite damnati. In eodem vero mortis periculo sacramentum hoc iterandum non est. Effectus — b) tres recensentur sc. — α) *primario* confortatio animi adversus difficultates in extremo agone occurrentes iuxta verba Iacobi: *Et alleviabit eum Dominus.* Praeterea — β) *secundario* et *per se* proxime disponit animam ad introitum gloriæ, quae quidem dispositio in eo consistit ut remittat peccata lethalia, si quae adhuc in infirmo maneant, necnon venialia — ut *poenas* quoque temporales relaxet, nisi obstet mala infirmi dispositio. Denique — γ) *secundario* adhuc et *contingenter* per hoc sacramentum « infirmus sublevatus..... sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur » uti ait Trident. [1] explicans verba Iacobi: *Oratio fidei salvabit infirmum.* Ex quibus praeclaris bonis — c) quisque inferre potest maximam utilitatem huius sacramenti. Et quamvis sacramentum hoc haud necessarium sit ad salutem, non poterit tamen sine peccato contemni, quemadmodum Tridentina Synodus declaravit [2].

SECTIO VI.

De sacramento Ordinis.

839. **Ordo quid** (n. 541-543) — Ritus ille sacer quo sacri ministri seu *clerici* in Ecclesia constituuntur, *ordo* seu *ordinatio* appellatur. Septem sunt eius *gradus* apud Latinos sc. *sacerdotium* quod est omnium apex quodque bifariam bipartitur sc. in *episcopatum* et *presbyteratum* — *diaconatus* quo qui praediti sunt, *diaconi* seu ministri audiunt, quia proprium est *diaconi* officium inservire sacerdoti sacrum facienti — *subdiaconatus* quo qui instruuntur, *subdiaconi* appellantur

1. c. 2. — 2. c. 3.

h. e. *subministri* quia immediate diaconis inserviunt — denique *acolythatus, exorcistatus, lectoratus* et *ostiariatus*. Apud Graecos quatuor tantum gradus numerantur sc. lectoratus, subdiaconatus, complectens acolythatum et ostiariatum, neglecto exorcistatu, diaconatus et sacerdotium [1]. Inde fluit nota divisio in Ordines *sacros* seu *maiores*, illi sc. qui propius circa Eucharistiam versantur quales sunt tres priores recensiti, et in *non sacros* seu *minores* qui remote circa Eucharistiam versantur, quales sunt posteriores quatuor. Ex episcopis, presbyteris et ministris constituitur sacer principatus seu *hierarchia* ordinis divinitus instituta: « Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hie- « rarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, « praesbyteris et ministris A. S. » [2].

840. **Ecclesiae doctrina** (n. 544) — Porro Trident. [3] definivit quidem, praeter sacerdotium adesse in Ecclesia alios ordines: « Si « quis dixerit, praeter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica « alios ordines, et maiores et minores, per quos velut per gradus « quosdam in sacerdotium tendatur A. S. »: at minime definivit quinam ex illis sint divinae institutionis. Ut ergo cum ordine procedamus sequentes conclusiones statuimus.

841. **Conclusio I.** « *Sacer ritus quo* — 1° *Clerici saltem potiores ac imprimis* — 2° *episcopi, presbyteri et diaconi constituuntur, est verum sacramentum* » (n. 545-551) — Prima pars est *de fide catholica* contra protestantes ex Trid. [4]: « Si quis dixerit Ordinem sive « sacram Ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a « C. D. institutum, vel esse quoddam humanum excogitatum a viris « rerum ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quemdam « eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum A. S. ».

Prob. 1. pars — a) ex Scriptura, ubi de sacrorum ministrorum constitutione haec legimus [5]: « *Hos statuerunt* (electos sc. in diaconos) *ante conspectum apostolorum et orantes imposuerunt eis manus* » — « *Noli negligere gratiam quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii* ». Ex quibus sic: ad essentiam sacramenti tria pertinent sc. ritus sensibilis — collatio gratiae — divina institutio: atqui Ordinatio — α) perficitur *per manuum impositionem* ac propterea ritu sensibili: est — β) efficax *gratiae* uti explicite admonet Apostolus: est — γ) *divinitus instituta;* noscimus enim apostolos non potuisse dare gratiam per manuum suarum impositionem, nisi Christus huic ritui vim producendi gratiam alligasset: ergo. Hinc s. Augustinus [6] Ordinationem veris sacra-

1. cfr. s. Th. 4. dist. 24. q. 2. a. 1. — 2. sess. 23. cn. 6. — 3. sess. 23. cn. 2. — 4. sess. 23. cn. 3. — 5. Act. VI. 6. - 1. Tim. IV. 14. - 2. Tim. I. 6. — 6. l. 2. cont. epist. Parmen. c. 13. n. 28. et 30.

mentis adnumerat: « Ipsi (Donatistae) explicent quomodo sacra-« mentum baptizati non possit amitti, sacramentum ordinati possit « amitti. Si enim utrumque sacramentum est, *quod nemo dubitat*, cur « illud non amittitur et istud amittitur? Neutri sacramento iniuria « facienda est ». Item — b) ex ratione congruentiae. Nam — α) sacramentum est *Baptismus* quo filii Ecclesiae gignuntur: ergo conveniens erit ut sacramentum sit *Ordo*, quo filiorum *patres* constituuntur. Item — β) sacramentum est *Confirmatio* quo Christi subditi in eius milites promoventur: ergo congruum est ut sacramentum sit *Ordo* quo militum *duces* creantur. Item — γ) sacramentum est *Matrimonium* quo sanctificatur status matrimonialis ad rite sustinenda eius onera et christiane implenda gravia ipsius munera: convenit ergo ut eodem ritu sanctificetur status sacerdotalis, cui haud desunt graviores difficultates nec minus alta, imo altiora munera adnexa sunt.

Prob. 2. pars — quae quoad *presbyteratum* est *de fide* definita a Tridentino ipsa definitione, qua veritas sacramenti Ordinis declarata est, uti mox dicemus — quoad *episcopatum* et *diaconatum* est *communis* inter Theologos. Porro — a) esse sacramentum *presbyteratum* sic patet. Ex can. 3. tridentino Ordo est sacramentum: ergo presbyteratus est sacramentum - *Prob. conseq.* De diaconatu et episcopatu dubitatum aliquando fuit utrum sint sacramenta: de presbyteratu nunquam. Ergo nisi presbyteratus esset sacramentum, definitio tridentina prorsus vaga ac indeterminata esset. Item — b) *episcopatum* et *diaconatum* esse sacramentum sic probatur. Ritus sensibilis — divinitus institutus — efficax gratiae, profecto inter sacramenta recenseri debet. Atqui episcopatus et diaconatus ritu sensibili conferuntur, qui continetur in manuum impositione et instrumentorum traditione simul cum prolatione verborum — hic ritus est efficax gratiae; in ordinatione enim episcopali et diaconali proferuntur ab Episcopo verba illa: *Accipe Sp. Sanctum*, quæ verba ex Tridentino [1] collationem gratiae sanctificantis significant — idem ritus est divinae institutionis: ex canone enim 6. tridentino supra relato (n. 839.) hierarchia, divinitus instituta, ex episcopis, presbyteris et ministris constat; ministrorum autem nomine diaconi saltem intelliguntur utpote qui primi veniunt post presbyteros ex universa christiana antiquitate: ergo.

842. **Scholion I.** *De reliquis Ordinibus* (n. 558) — Utramque sententiam affirmantem et negantem reliquos Ordines esse sacramentum, ita conciliare nititur Thomassinus [2]: « Nihil probabilius quam minores

1. cn. 4. sess. 23. qui ita habet: « Si quis dixerit per sacram Ordinationem non dari Sp. S., ac proinde frustra Episcopum dicere: *Accipe Sp. S. A. S.* ». — 2. De vet. et nova Eccl. discipl. p. 1. l. 20. c. 40.

« Ordines, comprehenso subdiaconatu, velut quasdam portiones esse « diaconatus, aliis aliisque temporibus et necessitatibus ab eo (per « Ecclesiam) decerptas. Quamobrem aliquo sensu eoque vero recte « dixeris, minores Ordines in suo fonte et origine i. e. in diaconatu « unde tamquam rivuli scaturierunt, institutionis esse divinae ».

843. **Scholion II.** *Materia, forma, subiectum* (n. 554) — a) Quoad materiam et formam episcopatus, presbyteratus et diaconatus *triplex* est sententia: *prima* statuit solam *manuum impositionem* et orationem ei adnexam esse materiam et formam essentialem Ordinis — *secunda* in sola *instrumentorum traditione* verbisque ad eam pertinentibus materiam et formam Ordinis reponit — *tertia* tuetur tum manuum impositionem, tum traditionem instrumentorum cum respectivis verbis ad essentialem materiam et formam sacramenti spectare: quae sententia ad tutiorem sacramenti effectum in praxi sequenda est [1]. In aliorum autem ordinum collatione antiquissima est consuetudo Ecclesiae latinae non imponendi manus, sed tradendi instrumenta. Subiectum — b) est homo *baptizatus* et *masculini sexus* iuxta illud Apostoli [2]: « *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit* ». Requiritur ut non sit *absolute invitus*, uti declaravit Innocentius III. [3].

844. **Conclusio II.** « *Sicut* — 1° *presbyteri diaconis praestant, ita* — 2° *episcopi excellentiores sunt presbyteris ex iure divino* » (n. 555-557) — Prima conclusionis pars est *de fide definita* ex can. 2. et 6. supra relatis (n. 839-840.). Item *secunda* pars ex can. 7.: « Si « quis dixerit episcopos non esse praesbyteris superiores, vel non « habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent, « illis esse cum presbyteris communem ..... A. S. ».

Prob. 1. pars — Ex consensione tam theoretica quam practica totius christiani nominis constat praesbyteris quidem competere, minime vero diaconis — a) potestatem *consecrandi* — b) potestatem *remittendi retinendique peccata* — c) conferendi *Extremam Unctionem* [4] — d) administrationem quoque Ecclesiarum [5]. Atqui potestas tum sacramentalis, tum iurisdictionis est *divinae institutionis:* ergo praesbyteri ex Iure divino diaconis antecellunt.

Prob. 2. pars — Sane inter prærogativas quibus episcopi præcellunt presbyteris, illam eminere qua soli ipsi, Christo auctore, *gignere patres*

1. Sententiarum diversitas forte explicatur dicendo Christum determinasse solummodo *in genere* materiam et formam huius sacramenti et reliquisse Ecclesiæ potestatem determinandi *in specie;* Ecclesiam vero hac potestate diversimode usam esse diversis temporibus, modo solam manuum impositionem, modo etiam instrumentorum traditionem adhibendo. — 2. 1. Cor. 14. - cfr. 1. Tim. 4. — 3. cp. *Maiores* de Bapt. et Ord. subiecto. — 4. Iac. V. 14. — 5. Act.. 22. XIV - 1. Tim. V. 17. - Tit. I. 5.

Ecclesiae possunt, alios episcopos et presbyteros ordinando, ex sequentibus Patrum testimoniis patet: ita s. Hieronymus [1]: « Quid facit, excepta ordinatione, episcopus, quod praesbyter non faciat? » : item s. Chrysostomus [2] « Sola ordinatione superiores sunt episcopi, atque hoc tantum plusquam presbyteri habere videntur » — s. Epiphanius [3]: « Episcoporum ordo ad gignendos patres praecipue pertinet, « huius est enim patrum in Ecclesia propagatio. Alter cum patres « non possit, filios Ecclesiae regenerationis lotione producit, non « tamen patres aut magistros » [4]. Quod discrimen ex Iure divino esse repetendum, ex eo constat quod sermo est de potestate divinitus instituta, quam propterea Christus uni characteri spirituali voluit esse adnexam.

845. **Conclusio III.** « *Lex coelibatus, ad quam Clerici maioribus ordinibus initiati obligantur, ex multiplici capite commendabilis est* » (n. 558) - Illa enim lex non est spernenda, quinimmo valde salutaris est, quae — a) nulli Iuri adversatur: quae — b) in Christi et Apostolorum exemplo est fundata: quae — c) veneranda antiquitate gaudet: quæ — d) plurium bonorum ferax est. Atqui lex cœlibatus — α) *nulli iuri* adversatur. Non legi *divino-positivae,* quia quae obiiciuntur ex Gen. [5]: « *Crescite et multiplicamini et replete terram* »: vel continent benedictionem et foecunditatem, quam contulit Deus in creatione humani generis — vel si *praeceptiva* sunt, ea respiciunt non *singulos* homines, sed *communitatem,* in qua semper erunt qui speciei propagationi prospicient — Non legi *naturali:* nulla enim existit lex naturalis quae omnibus et singulis humani generis individuis matrimonium iniungit — Non *bono societatis,* quod non tam consistit in magna hominum turba, quam in horum felicitate, pace et virtute. Atqui haec bona sine religione obtineri non possunt: religio autem eo potentius vim suam exserit salutarem, quo magis idonei sunt sacri ministri, quo maiori in auctoritate a populis habentur, ad quod apprime conducit coelibatus ecclesiasticus, uti mox dicemus: ergo. Lex coelibatus — β) innititur exemplo Christi et Apostolorum, qui relictis omnibus, etiam uxoribus [6], secuti sunt Christum. Hinc Hieronymus [7]: « Christus virgo, virgo Maria, utriusque sexus virginitatis dedicavere « principia; apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes ». Lex

1. ep. 85. ad Evang. n. 1. — 2. hom. 11. in I. Tim. — 3. hær. 75. — 4. Cum dicimus *solos* episcopos esse ministros sacramenti Ordinis, id intelligimus de collatione eorum ordinum qui sunt *sacramenta;* hinc ne unum quidem exemplum afferri potest ex tota christiana historia, presbyteros quandoque hos ordines contulisse, ne summa quidem urgente necessitate. Quod vero attinet ad ordines minores, solet aliquando Ecclesia etiam presbytero concedere ut eos conferat, idque concedere potest etiam quoad subdiaconatum. — 5. Gen. II. — 6. Matth. XIX. 27. coll. 29. — 7. ep. 48. apol. pro II. cont. Iovin. n. 21.

coelibatus — γ) antiquitate gaudet. Indubium enim est in Ecclesia *occidentali* vel a remotissima aetate coelibatum maxime floruisse, uti colligitur ex concilio Eliberitano (an. 305.) can. 33. et ex conc. Africano (a. 390.) n. 1., quae praecipiunt vel iam praeceptum supponunt coelibatum episcopis, praesbyteris, ac diaconis. Hinc s. Hieronymus [1]: « Episcopi, praesbyteri, diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut « certe post sacerdotium in aeternum pudici ». Imo in pluribus quoque Ecclesiae *orientalis* partibus iam a primis sæculis floruit, uti clare testantur Epiphanius [2], Hieronymus [3], Cyrillus hieros. [4]. Id saltem semper in Ecclesia orientali servatum fuit usque in praesens, ut nemini liceat matrimonium inire post susceptos maiores ordines. Lex coelibatus — δ) plurium bonorum ferax est. Etenim specialem vitæ sanctitatem in sacris ministris praefert — officiis divinis rite obeundis maxime congruit; nam « *qui cum uxore est, sollicitus est quomodo placeat uxori et divisus est* [5] — maiori in auctoritate coram plebe sacros ministros servat: quo enim fructu ministerium suum exercere poterit, quae veneratio a subditis expectanda, si fortasse vel uxor vel filii Parochi forent malae vitae, si ad tribunalia, ad carceres traherentur? Haec confirmantur exemplo tum graecorum presbyterorum, tum ministrorum anglicanorum et protestantium.

SECTIO VII.

De sacramento Matrimonii.

846. **Definitio** (n. 559) — Matrimonium, quod ex s. Augustino [6] *a matre* nomen accepit eoquod mulier nubat ut mater fiat, dupliciter considerandum est sc. *in facto esse* et *in fieri*. Sub priori consideratione est *vinculum morale* virum inter et mulierem existens, quod sic definiri potest: « *Maritalis coniunctio viri et mulieris inter legitimas personas, individuam retinens consuetudinem vitae* ». Sub altera consideratione est « *Contractus naturalis legitimus quo efficitur viri et mulieris maritalis coniunctio retinens individuam vitae consuetudinem* ». Porro tria de matrimonio quaerimus: — a) an ratio sacramenti vere et proprie insit matrimonio christiano — b) quae sint matrimonii christiani proprietates — c) quae potestas competat Ecclesiae in matrimonium. Quae omnia seqq. conclusionibus comprehendimus.

847. **Conclusio I.** « *Matrimonium christianum est verum propriumque N. L. sacramentum* ». (n. 562-566) — Conclusio est *de fide*

1. ep. 48. ad Pammach. n. 21. — 2. hær. 59. n. 4. hær. 48. n. 9. — 3. adv. Vigil. n. 2. — 4. cathec. 12. n. 25. — 5. 1. Cor. VII. — 6. c. Faustum l. 19. c. 26.

catholica ex Trid. [1]: « Si quis dixerit matrimonium non esse vere « et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a C. D. « institutum, sed ab homine inventum, neque gratiam conferre « A. S. » — Prob. — a) ex Scriptura; ita enim disserit Apostolus [2]: « *Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris sicut Christus caput est Ecclesiae, ipse salvator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam ..... Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis eius de carne eius et de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* ». Ex quibus en quod exurgit argumentum: Sacramentum est ritus externus — significans et producens gratiam — divinitus institutus. Atqui tria haec in Matrimonio habentur: ergo — *Prob. min.* Nam — α) contractus matrimonialis non aliter initur quam per signa consensum internum exprimentia: atqui huiusmodi ritus sensibilis est: ergo. Contractus huiusmodi — β) dum significat et producit vinculum coniugum, simul significat et producit gratiam, qua huiusmodi vinculum sanctificatur. Nam matrimonium repraesentat unionem Christi cum Ecclesia: atqui mystica Christi cum Ecclesia coniunctio est res sancta ordinisque supernaturalis: ergo oportet ut et vinculum matrimoniale, quod per mutuum consensum efficitur, supernaturali sanctitate sanctificetur. Atqui ad huiusmodi sanctitatem necessaria est gratia permanens sc. sanctificans, quæ ex eadem causa procedat, ex qua permanens ipsum vinculum procedit. Ergo contractus matrimonialis, dum significat et producit vinculum coniugale, simul illud sanctificat gratiâ supernaturali, ideoque evadit *signum practicum gratiæ*, quod est sacramentum — *Confirm.* ex eodem Apostolo, qui ex ratione typica matrimonii ad unionem Christi cum Ecclesia colligit officia dilectionis viri in mulierem et subiectionis mulieris erga virum. Atqui officia huiusmodi, prouti a Paulo describuntur, supernaturalia sunt utpote quae adumbrare et referre debent supernaturalem habitudinem Ecclesiae ad Christum et vicissim. Ergo contractus matrimonialis, qui sicuti est principium vinculi coniugalis, ita est illorum officiorum causa, dabit gratiam sanctificantem sibi propriam, ius tribuentem ad illa auxilia gratiae actualis, quae necessaria sunt ad illa officia rite implenda. Denique — γ) divina institutio deesse nequit, cum nonnisi Deus gratiam adnectere possit signo externo. Suffragatur — b) divina

1. sess. 24. cn. 1. — 2. Eph. V. 22.

Traditio: maximum enim pondus venit ex praescriptionis argumento, quo demonstratur (n. 707) semper in Ecclesia viguisse fidem de septem sacramentis, inter quæ numeratur etiam matrimonium. Hinc s. Augustinus [1]: « Bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines « in causa generandi est (bonum *prolis)*: et in fide castitatis (bonum « *fidei)*. Quod autem ad populum Dei pertinet (ad christianos), etiam « *in sanctitate sacramenti* (bonum *sacramenti)* ». Accedit — c) ratio congruentiae *ex scopo et munere* matrimonii. Ordinatur enim coniugium ad generationem prolis, ad materiam ministrandam Ecclesiae aedificandae, propagandae et consummandae, ad susceptam prolem rite educandam in triplici ordine *physico, ethico* et *religioso*. Atqui Deus eos, quos ad munus aliquod destinat in Ecclesia, necessariis gratiae auxiliis ditat. Ergo procul dubio gratiam Matrimonio suam propriam adnexuit.

848. **Solvuntur obiectiones** (n. 567-568). *Obiectio I. — Apostolus agit non solum de matrimonio Christianorum, sed etiam de eo quod iam ante existebat. Atqui illud haud erat sacramentum: ergo.*

Resp. neg. mai. — Apostolus enim — a) proprie hic considerat matrimonium Christianorum, cum haec, quae de Matrimonio disserit, scribat ad Ephesios: quamvis officia dilectionis viri in mulierem, subiectionis mulieris in virum communia sint *cuilibet* coniugio. Quod si — b) dici velit Apostolum reperire *genericam* rationem sacramenti in quovis coniugio, prouti sacramentum est *signum sacrum rei sacrae*, non contradicimus, simul tamen affirmamus rationem *specificam* sacramenti Paulum non indicare nisi pro matrimonio christiano.

849. *Obiectio II. — Censeri nequit sacramentum quod inhonestum videtur: atqui tale est matrimonium, per quod peccatum originale propagatur: ergo.*

Resp. neg. min. — Nam — a) malum peccati originalis sequitur *per accidens*. Nec tamen — b) ullum damnum infertur proli: siquidem peccatum originale non inducit nisi *poenam damni* h. e. privationem visionis intuitivae, quae tamen est bonum homini indebitum. Ceterum — c) omnis difficultas evanescit, si consideretur reparatio per Christum, ex qua fit ut matrimonium ad nobilissimum finem ordinetur sc. ad procreandos cultores et *adoratores Dei in spiritu et veritate*, ad subministrandam materiam Ecclesiæ quæ est corpus mysticum Christi, ad præparandos incolas coelestis Ierusalem.

850. **Conclusio II.** « *Cum — 1° inter Christianos nullum detur verum matrimonium quod simul non sit verum sacramentum, idcirco — 2° eius ministri alii non sunt quam ipsi contrahentes* » (n. 569-571).

---

1. De bono coniug. c. 24.

Prob. 1. pars — Ex ecclesiasticis documentis. Docet — a) Eugenius IV. [1] de matrimonio utique *sacramento:* « Causa efficiens ma-« trimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti « expressus ». Atqui simul certum est consensum contrahentium esse causam efficientem contractus matrimonialis: ergo contractus ipse est sacramentum. Item — b) ex Trid. [2] matrimonia clandestina *per se rata* sunt et vera matrimonia proindeque et sacramenti rationem habent: idem enim est matrimonium *ratum* et matrimonium *sacramentum* ex Innocentio III. [3]. Atqui in matrimonio clandestino nil aliud habes quam contractum matrimonialem: ergo hic ipse est sacramentum. Accedit — c) diserta declaratio Pii VI. [4]: « Contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem N. L. sacramentis »: necnon Pii IX. qui docet [5] « inter Fideles matrimonium vere dari « non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque « idcirco quamlibet aliam inter Christianos viri et mulieris praeter « sacramentum coniunctionem, cuiuscumque etiam civilis legis vi « factam, nil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum »: idem docet Leo XIII. [6].

Prob. 2. pars — Sequitur per modum corollarii ex praeced. parte. Matrimonium enim sacramentum aliud non est a contractu matrimoniali: atqui causa efficiens contractus matrimonialis est consensus contrahentium: ergo et sacramenti. Hinc s. Thomas [7]: « Verba « quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt *forma* huius sacra-« menti, non autem *benedictio* sacerdotis quae est quoddam *sacra-« mentale* ».

851. **Corollaria** (n. 572) — Inferes ex his — a) *materiam* et *formam* huius sacramenti reponendam esse in consensu contrahentium; materiam quidem, prouti consensus exprimit corporum *traditionem,* formam vero prouti enunciat eorundem *acceptationem*. Sacramentum enim matrimonii est ipse *contractus* matrimonialis: atqui materia et forma contractus alia non est a rei traditione et acceptatione: ergo et in contractu matrimoniali. Inferes — b) matrimonium inter fideles initum cum positiva *praevalente* voluntate excludendi rationem sacramenti nec validum esse matrimonium. Inferes — c) matrimonium duorum infidelium evadere sacramentum (quatenus matrimonium est quid permanens) quando Baptismum suscipiunt. Controvertitur — d) utrum matrimonium inter *fidelem* et *infidelem* initum, sublato impedimento disparitatis cultus, sit *sacramentum*. Sententiae *affirmanti*

1. in decr. pro Armenis. — 2. cp. 1. de Reform. — 3. De div. c. 7. — 4. ep. ad episc. motul. 6 sept. 1788. — 5. Alloc. 27 sept. 1852 - cfr. ep. ad Vict. Emman. 19 sept. 1852 - propp. 66-73 Syll. et Opera damn. Io. Nep. Nuytz. — 6. Encycl. *Arcanum* 10 febr. 1880. — 7. 4. dist. 26. a. 1. ad 1.

hæc ratio suffragatur: Ecclesiæ potestas eatenus matrimonium spectat, quatenus est sacramentum: atqui Ecclesia statuit disparitatem cultus esse impedimentum dirimens: ergo videtur matrimonium initum inter fidelem et infidelem, *per se* et sublato illo impedimento, esse sacramentum ex parte *fidelis contrahentis*. Inferes — e) matrimonium esse contractum *naturalem* quia in natura fundatur et ad bonum naturae tendit — *sacrum* tum quia est symbolum mystici connubii Christi cum Ecclesia, tum quia ad bonum religionis ordinatur, tum præsertim quia est ritus *sacramentalis* — contractum *spiritualem* quia supponit animorum unionem in contrahentibus et ad illam honeste fovendam tendit — *ecclesiasticum* quia Ecclesiae potestate regitur — *civilem* quia ad bonum quoque civilis consortii ordinatur.

852. **Conclusio III.** « *Unitas est proprietas matrimonii, in eo sita quod sit unius cum una coniunctio. Ipsa autem sic intelligi debet* — 1° *Polyandria simultanea iuri naturali adversatur* — 2° *polygamia vero simultanea prohibita est non iure naturali primario, sed iure primitivae institutionis, evangelico et iure naturali secundario* — 3° *polyandria et polygamia successiva nulli iuri adversatur* » (n. 573-581).

Prob. 1. pars — Illud adversatur Iuri naturali primario quod omnes fines excludit a natura intentos. Atqui polyandria simultanea omnes fines matrimonii excludit: ergo — *Prob. min.* Tria sunt *bona* matrimonii sc. *bonum prolis* quod est tum *potestas* suscipiendae et recte educandae prolis, tum eiusdem prolis *susceptio* ac recta educatio — *bonum fidei* quod est mutua obligatio reddendi debitum coniugale *inviolabilis* necnon individua vitae societas; ad quod bonum reducitur *remedium concupiscentiae* — item *bonum sacramenti* quod in christiano matrimonio est symbolica repræsentatio unionis Christi cum Ecclesia [1]. Atqui polyandria simultanea — a) adversatur *bono prolis,* tum quia, uti ait s. Augustinus [2] « plures foeminae ab uno viro foecundari « possunt, una vero a pluribus non potest: haec est principiorum « vis » — tum quia incertum reddit patrem atque ita hinc quidem recta prolis educatio impossibilis evadit, inde vero filialis pietas perit. Adversatur — b) *bono fidei:* mulier enim pluribus viris obnoxia non potest omnibus satisfacere ad eorum incontinentiam vitandam, atque individua vitae societas impossibilis evadit. Adversatur — c) *bono sacramenti:* non enim amplius repraesentatur unio *unius* Christi cum *una* Ecclesia.

Prob. 2. pars — Ac — a) polygamia simultanea non adversatur *iuri naturali primario,* tum quia constat Deum in veteri lege permisisse pluralitatem uxorum, uti colligitur ex Deuteronomio necnon ex Patrum sententia: « tum quia pluralitas uxorum neque totaliter tollit,

1. cfr. s. Aug. *De bono coniug.* - s. Th. Suppl. q. 49. — 2. op. cit. c. 18.

« neque aliqualiter impedit matrimonii primarium finem, cum unus « vir sufficiat pluribus uxoribus foecundandis et educandis filiis ex « his natis » [1]. At — b) ea adversatur iuri *primitivae institutionis*. Nam, etsi summa fuerit ab initio necessitas multiplicandi generis humani, Deus tamen nonnisi unicum coniugum par creavit. Atqui hoc facto significavit Deus matrimonium ex sua intentione esse debere unius cum *una* coniunctionem: ergo. Hinc Christus ex verbis Adami [2] « *adhaerebit vir uxori suae et erunt duo in carne una* » infert [3], dimissa uxore aliam ducere esse adulterium: et Nicolaus I. respondens ad Bulgarorum consulta ait n. 51: « Duas tempore uno habere uxores « nec *origo humanae conditionis* admittit, nec lex christiana ulla « permittit ». Eadem polygamia simultanea — c) adversatur *iuri evangelico*, quod *de fide catholica* est ex Trident. [4]: « Si quis dixerit « licere christianis plures simul habere uxores et hoc nulla lege « divina esse prohibitum A. S. ». Haec autem lex divina continetur in verbis Christi [5]: *Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam* »: necnon in verbis Apostoli [6]: « *Uxori vir debitum reddat, similiter autem uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* ». Ex quibus ita: eadem iura competunt uxori in virum, quae viro in mulierem: atqui mulier, vivente viro, non potest alteri nubere eoquod eius corpus subiectum est potestati viri: ergo a pari vir, vivente uxore, non poterit aliam ducere eoquod eius corpus est sub potestate uxoris. Eadem — d) adversatur *iuri naturali secundario*. Nam « pluralitas uxorum ..... « *secundarium* finem matrimonii (bonum fidei) etsi non totaliter « tollat, tamen multum impedit, eoquod non facile potest esse pax « in familiis, ubi uni viro plures uxores iunguntur, cum non possit « unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, « et etiam quia communicatio plurium in uno officio causat litem .... « *Tertium* autem finem (bonum sacramenti) totaliter tollit, eoquod « sicut Christus est unus, ita et Ecclesia una. Et ideo patet ex dictis « quod pluralitas uxorum quodammodo est contra legem naturae, « quodammodo non » [7].

Prob. 3. pars — ex explicita doctrina Apostoli [8]: « *Dico autem non nuptis et viduis: Bonum est si sic permanserint, sicut et ego. Quod si se non continent, nubant; melius est enim nubere quam uri* » — « *Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit: quod si dormierit vir eius, liberata est: cui vult, nubat, tantum in Domino* »: quae facultas ex paritate conditionis competit quoque viro, defuncta uxore.

---

1. s. Th. Suppl. q. 65. a. 1. — 2. Gen. II. 24. — 3. Matth. XIX. 3. sqq. — 4. sess. 24. cn. 2. — 5. Marc. X. 11. coll. - Luc. XVI. 18. - Matth. XIX. 9. — 6. 1. Cor. VII. 2. — 7. s. Th. Suppl. q. c. — 8. 1. Cor. VIII. 8. 35.

853. **Conclusio IV.** « *Altera matrimonii proprietas est eius intrinseca indissolubilitas, sic tamen intelligenda ut* — 1° *matrimonium sit intrinsece indissolubile spectato tum iure institutionis, tum iure evangelico, etiam in casu adulterii, tum iure naturali secundario* — 2° *spectato vero iure naturali primario sub certis conditionibus non sit intrinsece indissolubile* (n. 582-588).

Prob. 1. pars — Matrimonium est intrinsece indissolubile spectato — a) *iure institutionis*. Legimus apud Matth. [1]: « *Et accesserunt ad eum Pharisaei tentantes eum dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? Qui respondens ait eis: Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et foeminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Dicunt illi: quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic* ». Porro: in veteri lege matrimonium solvebatur per libellum repudii, quem maritus dabat uxori, idque ex divina dispensatione. Atqui Christus heic declarat *ab initio* non fuisse sic: ergo *ex lege institutionis* matrimonium est indissolubile — *Prob. mai.* Christus — α) testatur: *Ab initio non fuit sic:* quod ergo Moyses permisit, *ab initio* non fuit permissum. Atqui dimittere uxorem, manente vinculo, gravi saltem de causa, ut in casu adulterii, certe permissum erat etiam ante Moysem, sicut nunc in N. L.: ergo. Praeterea — β) vix credibile est per illam permissionem mulierem fuisse peioris conditionis viro; hic enim poterat aliam ducere, quia polygamia erat permissa, mulier vero non potuisset alteri nubere, manente priori vinculo, quia polyandria vetita erat. Denique — γ) secundus vir, qui mulierem dimissam duxerat, vocatur *maritus,* quod validitatem supponit secundi matrimonii et dissolutionem prioris — hic alter maritus poterat dare libellum repudii huic a se ductae uxori, quod item supponit eam veram esse uxorem — primus maritus non poterat uxorem dimissam et alteri nuptam iterum recipere, quod vix credibile est, si intactum mansisset matrimonii vinculum [2].

Item — b) spectato *iure evangelico:* legimus enim [3]: « *Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur; et qui dimissam a viro ducit, moechatur* ». Iamvero tam est adulterium dimissa uxore, aliam ducere, quam uxorem ducere ab alio dimissam. Atqui nullum esset adulterium, si vinculum solveretur per uxoris dimissionem: ergo. Hinc Apostolus [4]: « *Quae sub viro est mulier, vivente*

1 Matth. XIX. 3. — 2. cfr. s. Th. Suppl. q. 67. — 3. Luc. XVI. 18. — 4. Rom. VII. 2.

viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro ». Dubium movetur, an matrimonium indissolubile sit etiam in casu adulterii, ex verbis Christi [1]: « *Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur* ». At certum est Christum hic loqui non de dimissione uxoris ita ut solvatur vinculum, sed de separatione viri a muliere *quoad torum* et *habitationem*, hancque docere esse licitam non *quacumque* ex causa, sed tantum *in casu adulterii*. Alibi enim Christus [2] discipulos instruens de matrimonii indissolubilitate, nullam huius exceptionis mentionem facit, ita ut discipuli mirarentur rigorem tantae indissolubilitatis: nec aliter Apostolus, qui in verbis supra relatis disputans datâ operâ de firmitate matrimonii, docet *sola morte* illud solvi, neque casum adulterii assignat uti causam legitimam solutionis. Item idem Apostolus scribit [3]: « *Iis qui matrimonio iuncti sunt praecipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari* »: hic autem utique sermo est de *iusta* separatione mulieris a viro, quia Apostolus facultatem tribuit mulieri ut in separatione perseveret: iusta vero causa separationis profecto est adulterium. Merito ergo Trid. [4]: « Si quis dixerit Ec-
« clesiam errare cum docuit et docet, iuxta evangelicam et apostolicam
« doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vin-
« culum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem qui
« causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge vivente, aliud
« matrimonium inire, mecharique eum, qui dimissâ adulterâ aliam
« duxerit, et eam quae dimisso adultero alii nupserit, A. S. ».

Denique — c) matrimonium est indissolubile spectato quoque *iure naturali secundario*. Illud enim adversatur Iuri secundario, quod vel bonum primarium aliquomodo impedit, vel saltem secundarios fines excludit. Atqui solubilitas intrinseca matrimonii impedit *perfectam* prolis educationem — minuit mutuum coniugum affectum ideoque quadamtenus bonum *fidei* excludit — concupiscentiam potius acuit quam refraenet — destruit pietatem filialem — perturbat pacem socialem; sicut enim ex matrimonio novae contrahuntur amicitiae et relationes, sic ex divortio oriuntur rixae, odia, inimicitiae perpetuae: — bonum sacramenti quoad Christianos omnino tollit: ergo [5]. Hinc merito damnata est in Syllabo prop. 67: « Iure naturae matrimonii vinculum
« non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum
« auctoritate civili sanciri potest ».

1. Matth. V. 31. - XIX. 7. — 2. Marc. X. 11. - Luc. XVI. 18. — 3. 1. Cor. VII. 10. — 4. sess. 24. cn. 7. — 5. cfr. cit. Encycl. Leonis XIII.

Prob. 2. pars — Quod — a) essentiae matrimonii adversatur, ne divinitus quidem permitti potest: atqui Deus in veteri oeconomia permisit solutionem matrimonii *quoad vinculum:* ergo. Revera — b) illud adversatur essentiae matrimonii ac propterea Iuri primario, quod primarium finem matrimonii impediret, quod est *bonum prolis*. Atqui in hypothesi quod vel bonum hoc obtineri nequeat, si e. g. mulier sit sterilis, vel prolis susceptae educationi et victui iam sufficienter provisum sit, solutio matrimonii haud in discrimen adducit primarium matrimonii finem. Ergo solutio matrimonii, quae certis legibus regatur, cum Iure naturali primario non pugnat. Tamen — c) solubilitas matrimonii non est arbitrio coniugum relinquenda, sed certis legibus regenda. Essentia enim matrimonii sita est in mutua potestate et obligatione ad usum corporum et ad communem vitae societatem. Haec autem mutua potestas et obligatio *stabilis* sit oportet, quia talem exigit finis primarius matrimonii sc. procreatio et educatio prolis, necnon finis secundarius sc. refraenatio concupiscentiae. Atqui semel concesso quod coniuges possint pro lubitu matrimonium inire et solvere, iam de hac stabilitate ac propterea de ipso fine primario actum esset, atque induceretur hoc ipso vaga quaedam fornicatio, vagus concubinatus: ergo.

854. **Conclusio V.** « *Matrimonium christianum solvi potest* — 1° *ex privilegio ab Apostolo promulgato 1. Cor. VII.: necnon* — 2° *si nondum consummatum, per solemnem religionis professionem alterutrius coniugis, itemque* — 3° *gravi de causa ex auctoritate R. P.* » (n. 589-591).

Prob. 1. pars — Ad primum casum haec spectant. Profecto — a) coniugium in infidelitate contractum legitimum est ac *per se* indissolubile. Idcirco — b) si alteruter coniux ad fidem christianam convertitur per Baptismi susceptionem, non eoipso abrumpitur vinculum: ait enim Apostolus [1]: « *Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat illum* ». Quod si — c) pars infidelis nolit cum parte conversa pacifice habitare, vel non cohabitet nisi cum contumelia Creatoris, idest vel cum spretu Fidei, vel cum periculo ut pars conversa pervertatur, tunc pars fidelis non tenetur cohabitare et novum potest inire matrimonium ex privilegio divinitus concesso in favorem fidei et a Paulo promulgato: statim enim subiungit v. 15: « *Quod si infidelis discedit* (h. e. nolit pacifice cohabitare vel nonnisi cum iniuria Creatoris cohabitet), *discedat; non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi, in pace autem vocavit nos Deus* »: quibus

1. 1. Cor. VII. 12.

verbis facultatem fieri parti fideli novum matrimonium ineundi, constat ex authentica declaratione Innocentii III. [1]. Quod si — d) pars conversa vult servare continentiam, subsistit vinculum cum parte infideli, ita ut si haec deinceps Baptismum susciperet, teneretur ad priorem coniugem redire. Pars tamen conversa — e) nequit novum matrimonium inire, nisi prius interpellaverit partem infidelem, ut de illius repugnantia pacifice convivendi sibi certo constet. Quod si versetur in impotentia interpellandi sive ob distantiam loci, sive ob ignorationem ubi pars infidelis versetur, matrimonium hoc censeri poterit uti *ratum* et *nondum in fide consummatum*, ideoque ex R. Pontificis auctoritate solvi poterit, uti declaravit Gregorius XIII. [2].

Prob. 2. pars — Veritas huius partis constat ex Traditione, quae colligitur — a) ex Trid. [3]: « Si quis dixerit matrimonium ratum non « consummatum per solemnem professionem religionis alterius coniu- « gis non dirimi A. S. » : — b) ex Patribus qui plura facta virginum ac iuvenum christianorum *laudant*, qui prima nuptiarum nocte coniugem deseruerunt ut virginitatem suam Deo penitus in religione consecrarent. Ceterum — c) est certum principium quod imperfectum cedere debeat perfecto, quando praesertim damnum tertii nullum est.

Prob. 3. pars — Pro certo tenendum est RR. Pontifices iure aliquo potiri circa negotia ecclesiastica, si per plura saecula nemine reclamante tali iure usi sunt et utuntur. Cuius enim erit iudicare quid possint quidve non possint, nisi ipsorum, quibus concredita est iurisdictionis plenitudo et amplissima docendi potestas? Atqui factum indubium est RR. Pontifices hoc ius reapse et pluries exercuisse: ergo. Fatendum tamen est eos non tam solvere matrimonium, quam veluti legitimos interpretes Iuris divini declarare authentice iis in casibus vinculum matrimoniale cessare [4].

855. **Conclusio VI.** « *Ecclesia ex iure divino* — 1° *ius habet statuendi impedimenta matrimonium dirimentia: idcirco* — 2° *iudicandi de omnibus causis matrimonialibus* — 3° *laicae vero auctoritati nullum ius in matrimonium christianum competit* » (n. 594-602). Prima et secunda pars est *de fide catholica* ex cn. 4. et 12. Trid.: « Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta ma- « trimonium dirimentia aut in iis constituendis errasse A. S. » — « Si « quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesia- « sticos A. S. » : cuius canonis authenticam declarationem præbuit

1. cp. 7. *de divortiis*. — 2. Brevi *Quoniam sæpe contingit* - cfr. Bened. XIV. *De syn. diœc.* l. 6. c. 4. l. 13. c. 21. — 3. sess. 23. cn. 6. — 4. De divortio quoad torum et habitationem habet Trid. (sess. 24. cn. 8.) contra Novatores: « Si « quis dixerit Ecclesiam errare cum ob multas causas separationem inter coniuges « quoad torum seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri

Pius VI. [1], exinde inferens *omnes* causas ad *solos* iudices ecclesiasticos spectare — Item Pius VI. [2] *haereticam* declaravit prop. 59. pistoriensium, in qua Ecclesiae potestas in matrimonium ex Principum concessione derivare dicitur — *Tertia* pars declarata est ab eodem Pio VI. [3] qui relato can. 12. trid. concludit: « Omnes illi anathemati « subiiciuntur qui causas matrimoniales negant pertinere ad Eccle- « siam et ecclesiasticos iudices: quo quidem canone certum est non « eos modo comprehendi qui docent esse summarum potestatum huius « saeculi leges de nuptiis dicere, sed eos quoque qui factis hoc ipsum « confirmant quique auctoritatem nanciscuntur a laica potestate, et « qui causas nullitatis matrimonii tamquam regii delegati definiunt ».

Prob. 1. pars — a) ex *Ecclesiae praxi.* Illa enim potestas iure meritoque Ecclesiae tribuitur quam ipsa per 12. saecula, nemine reclamante, in quotidiano eoque gravissimo negotio exercuit. Atqui ab initio saltem sæculi IV. ad sæc. XVI. et deinceps Ecclesia exercuit potestatem constituendi impedimenta matrimonium dirimentia, nemine unquam reclamante: ergo. Evincitur — b) ex natura christiani matrimonii. Hoc enim ita est sacramentum ut ratio contractus a ratione sacramenti separari nequeat, idque *ex iure divino.* Atqui sacramentorum administratio Ecclesiae regimini concredita est a Christo: ergo pertinet ad Ecclesiam ex iure divino determinare conditiones sub quibus validus censendus sit contractus huiusmodi. Quæ secunda ratio sic magis declaratur. Uti supra dictum est (n. 851) consensus contrahentium simul est *materia* et *forma* matrimonii, non quivis sane consensus, sed consensus *efficax*. Atqui quae conditiones concurrere debeant ut consensus *efficax* existat, Christus non determinavit, sed reliquit determinandum Ecclesiae: ergo poterit Ecclesia impedimenta dirimentia decernere, quod nil aliud est quam conditiones statuere a contrahentibus observandas, ut ipsorum consensus *efficax* sit et proinde matrimonium subsistat. Hinc dici potest, per leges Ecclesiae, impedimenta decernentes, mutari consensum *materialiter* inspectum, minime vero *formaliter* consideratum h. e. quatenus est consensus *efficax:* semper enim verum est, materiam et formam sacramenti matrimonii ex iure naturali et divino esse consensum *efficacem* contrahentium.

Prob. 2. pars — Causarum matrimonialium nomine illae intelli-

---

posse decernit A. S. »: quae causae quatuor praesertim sunt sc. *adulterium* alterutrius (Matth. V. 32.) - *apostasia vel hæresis* alterutrius cum gravi periculo perversionis pro comparte (Tit. III. 10. - Luc. XIV. 26.) - *periculum* graviter peccandi ex alterutrius suggestione (Matth. XVIII. 9.) - *mutuus consensus* (1. Cor. VII. 5.). — 1. ep. ad episc. motul. 17 septem. 1788. — 2. B. *Auctorem fidei* - cfr. prop. 69. Syll. — 3. in cit. epist. ad episc. motul. - cfr. prop. 71. Syll.

guntur quæstiones, quæ respiciunt vinculum seu valorem matrimonii, sive antecedant, sive consequantur illud. Porro harum causarum disquisitionem et iudicium ad Ecclesiae tribunal spectare, colligitur — a) ex parte praecedenti. Ad illum enim spectat cognoscere causas quae respiciunt valorem matrimonii, ad quem pertinet statuere conditiones, quibus servatis contractus est validus; praesertim quia ratio sacramenti a ratione contractus inseparabilis est. Atqui ex dictis potestas haec Ecclesiae competit: ergo. Hinc Calvinus ipse [1]: « Ubi « semel obtinuere catholici matrimonium esse sacramentum, coniu- « galium causarum cognitionem ad se contraxerunt: quippe res « spiritualis non erat profanis iudicibus attrectanda ».

Prob. 3. pars — Ideo — a) matrimonium subest Ecclesiae regimini, quia Christus matrimonio christianorum inseparabiliter adnexuit dignitatem sacramenti. Atqui sacramentorum administratio *soli* Ecclesiae concredita est: ergo. Praeterea — b) valde incongruum est ut eadem causa ad duas potestates independentes pertineat, propter frequentes conflictus qui inde orirentur cum magno discrimine subditorum: in casu enim conflictus cuinam auctoritati obtemperabunt ipsi? Atqui matrimonium spectat procul dubio ad ecclesiasticam potestatem propter sacrum characterem sibi inhaerentem: ergo nullomodo spectat ad civilem auctoritatem. Christus scilicet elevando contractum matrimonialem ad sacramenti dignitatem, eoipso illum penitus subtraxit regimini civili. Sicut enim dignitas sacramenti omnino exigit ut matrimonium regatur ab ecclesiastica auctoritate, ita et omnino prohibet ut potestas civilis ius aliquod in ipsum habeat ex proprio insitoque iure. Nec refert — c) quod matrimonium in bonum quoque civilis societatis cedat. Nonne e. g. integra œconomia Ecclesiae, eius sacramenta, eius doctrina, eius ministerium cedunt in bonum civilis societatis? quis tamen ex hoc inferet ius aliquod civili societati in Ecclesiam eiusque res et personas? Consideranda est ergo indoles rerum, num sacra sit an profana, ut potius uni quam alteri auctoritati adscribatur. Neque obiiciatur — d) per talem *subtractionem* diminutam esse potestatem principis christiani respectu principis infidelis. Haec enim diminutio *legitima* est, utpote facta ab eo qui est *rex regum et dominus dominantium* et cui *data est omnis potestas in coelo et in terra;* aliunde vero non arguit peiorem conditionem in principe christiano prae infideli, sed meliorem, si considerentur præclara bona quae ex influxu christianæ religionis civili societati obveniunt.

856. **Corollarium** (n. 603) — Ex statuta doctrina sequitur — a) ad *solam* Ecclesiam pertinere abrogare vel dispensare in impedimentis,

1. l. 4. Inst. c. 19. § 37.

quae non sunt Iuris *naturalis* aut *positivo-divini*. Hinc propos. 60. synodi pistor. contrarium statuens damnata est ub subversiva potestatis et libertatis Ecclesiae et Tridentino contraria. Sequitur — b) *sponsalia* quoque, quae sunt dispositio et via ad matrimonium, *soli* Ecclesiae subesse. Proinde damnata est prop. 74. Syllabi: « Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent »: eademque doctrina damnata est in prop. 58. synodi pistoriensis.

A. M. D. G.

INDEX ANALYTICUS

1. Prologus — 2. Theologiae nomen et res nominis — 3. Definitio — 4. Theologia est scientia — 5. Habitudo philosophiae ad Theologiam — 6. Partitiones — 7. Theologia generalis et specialis — 8. Loci theologici — 9. Propositio theologica - conclusio - censura — 10. Propositiones orthodoxae — 11. Heterodoxae — 12. Certitudo conclusionis theologicae — 13. Praestanda a sacrae Theologiae explanatore — 14. Dispositiones in Theologiae discipulo . . . pag. V-XVI

TRACTATUS I.

De vera eaque revelata religione.

CAPUT I. — De Religione in universum — 1. Religionis definitio — 2. Obiectiva et subiectiva — 3. Naturalis et supernaturalis — 4. Theoretica et practica — 5. Indifferentismus — 6. Liberalismus — 7. *Conclusio I.* Religio ethice necessaria — a) homini individuo — b) societati — c) et quidem revelata, si existat — 8. Corollaria — 9. *Conclusio II.* Vera religio — a) est una — b) a civili societate promovenda — c) solum *per accidens* admissa tolerantia politica — 10-12. Difficultates — 13. Corollaria . . . . . » 1-8

CAPUT II. — De revelatione.

ARTIC. I. *De revelationis possibilitate* — 14. Prologus — 15. Notio et partitio — 16. Mysterium — 17. Rationalismus — 18. *Conclusio I.* Possibilis est revelatio — a) immediata — b) mediata — 19. *Conclusio II.* — a) Existunt mysteria — b) quorum revelatio possibilis — c) utilis . . . . . » 8-11

ARTIC. II. *De revelationis necessitate* — 20. Natura quaestionis — 21. Necessitas physica et moralis — 22. *Conclusio I.* Revelatio absolute necessaria — a)

spectatis hominis elevatione — b) eius lapsu — 23. *Conclusio II.* Moraliter necessaria ad veritates morales cognoscendas — 24-25. Difficultates. . . pag. 12-14

ARTIC. III. *De revelationis cognoscibilitate* — 26. Criteria revelationis — 27. Miraculum — 28. Prophetia — 29. *Conclusio I.* Possibile — a) miraculum — b) vaticinium — 30. *Conclusio II.* Utrumque est revelationis criterium *quoad se* — 31. *Conclusio III.* Item *quoad nos* — 32. Obiectio . . . . » 15-19

ARTIC. IV. *De divinitate religionis christianae* — 33. Prologus — 34. Duplex processus . . . . » 19-20

Sectio I. De divinitate relig. christ. ex divina Christi missione — 35. Prologus — § 1. Ex testimonio prophetarum — 36. Argumentum generale — 37. *Conclusio I.* Iudaei expectant Messiam — 38. *Conclusio II.* Innixi prophetarum vaticiniis — 39. *Conclusio III.* Tempus adventus Messiæ prædicitur — 40. *Conclusio IV.* Messias describitur — 41. *Conclusio V.* Christus est Messias — § 2. Ex testimonio Christi de se ipso — 42-48. *Conclusio unica.* Christus divinam suam missionem comprobat ore, miraculis, vaticiniis, resurrectione, vita et doctrina — § 3. Ex testimonio posteritatis — 49-51. *Conclusio unica.* Synagoga et gentes divinam Christi missionem testantur » 20-30

Sectio II. De divinitate relig. christ. ex eius adiunctis historicis — 52. Prologus — 53. *Conclusio I.* Divinitas relig. christ. — a) ex eius propagatione — b) ex eius conservatione — 54. *Conclusio II.* In idem conspirat — a) hum. generis in melius transformatio, ac — b) ingens martyrum numerus . . » 31-32

TRACTATUS II.

De Christi Ecclesia.

QUÆSTIO PRODROMA — De medio conservandæ revelationis — 55. Regula fidei catholica — 56. Protestantica — 57. *Conclusio I.* Orale magisterium est testis, magister, interpres, iudex controversiarum fidei — 58. *Scholion.* Quod magisterium muneri suae semper respondit — 59. *Conclusio II.* Scripturarum insufficientia — 60-61. Difficultates . . . . . pag. 34-38

PARS I. — Ecclesiæ origo, natura, proprietates, dotes — 62. Divisio tractatus . . . . . » 38

CAPUT I. — Origo et institutio.

ARTIC. I. *Ecclesiae conceptus praeformatur* — 63. Ecclesiae acceptio generica et specifica — 64. Ecclesia regnum potestatis - veritatis - sanctificationis — 65. Definitio bellarminiana — 66. Ecclesia pascens et discens - universalis - particularis — 67. Anima et corpus — 68. Corollaria . . . . . pag. 39-41

ARTIC. II. *Ecclesiae institutio* — 69. Quaestio generalis de Christo causa Ecclesiae — 70. Quaestio specialis — 71. *Conclusio unica.* Christus auctor Ecclesiae — 72. *Scholion I.* Ecclesia a Synagoga distinguitur — 73. *Scholion II.* Est societas legalis . » 41-44

CAPUT II. — Ecclesiæ natura et constitutio.

ARTIC. I. *Causa finalis Ecclesiae* — 74. Finis supremus et proprius — 75. *Conclusio unica.* Ecclesiæ finis — a) *ultimus* hominum salus — b) *proximus* hominum sanctificatio — 76-78. *Corollaria* - Media sanctificationis in Ecclesia — Ecclesia cœtus supernaturalis — a civili societate distincta . . . . . » 45-47

ARTIC. II. *Ecclesiae necessitas ad salutem* — 79. Necessitas *medii* et *praecepti* - *in re* et *in voto* — 80. *Conclusio I.* Ecclesia necessaria ad salutem — 81. *Conclusio II.* Necessitas medii pertinendi in re ad eius animam — 82. *Conclusio III.* Necessitas praecepti pertinendi ad eius corpus — 83-84. Difficultates . » 47-50

ARTIC. III. *Ecclesia ut societas* — 85. Societas perfecta et imperfecta — 86. Regalistae — 87. *Conclusio unica.* Ecclesia est societas perfecta — 88-89. Difficultates . . . . . » 50-51

ARTIC. IV. *Ecclesiae relationes ad Statum* — 90. Systemata erronea — 91. Ecclesiae doctrina — 92. Subordinatio directa et indirecta — 93. *Conclusio I.* Reiicitur tum — a) systema separationis, tum — b) duplex theoria de *regio placet* deque *appellatione ab abusu* — 94. Difficultates — 95. *Conclusio II.* Societas civilis subordinatur Ecclesiae — 96. Obiectio — 97. *Scholion.* Ecclesiae relatio ad civilem societatem heterodoxam . . . . . » 52-56

ARTIC. V. *De Concordatis* — 98. Definitio et materia — 99. Natura et conditiones — 100. Corollaria . » 56-58

ARTIC. VI. *Causa materialis Ecclesiae* — 101. Natura quaestionis — 102. *Conclusio I.* De pertinentibus *generatim* ad corpus Ecclesiae — 103. *Conclusio II.* De pertinentibus *generatim* ad animam Ecclesiae — 104-

108. *Corollaria* - Peccatores — Infideles - haeretici - schismatici - Cathecumeni - Excommunicati - Praedestinati . . . . . pag. 58-61
ARTIC. VII. *De Ecclesiae auctoritate* — 109. Potestas ordinis et iurisdictionis — 110. Magis declaratur — 111. Subiectum potestatis — 112. Hierarchia ordinis et iurisdictionis — 113. Errores — 114. Doctrina catholica — 115. *Conclusio I.* Ecclesiae potestas triplex est sc. regiminis, magisterii, ministerii, non populo sed certis personis collata — 116-118. Difficultates — 119. Corollaria — 120. *Conclusio II.* Existit hierarchia ordinis et iurisdictionis — 121. *Conclusio III.* Ecclesiae ius est — a) infligendi pœnas temporales et corporales, necnon — b) ius gladii » 62-68
CAPUT III. — De quatuor Ecclesiae proprietatibus — 122. Quid proprietas . . . . . » 69
ARTIC. I. *De Ecclesiae unitate* — 123. Unitas symbolica, ritualis, socialis — 124. Protestantes — 125. *Conclusio unica.* Ecclesia gaudet praedicta triplici unitate — 126-127. Difficultates . . . . » 70-72
ARTIC. II. *De Ecclesiae sanctitate* — 128. Sanctitas personalis et realis — 129. Protestantes — 130. *Conclusio I.* Ecclesia gaudet sanctitate activa — 131. *Conclusio II.* Item sanctitate passiva — 132. Obiectio — 133. *Conclusio III.* Item charismate miraculorum . » 73-75
ARTIC. III. *De Ecclesiae catholicitate* — 134. Catholicitatis notio et divisio — 135. *Conclusio unica.* Ecclesia est catholica — 136. Ecclesia pusillus grex — 137. Catholicitas relativa . . . . . » 76-77
ARTIC. IV. *De Ecclesiae apostolicitate* — 138. Apostolicitatis notio — 139. Definitio — 140. Missio extraordinaria — 141. *Conclusio unica.* Ecclesia est apostolica — 142. Obiectio . . . . . » 78-80
CAPUT IV. — De Ecclesiæ dotibus — 143. Dotis notio . . » 80
ARTIC. I. *De Ecclesiae visibilitate* — 144. Visibilitatis notio — 145. Ecclesia - Protestantes — 146. *Conclusio unica.* Ecclesia essentialiter visibilis — 147-148. Difficultates. . . . . » 80-82
ARTIC. II. *De Ecclesiae indefectibilitate* — 149. Indefectibilitatis notio — 150. Errores — 151. *Conclusio unica.* Ecclesia est indefectibilis — 152. Obiectio . » 82-83
ARTIC. III. *De Ecclesiae infallibilitate* — 153. Notio — 154. Protestantes - Ecclesia — 155. *Conclusio I.* Ecclesia est infallibilis — 156. Extensio infallibili-

tatis — 157. Depositum fidei stricte sumptum et late sumptum — 158. Facta dogmatica - Textus dogmatici — 159. Doctrina tenenda — 160. *Conclusio II.* Tum — a) depositum late sumptum, tum — b) facta et textus dogmatici sunt obiectum infallibilitatis Ecclesiae — 161-163. *Scholia* de Canonizatione et Beatificatione - De approbatione Ordinis Religiosi - De sanctione generalis disciplinae - De approbatione Breviarii . . . . . pag. 83-89

PARS II. — De Romano Pontifice — 164. Ordo quaestionum » 90

CAPUT I. — De institutione Primatus — 165. Primatus honoris et iurisdictionis — 166. Errores — 167. Ecclesiae doctrina — 168. *Conclusio I.* Convenientia primatus — 169. *Conclusio II.* Promisso primatus — 170-172. Difficultates — 173. *Conclusio III.* Collatio primatus — 174. *Conclusio IV.* Primatus supra Apostolos — 175-177. Difficultates — 178. *Conclusio V.* Primatus immediate Petro collatus — 179. *Coroll.* de forma regiminis Ecclesiae . . . . . » 90-97

CAPUT II. — De perpetuitate primatus — 180. Natura quaestionis — 181. Ecclesiae doctrina — 182. Maior declaratio quaestionis — 183. *Conclusio I.* Primatus est perpetuus — 184. *Conclusio II.* Est perpetuus in RR. Pontificibus — 185-186. Difficultates — 187. *Conclusio III.* Nexus inter primatum et sedem romanam — a) est immutabilis — b) proveniens ex iure divino saltem consequenti — c) probabiliter etiam antecedenti . . . . . » 97-101

CAPUT III. — De vi et ratione primatus — 188. Ecclesiae doctrina — 189. Potestas episcopalis, immediata, ordinaria — 190. Papa supra Concilium — 191. *Conclusio I.* Potestas primatus est episcopalis, ordinaria, immediata — 192-194. Difficultates — 195. *Conclusio II.* Papa superior Concilio — 196. Obiectio — 197. *Corollaria*. » 102-105

CAPUT IV. — De infallibili magisterio — 198. Definitio vaticana — 199-202. Declaratur — 203. *Conclusio unica.* Pontifex est infallibilis — 204-208. Difficultates . » 106-110

PARS III. — De Conciliis deque veritate Ecclesiæ Romanæ.

CAPUT I. — De Conciliis — 209. Quaestiones peragendae — 210. Origo iurisdictionis episcoporum — 211. Quid et quotuplex Concilium — 212. Conditiones ad concilium oecumenicum — 213. Est infallibile — 214. Concilia particularia — 215. Conciliorum institutio — 216. Necessitas . . . . . » 112-115

CAPUT II. — De veritate Ecclesiæ romanæ — 217. Ecclesia romana quae sit — 218. Duplex via — 219. *Conclusio I.* Veritas Ecclesiae romanae ex sua regiminis forma — 220. *Conclusio II.* Item ex eius unitate, sanctitate, catholicitate, apostolicitate . . . pag. 116-117
APPENDIX I. *De decretis doctrinalibus RR. Congregationum* — 221. Auctoritas docendi infallibilitatis et providentiae doctrinalis — 222. Huius alterius subiectum — 223. Vis decretorum RR. Congregationum — 224. Decreta confirmata a Pontifice . . » 120-121
APPENDIX II. *De dogmatico valore Syllabi* — 225. Syllabus quoad materiam — 226. Quoad formam. . » 121-123
APPENDIX III. *De civili principatu R. P.* — 227. Immunitas personalis R. P. — 228. Eius exercitium — 229. Necessitas civilis principatus — 230. Corollarium — 231. Certitudo huius doctrinae . » 124-126

TRACTATUS III.

De fontibus divinæ revelationis.

232. Ecclesiae Doctrina . . . . . pag. 128
CAPUT I. — De divinis traditionibus.
ARTIC. I. *Traditionis conceptus et existentia* — 233. Conceptus genericus — 234. Specificus — 235. Tradidio constitutiva - inhaesiva - declarativa — 236. *Conclusio I.* Non demonstratur sufficientia Scripturarum — 237. *Conclusio II.* Existunt traditiones constitutivae — 238-239. Difficultates . . . » 128-131
ARTIC. II. *Traditionis monumenta* — 240. Quid et quot sint — 241-242. Patres — 243. Theologi — 244. Sensus fidelium . . . . . » 131-134
CAPUT II. — De Sacra Scriptura — 245-246. Notio et divisio » 134-135
ARTIC. I. *De humana auctoritate* — 247. Auctoritas humana quid — 248. *Conclusio I.* Pentateuchus gaudet humana auctoritate — 249. *Conclusio II.* Item quatuor Evangelia . . . . . » 135-137
ARTIC. II. *De divina inspiratione* — 250. Ecclesiae doctrina — 251. Deus auctor Scripturae quid — 252. Scriptura inspirata quid — 253. *Conclusio unica.* Scriptura est divinitus inspirata — 254. Falsae notiones inspirationis . . . . . » 138-140
ARTIC. III. *De extensione inspirationis* — 255-257. Natura quaestionum — 258. *Conclusio I.* Scripturae inspiratio — a) non est verbalis — b) at substan-

tialis particularis — c) infallibilitatem in omnibus partibus importans — 259-260. Difficultates — 261. *Conclusio II.* Inspiratio non constat — a) ex characteribus internis — b) nec ex munere apostolatus, sed — c) ex divino testimonio — 262. *Conclusio III.* Hoc testimonium — a) in sola Scriptura non continetur, sed — b) ex Traditione hauritur — 263. *Scholion.* Libri deuterocanonici . . . . . pag. 141-146

ARTIC. IV. *De authentia Vulgatae* — 264. Decretum tridentinum — 265. Authentia quid — 266. Vulgata est relative authentica — 267. *Scholion.* Comparatur cum textu originali . . . . . » 147-148

ARTIC. V. *De Scripturae interpretatione* — 268. Protestantes — 269. Ecclesia — 270. *Conclusio I.* Scriptura obscura est — 271. *Conclusio II.* Ecclesia sola est infallibilis eius interpres — 272-275. *Scholia* de Scripturae sensibus, usu, lectione, habitu ad Traditionem . . . . . » 149-152

CAPUT III. — De revelationis progressu — 276. Progressus obiectivus et subiectivus — 277. Substantia fidei — 278. Revelatio patriarchalis et mosaica — 279. Apostolica — 280. Post apostolos — 281. *Conclusio I.* Revelatio completa fuit in Apostolis — 282. *Conclusio II.* Reiiciuntur falsae theoriae de progressu subiectivo — 283. *Conclusio III.* Vera doctrina statuitur — 284. Corollaria . . . . . » 152-155

CAPUT IV. — De habitu rationis ad revelationem — 285 . . » 156-158

TRACTATUS IV.

De Deo Uno et Trino.

286. Prologus . . . . . pag. 159

PARS I. — De Deo Uno secundum naturam — 287. Quæstionum distributio . . . . . » ib.

CAPUT I. — De demonstrabilitate divinae existentiae — 288. Dei notio — 289. Natura quæstionis — sententiae — 290. Ecclesiae doctrina — 291. *Conclusio I.* Cognoscibilitas naturalis Dei traditur — a) in Scripturis — b) a Patribus — c) a ratione ipsa — 292. *Conclusio II.* Existentia Dei est quoque veritas revelata — 293-295. *Scholia* de idea Dei innata — de demonstratione anselmiana — de ignorantia Dei invincibili — de atheis . . . . . » 159-165

CAPUT II. — De divinae essentiae cognoscibilitate — 296. Prologus pag. 166
ARTIC. I. *De cognitione Dei in via* — 297. Cognitio intuitiva et abstractiva — 298. Ontologismus — 299. Ecclesiae doctrina — 300. *Conclusio unica.* Reiicitur visio immediata Dei — 301-303. Difficultates — 304. Ontologismi consectaria . . . . . » 166-171
ARTIC. II. *De cognitione Dei in patria* — 305. Ecclesiae doctrina — 306. Beatitudo — 307. Lumen gloriae — 308. Potentia obedientialis — 309. *Conclusio unica.* Adstruitur — a) visio beatifica — b) necessitas luminis gloriae — 310-312. Scholia de essentia beatitudinis — de substantia creata supernaturali — de naturali appetitu visionis intuitivae . . » 171-175
ARTIC. III. *De obiecto visionis beatificæ* - 313. Ecclesiae doctrina — 314. Comprehensio — 315. Visio intensiva et extensiva — 316. *Conclusio I.* Beati non comprehendunt Deum — 317. Obiectio — 318. *Conclusio II.* Vident Deum unum et trinum — 319. Obiectio — 320. *Conclusio III.* Quid secundario videant — 321. Rosminii doctrina . . . . . » 176-180
ARTIC. IV. *De proprietatibus visionis beatificae* — 322. Prologus — 323. Inæqualitas — 324. Perpetuitas — 325. Impeccabilitas — 326. Tempus visionis conferendae — 327. *Conclusio I.* Adstruitur inaequalitas visionis — 328-329. Difficultates — 330. *Conclusio II.* Item perpetuitas et impeccabilitas — 331. *Conclusio III.* Visio beatifica statim confertur — 332-333. Scholia de dotibus - de aureolis - de beatitudine accidentali . . . . . » 181-185
CAPUT III. — De essentia metaphysica Dei deque eius attributis in communi — 334. Prologus . . . . . » 186
ARTIC. I. *De essentia metaphysica Dei* — 335. Essentia physica et metaphysica — 336. Quid utraque in Deo — 337. *Conclusio I.* Essentia Dei metaphysica est aseitas — 338. *Conclusio II.* Falsae sententiae reiiciuntur — 339. Corollarium . . . . . » 186-188
ARTIC. II. *De divinis attributis generatim* -- 340. Attributi notio — 341. Partitiones — 342. Distinctio realis et rationis — 343. Doctrina tenenda — 344. *Conclusio I.* Reiicitur distinctio realis inter essentiam divinam et attributa — 345. *Conclusio II.* Adstruitur vero distinctio virtualis — 346. Distinctio scotistica » 188-190
CAPUT IV. — De divinis attributis quiescentibus — 347. Prologus — 348. Conceptus infiniti — 349. *Conclusio I.* Deus

est infinitus — 350. Simplex et compositum — 351. *Conclusio II.* Deus est actus purissimus — 352. *Conclusio III.* Deus est unus — 353-354. Pantheismus — 355. Mutatio et immutabilitates — 356. *Conclusio IV.* Deus est immutabilis — 357-359. Difficultates — 360. Quid aeternitas — 361. *Conclusio V.* Deus est aeternus — 362. Immensitas — 363. *Conclusio VI.* Deus est immensus . . . . . pag. 190-197

CAPUT V. — De attributis Dei actuosis — 364. Prologus . » 198

ARTIC. I. *De scientia Dei* — 365. Quid et quotuplex — 366. Obiectum formale et materiale — 367. Eius amplitudo — 368. *Conclusio I.* Deus — a) praescit futura contingentia, quin — b) liberum hominis arbitrium destruat — 369. *Conclusio II.* Item cognoscit futura conditionata — 370. Medium *quo* et *in quo* scientiae divinae est divina essentia — 371. Alia a se Deus videt quoque in seipsis — 372. Futuribilia videt in sua obiectiva veritate — 373. Futura libera videt in suis decretis — 374. Scientia Dei est causa rerum . . . . . » 198-203

ARTIC. II. *De voluntate salvifica antecedenti* — 375. Voluntas antecedens et consequens — 376. Absoluta et conditionata — 377. Efficax et inefficax — 378. Beneplaciti et signi — 379. Providentiae ordinariae et potentiae absolutae — 380. Supralapsarii — 381. Infralapsarii — 382. *Conclusio I.* Deus voluntate antecedenti vult omnes adultos salvos fieri — 383. *Conclusio II.* Item infantes omnes — 384. Corollarium » 204-208

ARTIC. III. *De causis prædestinationis et reprobationis* — 385. Praedestinatio — 386. Reprobatio — 387-388. Sententiae de praedestinatione *ante* — 389. Praedestinatio *post* — 390. *Conclusio I.* Praedestinatio antecedens coniuncta cum reprobatione negativa reiicitur — 391-392. Difficultates — 393. *Conclusio II.* Praescientia meritorum non est causa praedestinationis — 394. *Conclusio III.* Idcirco praedestinatio est gratuita — 395-399. Difficultates — 400-401. Scholia de effectibus - de proprietatibus praedestinationis . » 208-217

PARS ALTERA — De ss. Trinitatis mysterio — 402. Prologus . » 218

CAPUT I. — Praeformatur conceptus huius mysterii — 403. Definitio lateranensis — 404. Essentia - natura - substantia — 405. Hypostasis — 406. Fit applicatio divinis — 407. Errores — 408. Rosminius . . » 218-220

CAPUT II. — De Trinitate in Unitate — 409. Lemmata tria . » 221

ARTIC. I. *De persona Filii* — 410. Arius - Ecclesia — 411. *Conclusio I.* Filius est verus Deus — 412-415. Difficultates — 416. *Conclusio II.* Generatur a Patre — 417-418. Difficultates . . . . . pag. 222-225

ARTIC. II. *De persona Sp. S.* — 419. Errores — 420. *Conclusio I.* Sp. S. — a) est verus Deus — b) distinctus a Patre et a Filio — 421. *Conclusio II.* Procedit a Patre Filioque — 422-423. Difficultates » 226-229

CAPUT III. — De Unitate in Trinitate — 424. Consubstantialitas — 425-426. Æqualitas — 427. Circuminsessio — 428. Attributorum communitas — 429. Operationes ad extra — 430. Appropriatio — 431. Personarum simplicitas — 432. Mysterium hoc in revelatione mosaica » 229-233

CAPUT IV. — Scholastica expolitio — 433. An personarum trinitas naturaliter cognoscibilis — 434. Quo spectent argumenta rationis — 435. An mysterium hoc pugnat cum ratione — 436. Quibus actibus procedunt Filius et Sp. S. — 437. Processio Sp. S. non est generatio — 438. Quomodo personae divinae relationibus constituantur — 439. Quid persona in divinis — 440. Cur *unum* Verbum et *unus* Sp. S. — 441. Quot processiones - personae - relationes - notiones - proprietates — 442-443. Personarum missio — 444. Nomina divinarum personarum — 445. In homine imago Trinitatis. . . . . » 233-239

TRACTATUS V.

De Deo Creante et Elevante.

446. Prologus . . . . . pag. 241

CAPUT I. — De Creatione generatim.

ARTIC. I. *Creationis conceptus et natura* — 447. Definitio — 448. Creatio active — 449. Creatio passive — 450. Falsae notiones . . . . . » 241-243

ARTIC. II. *De causis creationis mundi* — 451. Prologus — 452. Causa efficiens — 453. Causa finalis — 454. Causa exemplaris — 455. *Conclusio I.* Mundus creatus a Deo — 456. Dogma creationis iuxta praescriptum rationis — 457. *Conclusio II.* Deus causa exemplaris mundi — 458. *Conclusio III.* Finis proximus creationis bonum creaturae rationalis — 459. *Conclusio IV.* Finis ultimus gloria Dei extrinseca — 460. Obiectio . . . . . » 244-248

ARTIC. III. *Quomodo mundi creatio effecta est* — 461. Prologus — 462. Deus liber in creando — 463. Ordo creationis . . . . . pag. 249-250

CAPUT II. — De angelica creatura.

ARTIC. I. *Angelorum existentia et natura* — 464. Natura quaestionis — 465. Angeli definitio — 466. *Conclusio I.* Angeli existunt — 467. *Conclusio II.* Sunt naturae pure spirituales — 468-470. Scholia de loco et motu angelorum — de eorum cognitione — de eorum locutione et illuminatione . . . . . » 251-255

ARTIC. II. *De angelis bonis* — 471. Natura quaestionis — 472. Cœlestis militiae constitutio — 473. Hominum custodia — 474. *Conclusio I.* Angeli constituti sunt in gratia — 475. *Conclusio II.* Angeli deputantur in hominum custodiam . . . . . » 255-257

ARTIC. III. *De angelis malis* — 476. Angelorum lapsus — 477. Tentatio diabolica — 478. Obsessio — 479. Magia . . . . . » 258-260

CAPUT III. — De homine in naturali conditione speciato.

ARTIC. I. *Hominis origo* — 480. Transformismus — 481. Erroneae sententiae de animae origine — 482. Ecclesiae doctrina — 483. *Conclusio I.* Corpus protoparentum immediate formatum a Deo — 484. *Conclusio II.* Animae creantur a Deo — 485. Obiectio — 486. Tempus creationis animae — 487. *Conclusio III.* Adam communis hominum stipis . . » 261-265

ARTIC. II. *De hominis constitutione* — 488. Ecclesiae doctrina — 489. Trichotomia — 490. Materia et forma — 491. Forma corporeitatis — 492. *Conclusio I.* Unica est anima in homine — 493. *Conclusio II.* Haec — a) est forma substantialis hominis — b) tribuens ipsum esse corporis . . . . . » 266-268

CAPUT IV. — De hominis elevatione.

ARTIC. I. *Notiones praeviae* — 494. Natura — 495. Naturale — 496. Supernaturale — 497. Praeternaturale — 498. Definitio praecedentium — 499. Partitiones » 269-271

ARTIC. II. *Status iustitiae originalis* — 500. Quid et quotuplex status — 501. Quid status iustitiae originalis — 502. *Conclusio I.* Protoparentes exornantur — a) gratia sanctificante — b) praeclara scientia — c) morali rectitudine — 503. *Conclusio II.* Protoparentes constituuntur — a) immunes a concupiscentia — b) immortales — c) impassibiles — 504. *Conclusio III.* Recensita dona sunt homini in-

debita — 505. *Conclusio IV.* Hinc possibilis status purae naturae . . . . . pag. 271-276

CAPUT V. — De humanae naturae lapsu.

ARTIC. I. *De peccato personali protoparentum* — 506. Ecclesiae doctrina — 507. Verum praeceptum protoparentibus imponitur — 508. Graviter peccant illud transgressi — 509. Dona innocentiae sibi et posteris amittunt . . . . . » 277-278

ARTIC. II. *De peccato originali* — 510. Ecclesiae doctrina — 511. Errores — 512. *Conclusio unica.* Adae peccatum in posteros propagatur — 513. Falsae sententiae de natura peccati originalis — 514. Nóstra sententia — 515. Ratio voluntarii in peccato originali — 516. Quomodo generatione propagetur — 517. Non adversatur divinis attributis . . . . » 278-283

ARTIC. III. *Sequelae peccati originalis* — 518. Amissio iustitiae originalis — 519. Mansit liberum arbitrium — 520. Homo spoliatus gratuitis, vulneratus in naturalibus . . . . . » 284

APPENDIX. *De receptaculis animarum* — 521. Mors - iudicium — 522. Quid animarum receptacula - § 1. *Infernus* — 523. Quatuor de fide — 524. Poena damni et sensus — 525. *Conclusio I.* Existit infernus — 526. *Conclusio II.* Animae in peccato decedentes — a) statim cruciantur — b) imparibus pœnis — 527. *Conclusio III.* Poenae inferni sunt aeternae — 528. *Conclusio IV.* Damnati — a) subiiciuntur poenae damni et sensus — b) cuius praecipuum instrumentum est realis ignis — 529. Status moralis damnatorum - § 2. *Purgatorium et status decedentium in solo originali* — 530. Quid purgatorium — 531. *Conclusio I.* Purgatorium — a) existit — b) duplicem habens poenam sc. damni et sensus — 532. *Scholion.* De statu animarum purgantium - de earum cum viatoribus relatione - de loco purgatorii — 533. *Conclusio II.* Parvuli decedentes sine baptismo — a) non admittuntur ad gloriam — b) consequuntur vero naturalem beatitudinem . . . . . » 285-292

TRACTATUS VI.

De Verbo Dei incarnato.

534. Prologus . . . . . pag. 293

CAPUT I. — **De possibilitate, convenientia, necessitate incarnationis** — 535. Possibilitas — 536. Convenientia — 537. Necessitas — 538. Quid si Adam non peccasset . . pag. 293-296

CAPUT II. — **De quidditate incarnationis** — 539. Ecclesiae doctrina — 540. *Conclusio I.* Christus verus Deus — 541-543. Difficultates — 544. *Conclusio II.* Christus verus homo — 545. An corpus Christi in ipsa conceptione formatum et animatum — 546-547. An assumpsit corporales defectus et affectus humanos — 548. *Conclusio III.* Unio naturarum in Christo est — a) hypostatica — b) indivisa — c) inconfusa - *Declaratur conclusio* — 549. Errores — 550. Ecclesiae doctrina — 551. Ratio propria personae — 552. Unio hypostatica - *Probatur conclusio* — 553. Prob. 1. pars — 554-557. Difficultates — 558. Prob. 2. pars — 559. Prob. 3. pars — 560-561. Difficultates — 562-566. *Corollaria.* Nonnullæ notiones personae falsæ sunt - Persona Christi est composita - Unus de Trinitate crucifixus - Duplex voluntas et operatio in Christo - Operationes theandricae . » 296-310

CAPUT III. — **De praerogativis humanae naturae Christi** — 567. Prologus — 568. Filiatio naturalis et adoptiva — 569. Errores — 570. Ecclesiae doctrina — 571. *Conclusio I.* Christus homo est filius Dei naturalis — 572-573. Difficultates — 574. *Conclusio II.* In Christo — a) scientia beata — b) infusa — c) acquisita — 575. Perfectio scientiae Christi — 576. *Conclusio III.* In Christo — a) sanctitas increata — b) creata — 577. *Corollarium.* In Christo virtutes et dona Sp. S. — 578. Perfectio gratiae Christi — 579. *Conclusio IV.* Christus — a) immunis a peccato et — b) impeccabilis — 580. Quid cultus — 581. *Conclusio V.* Christus homo adorandus cultu latriae — 582-583. *Conclusio VI.* Cultus Cordis Iesu est legitimus — 584-585. *Scholia.* De cultu imaginum et Crucis Christi - De cultu et invocatione SS. — 586. Idiomatum communicatio . . . . . » 310-321

CAPUT IV. — **De Christo salvatore** — 587. Salvatoris munera — 588. Christus mediator — 589. Christus sacerdos — 590. *Conclusio I.* Christus sacerdotis munus in ara crucis explevit — 591. Obiectio — 592. *Conclusio II.* Christus sua morte — a) satisfecit proprie — b) condigne et superabundanter — c) gratia et gloria nobis promeritis — 593. Obiectio — 594.

Conclusio III. Gloriosa quoque resurrectio est fructus mortis Christi — 595-596. *Scholia.* De dotibus corporis gloriosi — De iudicio universali — 597. Redemptio Christi universalis — 598. Eius opera meritoria ab intrinseco — 599. Satisfactio fuit rigorosa — 600. Bona quae Christus sibi et angelis meruit — 601. Reparatio magis lata quam ruina . pag. 322-333

CAPUT V. — Mariologia — 602. Prologus — 603. *Conclusio I.* B. Virgo — a) est genitrix Dei — b) quae dignitas est prope infinita — 604. *Conclusio II.* B. Virgo — a) immunis a peccato originali et — b) actuali — 605. *Conclusio III.* B. Virgo — a) virgo perpetua — b) in coelum assumpta — 606. *Conclusio IV.* B. Virgo — a) corredemptrix et — b) mediatrix nostra . . . . . » 333-341

TRACTATUS VII.

De gratia Iesu Christi.

NOTIONES PRÆVIÆ — 607. Triplex gratiae acceptio — 608. Partitiones generales — 609. Partitiones gratiæ actualis — 610. Partitiones gratiæ habitualis pag. 343-345

PARS I. — De gratia actuali.

CAPUT I. — De indole gratiae actualis — 611. Principia s. Thomae de divina motione — 612. *Conclusio I.* Gratia excitans est — a) mentis illustratio et voluntatis inspiratio — b) utraque immediata — 613. *Conclusio II.* Gratia adiuvans consistit — a) in actibus indeliberatis illustrationis et inspirationis, necnon — b) in divina motione ad actus deliberatos — 614. *Conclusio III.* Elevatio potentiarum est intrinseca — 615. *Conclusio IV.* Gratia adiuvans entitative est eadem ac gratia excitans . . . . . » 345-353

CAPUT II. — De proprietatibus gratiae actualis.

ARTIC. I. *De gratiae necessitate* — 616. Duplex quæstio generalis . . . . . » 353

Sectio I. De necessitate gratiæ ad actus salutares — 617. Actus salutaris — 618. Pelagianismus — 619. Semipelagianismus — 620. *Conclusio I.* Gratia necessaria — a) ad actus salutares — b) ad initium fidei et salutis, et quidem — c) gratia supernaturalis — 621. *Quæres* an iusti quoque gratia indigeant — 622. *Conclusio II.* Speciale auxilium requiritur — a) ad perseverandum — b) ad vitanda omnia venialia . » 354-357

Sectio II. De necessitate gratiae ad actus ethice bonos — 623-626. Triplex quaestio — 627. *Conclusio I.* Necessaria gratia — a) ad observandam legem naturalem — b) ad vincendas graves tentationes — 628. *Conclusio II.* Non requiritur — a) status gratiae — b) nec fides, imo — c) nec gratia actualis ad aliqua opera ethice bona . . . . . pag. 359 361

ARTIC. II. *De gratuitate gratiae* — 629. Natura quaestionis — 630. *Conclusio.* Prima gratia non est — a) obiectum meriti, nec — b) impetrationis, nec — c) terminus positivae dispositionis . . . . . » 363-364

ARTIC. III. *De universalitate gratiae* — 631. Axioma theologicum — 632-634. *Corollaria* — a) quoad iustos — b) quoad peccatores — c) quoad infideles » 365-366

CAPUT III. — De gratia sufficienti et efficaci — 635. *Conclusio I.* Dogma fidei est — a) dari gratias sufficientes — b) verum Dei beneficium — 636. *Conclusio II.* Voluntas libera sub gratia efficaci — 637. Triplex efficacia — 638. Triplex infallibilitas connexionis — 639. Thomistae — 640. Augustinenses — 641. Molinistae — 642-643. *Conclusio III.* Gratia est efficax — a) non ab intrinseco, sed — b) ab extrinseco — 644-647. Difficultates . . . . . » 367-374

PARS II. — De gratia sanctificante.

CAPUT I. — De natura et effectibus iustificationis — 648. Quid iustificatio — 649. Protestantes — 650. Ecclesia — 651. *Conclusio I.* Iustificatio — a) negative est peccatorum remissio — b) positive est infusio alicuius doni — 652. *Conclusio II.* Gratia sanctificans — a) non est Sp. S., sed — b) donum creatum — 653-659. *Quaestiones.* De diversis effectibus gratiae sanctificantis . . . . . » 375-381

CAPUT II. — De dispositionibus ad iustificationem — 660. Quid dispositio — 661. Protestantes — 662. Ecclesia — 663. *Conclusio unica.* Praeter fidem — a) aliae dispositiones requiruntur — b) fides requisita est fides theologica . . . . . » 382-383

CAPUT III. — De proprietatibus iustificationis — 664. Inaequalitas — 665. Incertitudo — 666. Amissibilitas — 667. *Conclusio* - Tres recensitae proprietates gratiæ vindicantur . . . . . » 384 385

PARS III. — De merito bonorum operum — 668. Quid et quotuplex meritum — 669. Conditiones ex parte actus — 670. Ex parte merentis — 671. Ex parte Dei — 672. Existentia — 673. Obiectum — 674. Reviviscentia » 386-390

TRACTATUS VIII.

De virtutibus infusis.

CAPUT I. — De virtutibus infusis in genere — 675. Quid habitus — 676. Quid virtus — 677. *Conclusio I.* Existunt — a) habitus operativi infusi — b) virtutes theologicae — c) morales — 678. Obiectio — 679. *Conclusio II.* Virtutes infusae — a) gratiam non antecedunt — b) per se pereunt pereunte gratia — c) ex lege positiva manent fides et spes — d) quae amittuntur per peccata opposita — 680. *Conclusio III.* Virtutes — a) augentur cum gratia — b) at non minuuntur — 681. De donis Sp. Sancti . pag. 391-396

CAPUT II. — De virtutibus theologicis.

ARTIC. I. *De fide* — 682. Quid fides — 683. *Conclusio I.* Obiectum materiale fidei omnes veritates revelatae — 684. *Scholia* - Obiectum attributionis — 685. De eodem scientia et fides possibilis — 686. Quae sint veritates revelatae — 687. *Conclusio II.* Obiectum formale — a) divina auctoritas — b) et revelatio — 688. *Scholia* - Assensus in divinam auctoritatem — 689. Motiva credibilitatis et auctoritas Ecclesiae non sunt motivum fidei — 690. *Conclusio III.* Fidei assensus — a) certus — b) verus — c) liber — 691. *Corollarium* - Fides est obscura — 692. *Conclusio IV.* Fides est necessaria — 693. Explicite credenda — 694. Genesis actus fidei — 695. Analysis actus fidei » 396-406

ARTIC. II. *De spe theologica* — 696. Quid spes — 697. *Conclusio I.* Spei obiectum materiale — a) primarium Deus — b) secundarium media supernaturalia, necnon — c) bona temporalia — 698. *Conclusio II.* Obiectum formale est bonitas respectiva et virtus divina auxiliatrix — 699. *Conclusio III.* Spes — a) honesta — b) necessaria — c) certa ex parte Dei — d) incerta ex parte nostra . . . . . » 406-408

ARTIC. III. *De caritate theologica* — 700. Quid caritas — 701. *Conclusio I.* Caritatis obiectum - a) primarium Deus — b) secundarium nos et proximus noster — c) formale est bonitas Dei absoluta — 702. *Conclusio II.* Iuxta ordinem caritatis — a) Deus diligendus est appretiative prae omnibus — b) minime intensive — c) in rebus salutis nos praeferendi proximo — 703. *Conclusio III.* Caritas — a) omnium virtutum praestantissima — b) et veluti forma . » 410-411

TRACTATUS IX.

De sacramentis novae legis.

704. Prologus . . . . . pag. 413

PARS I. — De sacramentis in genere.

CAPUT I. — De existentia et numero sacramentorum — 705. Sacramentum quid — 706. Ecclesia — 707. *Conclusio unica.* Traditione constat septem esse N. L. sacramenta — 708. *Scholion.* De sacramentis V. L. . » 413-415

CAPUT II. — De sacramentorum causis — 709. Causæ intrinsecae — 710. Causa extrinseca auctrix — 711-712. *Conclusio I.* Christus auctor immediatus sacramentorum — 713. Causa ministerialis — 714. *Conclusio II.* Ad valorem sacramentorum — a) non requiritur in ministro probitas — b) nec fides — c) at vera intentio . . . . . » 415-418

CAPUT III. — De sacramentorum virtute et effectibus.

ARTIC. I. *De virtute productiva gratiae* — 715. Errores — 716. Ecclesia — 717. Obex — 718. Formula *ex opere operato* — 719. *Conclusio I.* Sacramenta causæ instrumentales gratiæ — 720. *Conclusio II.* Causæ vere morales — 721-723. *Scholia.* De gratia prima et secunda - De eius reviviscentia - De gratia sacramentali . . . . . » 420-424

ARTIC. II. *De charactere* — 724. Ecclesia — 725. Character quid — 726. *Conclusio unica.* Baptismus, Confirmatio, Ordo characterem imprimunt — 727. Sacramentalia . . . . . » 424-426

PARS II. — De sacramentis in specie.

Sectio I. De Baptismo — 728. Prologus — 729. *Conclusio I.* Baptismi — a) materia remota aqua naturalis — b) proxima eius usus — c) forma est distincta invocatio Trinitatis — 730. Obiectio — 731. *Conclusio II.* Minister — a) solemnitatis ordinarius est episcopus et presbyter — b) extraordinarius diaconus — c) necessitatis omnis homo — 732. *Conclusio III.* Baptismus — a) omnibus necessarius necessitate medii — b) supplebilis martyrio — c) necnon contritione vel caritate — 733. *Conclusio IV.* Baptismus — a) validus infantibus collatus — b) ideoque non ratus habendus ad ipsis usum rationis consecutis — 734. Effectus — 735. Corollaria . . . » 427-431

Sectio II. De Confirmatione — 736. Prologus — 737. Materia et forma — 738. Est sacramentum — 739. Minister et subiectum — 740. Effectus . . . pag. 432-433
Sectio III. De Eucharistia — 741. Dicendorum ordo . » 433
CAPUT I. — De Eucharistia sacramento.
ARTIC. I. *De sacramentali Christi praesentia* — 742. Errores — 743. Ecclesia — 744. *Conclusio I.* Expenduntur verba promissionis — 745-747. Difficultates — 748. *Conclusio II.* Expenduntur verba institutionis — 749-751. Difficultates — 752. *Conclusio III.* Traditio in idem dogma conspirat — 753. *Scholion* - Praesentia non est alligata usui . . . . » 434-440
ARTIC. II. *De modo sacramentalis praesentiae* — 754. Ecclesia — 755. *Conclusio unica.* Christus — a) totus sub utraque specie — b) in singulis partibus — c) etiam separatione facta — 756. Corollaria — 757-758. Difficultates . . . . . » 440-443
ARTIC. III. *De transsubstantiatione* — 759. Ecclesia — 760. Quid transsubstantiatio — 761. Errores — 762. *Conclusio unica.* Dogma vindicatur — 763-765. Difficultates — 766-767. *Corollaria* — 768-769. Falsae notiones transsubstantiationes - Rosminius . . » 443-447
ARTIC. IV. *De effectibus et necessitate* — 770. *Conclusio I.* Eucharistia — a) non inchoat — b) sed auget vitam spiritualem — 771. *Conclusio II.* Est radix gloriosae resurrectionis — 772. *Conclusio III.* Est necessaria — a) non necessitate medii — b) sed praecepti, necnon — c) necessitate morali — 773. Sumptio sub utraque specie — 774. Eucharistia est sacramentum — 775. Minister . . . . . » 448-453
CAPUT II. — De Eucharistia sacrificio.
ARTIC. I. *De veritate sacrificii eucharistici* — 776. Idea sacrificii — 777. Ecclesia — 778. *Conclusio unica.* Eucharistia est sacrificium — 779. Obiectio . . » 454-457
ARTIC. II. *De essentia sacrificii eucharistici* — 780. Natura quaestionis — 781. *Conclusio I.* — a) Consecratio, et quidem — b) utriusque speciei est actio sacrifica — 782. *Conclusio II.* Ratio formalis huius sacrificii — a) non in sola relatione ad sacrificium Crucis — b) nec in sola distincta consecratione, sed — c) in sacramentali productione simul — d) et sacramentali exinanitione Christi — 783-786. *Corollaria.* De victima - de sacerdote - de Missis privatis - de communione celebrantis . . . . » 457-460

ARTIC. III. *De virtute sacrificii eucharistici* — 787. Ecclesia — 788-789. Fructus propitiatorius - impetratorius — 790. *Conclusio unica.* Utraque vis vindicatur — 791-795. *Quaestiones.* De valore sacrificii eucharistici . . . . . pag. 461-464

Sectio IV. De Pœnitentia.

CAPUT I. — **De pœnitentia virtute** — 796. Indoles — 797-799. Pœnitentia est virtus — 800. Eius materiale obiectum » 464-466

CAPUT II. — **De potestate remittendi et retinendi peccata** — 801. Potestas clavium — 802. Errores - Ecclesia — 803-804. *Conclusio I.* Vindicatur — a) potestas clavium — b) a potestate baptizandi distincta — 805. *Conclusio II.* Est potestas universalis — 806-809. Difficultates . . . . . » 467-470

CAPUT III. — **De actibus pœnitentis** — 810. Ecclesiae doctrina » 470

ARTIC. I. *De contritione* — 811. Quid contritio — 812. *Conclusio I.* — a) Contritio perfecta — b) cum voto sacramenti iustificat — 813. Obiectio — 814. *Conclusio II.* Ipsa — a) in sacramento non requiritur, sed — b) sufficit attritio — 815. *Conclusio III.* Attritio ex metu gehennae — a) est honesta — b) voluntatem peccandi excludere potest — c) et est dispositio proxima in sacramento — 816-817. Difficultates — 818-819. De amore initiali et attritione existimata . . . . . » 470-477

ARTIC. II. *De confessione* — 820. Confessio quid — 821. *Conclusio I.* Recursus ad claves — a) necessarius — b) necessitate medii — c) in re vel in voto — 822. *Conclusio II.* Confessio — a) distincta, si possibilis — b) secus generica, necessaria est . . » 477-479

ARTIC. III. *De satisfactione* — 823. Indoles — 824. Necessitas — 825. Opera satisfactoria — 826. Ministrorum ius et officium ea imponendi . . . » 481-484

CAPUT IV. — **De absolutione** — 827. Natura quaestionis — 828. *Conclusio unica.* Ad exercitium clavium potestatis requiritur potestas *ordinis* et *iurisdictionis* — 829-832. *Scholia.* De forma absolutionis - De materia et forma sacramenti - De reservatione - De veniali bus . . . . . » 484-488

CAPUT V. — **De indulgentiis** — 833. Notio — 834. Thesaurus Ecclesiae — 835. Potestas concedendi indulgentias » 488-489

Sectio V. De Extrema Unctione — 836. Est sacramentum — 837. Materia, forma, minister — 838. Subiectum - effectus . . . . . » 490-491

Sectio VI. De Ordine — 839. Ordo quid — 840. Ecclesia — 841. *Conclusio I.* Tum — a) generatim *Ordo,* tum — b) speciatim episcopatus, presbyteratus et diaconatus, est verum sacramentum — 842-843. *Scholia.* De reliquis Ordinibus - De materia, forma et subiecto Ordinis — 844. *Conclusio II.* — a) Presbyteri diaconis — b) episcopi presbyteris praestant — 845. *Conclusio III.* Lex cœlibatus commendabilis est . . . . . pag. 491-495

Sectio VII. De Matrimonio — 846. Definitio — 847. *Conclusio I.* Matrimonium est sacramentum — 848-849. Difficultates — 850. *Conclusio II.* Cum — a) inter christianos nullum sit matrimonium quod non sit sacramentum, idcirco — b) eius ministri sunt contrahentes — 851. Corollaria — 852. *Conclusio III.* — a) Polyandria simultanea iuri naturali primario adversatur — b) polygamia simultanea iuri primitivae institutionis, evangelico et naturali secundario — c) utraque successiva nulli iuri adversatur — 853. *Conclusio IV.* Matrimonium — a) intrinsece indissolubile ex iure primitivae institutionis, evangelico et naturali secundario — b) minime vero ex iure naturali primario — 854. *Conclusio V.* Matrimonium christianum solvi potest — a) ex privilegio paulino — b) per solemnem professionem religiosam — c) ex auctoritate R. P. — 855. *Conclusio VI.* — a) Ecclesia ius habet statuendi impedimenta dirimentia — b) necnon iudicandi de causis matrimonialibus — c) minime vero auctoritas civilis — 856. Corollarium . . . . . » 496-587

ANIMADVERSIO.

Numerus, qui clauditur intra parenthesim ad singulos numeros huius **Summulae,** *exhibet respondentem numerum in Opere tribus tomis constante.*

BINDING SECT. FEB 18 1969

BX
1751
M37

Marchini, Antonio
Summula theologiae dogmaticae

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 09 19 07 11 007 0